Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVIII
E
19
NAPOLI

L. 105. 116.

XLVIII
9
19

METROPOLITANARUM
URBIUM
HISTORIA
CIVILIS ET ECCLESIASTICA.

TOMUS PRIMUS,

In quo Romanæ Sedis dignitas, & Imperatorum ac Regum, maximè Francorum, in eam merita explicantur.

Autore PETRO JOSEPHO CANTELIO, *è Societate* JESU.

NAPOLI

PARISIIS,
Apud STEPHANUM MICHALLET, viâ Jacobæâ, ſub imagine D. Pauli, prope fontem S. Severini.

M. DC. LXXXIV.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

LUDOVICO
MAGNO
REGI
CHRISTIANISSIMO.

QUAM *leve ſit & exiguum hoc munus tametſi intelligam*, REX CHRISTIANISSIME, *ipſo tamen argumento non injucundum tibi fore confido. Romanæ Sedis dignitatem & Francorum* Regum *in eam merita explicat; quorum alterum ad* Religionis *Catholicæ decus, alterum ad* Majorum *tuorum gloriam pertinet: utrumque verò cum laude tua maximè conjunctum eſt; qui avo-*

rum tuorum pietatem ſtudio tuendæ religionis ſæculo tuo repræſentes. Inter illorum virtutes ac tuas ea cognatio eſt, ut res ab iis præclarè geſtas dum perſequor, imperii tui effigiem quandam expreſſerim. Multæ ab iis gentes ad Catholicam fidem perductæ; variæ variis temporibus extinctæ hæreſes; victi ſæpe Chriſtianæ Religionis hoſtes in Aſia, Africa, Ægypto, Italia, Hiſpania, Gallia. Annon & hæc eadem paucis annis à te uno perfecta conſpicimus? In multis Belgii urbibus, Argentorati, Genevæ reſtituta per te ſacra; diruta paſſim per Galliam, quæ præter leges excreverant, feralia hæreſeos delubra; pœna metuque, ne ab avita fide deſciſcat, compreſſa populi levitas: patriæ Religionis deſertores ab omni dignitatis gradu prohibiti: honorum & præmiorum ſpe à peſtiferæ novitatis illecebris abducta Nobilitas; &, quæ in Regni viſceribus inſederat, extincta ferè & propè jam ſepulta hæreſis. Nonne & auſpiciis tuis victi in Hungaria Turcæ, in Aſia

Piratæ, Algeriani in Africa, in Belgio & America Batavi: ut gloriari tibi haud immeritò liceat, præterea nemini, victos à te in quatuor orbis partibus ſive Chriſtiani ſive Catholici nominis hoſtes infenſiſſimos. Unde hujus libri, opinor, apud te eò major gratia Galloſque omnes futura eſt, quòd in Clodovæo, Pipino, Carolo Magno, quorum res geſtas complectitur, intueri te licebit, virtuteſque tuas in his Francæ gentis Heroïbus ſic adumbratas cernere: ut, quæ in iis diſperſa erant ornamenta, in te uno collecta eluceant. Nec enim MAGNI *cognomen victoriæ tibi tuæ ſolùm pepererunt: ſed ſingularis illa regiarum in te conſenſio virtutum, adjuncta incredibili prudentiæ invicta fortitudo, fortitudini perpetua armorum felicitas, felicitati mira animi modeſtia, in rerum omnium licentia amans æqui rectique tenax animus, in regiæ majeſtatis ſplendore ſumma adverſus omnes humanitas, & ſincera fucique expers religio, ac imprimis admirabilis illa in*

myſteriis Catholicæ fidei & adeundis & uſurpandis aſſiduitas ac reverentia. Hinc perpetuus victoriarum tuarum curſus: hinc illa imperii tui felicitas: hinc ingens apud gentes cæteras nominis tui gloria. Graviſſima bella, Batavicum, Belgicum, Germanicum, Siculum, Hiſpanienſe, Algerianum abſque offenſione ulla confeciſſe; navalibus ac terreſtribus prœliis viciſſe hoſtes numeró propè infinitos; cepiſſe urbes & naturâ loci & arte munitiſſimas: præclara illa quidem & ad nominis tui immortalitatem inſignia; communia tamen tibi cum ſuperiorum temporum Heroïbus. At ex religionis commodo & belli gerendi rationem metiri & ponere modum victoriis: hoſtem & longe imparem & periculoſiſſimo diſtrictum bello, ne quid Chriſtianæ rei noceas, armis non laceſſere; eodem tempore foris debellare hoſtes ac tutari ſocios; domi fovere pacem, ac legibus æquiſſimis compeſcere hæreſim: hæc tua, LUDOVICE MAGNE, *& propria laus eſt & maxima. Quid*

enim ad Heroïs Chriſtiani gloriam fingi poſſit illuſtrius, quàm quod unum te, non ut victorem modò & pacificum, non ut arbitrum Europæ tantùm ac moderatorem; ſed ut Catholicæ religionis & cultorem eximium & acerrimum vindicem Chriſtianus veneretur orbis. Patere, REX CHRISTIANISSIME, *publicos inter plauſus hunc etiam librum tanquam lætitiæ noſtræ interpretem atque internuncium apparere, qui Societatis noſtræ nomine & victorias tibi tuas & vindicatam pietate tua religionem gratuletur. Ex illo enim amore religionis, cui propagandæ Inſtituti noſtri ratione addicti ſumus, tuam in nos benevolentiam derivari interpretamur. Quare non te communi tantùm Francorum omnium ſtudio te ut* Regum *maximum; ſed infinitis propè tuis provocati beneficiis præcipuo quodam amore te ut parentem colimus. Quibus erga nos meritis cùm pares referre gratias non poſſimus, aſſiduis à Deo contendimus precibus, ut te, per*

quem ipſe in Gallia regnat, ſoſpitem diutiſſimè tueatur: ut regni tui fines, quo ipſe imperet latiùs, amplificet: ut ſtet æternùm floreatque magis in dies Gallia, & nepotes tui tua exempla tanquam Chriſtiani & felicis imperii ſpecimen aliquando æmulentur.

SACRÆ MAJESTATI TUÆ

Devotiſſimus
PETRUS JOSEPHUS CANTELIUS S. J.

OPERIS TOTIUS
ARGUMENTUM.

METROPOLITANARUM urbium multi ſcripſerunt Hiſtoriam; ſed librorum tanta multitudo eſt, atque varietas, cujuſvis ut hominis non ſit omnes perlegere. Sunt enim, quibus à re ſua non ſatis otii eſt: ſunt, quos, cùm abundent otio, labor ipſe deterret. Eorum ut ſerviamus, ſive ſtudio, ſive negligentiæ, Hiſtoriam cujuſque Metropoleos contexere inſtituimus. Cùm verò civilem inter & eccleſiaſticam urbium adminiſtrationem maxima ſæpe cognatio ſit & affinitas, Hiſtoriam profanam itidem ac ſacram ſcribimus: ita tamen, ut quæ ad profanam pertinent, perſtringamus breviter; quæ ad ſacram, perſequamur multò uberiùs. Ne te verò, ERUDITE LECTOR, diutius demorer, quænam ſit inſtituti noſtri ratio, paucis accipe.

Præmiſſa primùm à nobis eſt, brevis illa quidem, ſed accurata orbis tum Romani, tum Chriſtiani in ſuas & diœceſes & provincias deſcriptio: eadem enim ferè utriuſque diviſio fuit. A Diœceſi Romana, quæ cæterarum caput erat, factum ſcribendi initium eſt; illam excipiet, quæ ſecundum ab ea locum obtinebat, Italica; aliæque deinceps, ſuo

quæque ordine, diœceſes. Opus omne in multos, ut res feret, tomos partiemur.

De ſingulis urbibus vel pauciora vel plura pro urbis dignitate capita proponimus: priora ad profanam Hiſtoriam ſpectant, poſteriora ad eccleſiaſticam. Videbimus primò ubi, à quo, quando urbs condita ſit: quorum vel fortitudine ornata ſit, vel induſtriâ: à quibus capta, diruta, incenſa, reſtituta, &c. deinde ſi Ducatûs vel Principatûs caput eſt, aut aliàs fuit, dicemus, quibus olim Principibus paruerit. Exemplo nobis ſit Neapolis: paruit Romanis, Gothis, Græcis, Normannis, Suevis, Francis, Hiſpanis: quare illius urbis hiſtoria in totidem erit, ſive membra, ſive partes deſcripta. Suus cuique genti præfixus titulus erit: qua ratione ab una, & gente, & familia, ad aliam ſumma poteſtas tranſmiſſa ſit: quæ cujuſque Principis dotes, prælia, victoriæ, breviter, quoad fieri poterit, explicabitur.

De Hiſtoria eccleſiaſtica, quæ pars eſt altera, & uberior, quæſtiones erunt ut minimùm quatuor; ſex ut plurimùm. Quærimus enim primò, à quibus urbis cujuſque cives ad Chriſtianam fuerint religionem eruditi: à quo epiſcopalis inſtituta ſedes: quorum ſanguine nobilitata: deinde inter Epiſcopos, qui pietate, eruditione, aut obitis muneribus fuerint præ cæteris nobiles: tum quo tempore, à quo, quáve de cauſa illa ſedes dignitatem Metropolis adepta ſit: pòſt, qui ex Archiepiſcopis vel doctrinæ, vel ſanctitatis, vel prudentiæ famâ celebres extiterint: tum quot, quíve Epiſcopatus, ſive aliàs fuerint, ſive noſtra ætate ſint, huic Metropoli contributi: deni-

que ad extremum, quæ in ea urbe habita ſint Concilia, quæque leges ab iis ſancitæ ſint. Operis totius hæc ferè ſumma eſt.

Quò verò Hiſtoria hæc ſtudioſis & utilior ſit & etiam jucundior, dabitur à nobis opera diligens, ut, quæ vel nota ſunt omnibus, vel levia, aut omittantur omnino, aut dicantur breviter; quæ verò aut obſcura ſunt, aut ad ſummorum virorum memoriam quoquomodo pertinent, exponantur pluribus. Ut paucis concludam, animus eſt in infinita illa hiſtoriarum ſilva, quod belliſſimum videbitur, quæque illuſtria maximè erunt, totidem veluti floſculos, decerpere; eaque in iſtum, quem modò explicui, digeſta ordinem, brevi ac nitido, quantùm licebit, ſcribendi genere complecti, ut rerum dignitas, brevitaſque ſcriptionis gratiam operi conciliet, niſi eam culpa noſtra deterat.

Quæ, ſi perinde ac cogitatione & animo aſſecuti ſumus, re ipſa perficere aliquando liceat, brevis erit & accurata omnium ferè & provinciarum, & urbium Hiſtoria, cùm eccleſiaſtica, tum civilis: in qua, quæ à Chriſto nato ad noſtram uſque ætatem ſcitu digna ſunt, quæque hominem liberaliter inſtitutum ſcire maximè decet, eâ methodo exponere conabimur, ut illa quivis, nullo propè labore, & legere poſſit, & diſcere. Quæ conſilii noſtri ratio, ſi tibi probetur, Erudite Lector; ſi ad Eccleſiæ Catholicæ decus, cujus in honorem deſtinatus à nobis hic labor eſt, nonnihil conferre arbitreris; tempus omne, quod quidem à gravioribus ſtudiis vacuum fuerit, huic operi diligenter impen-

demus. Quid verò iſte, quem jam offerimus tibi, liber complectatur, docebunt ea, quæ tribus illius partibus præfixa ſunt, argumenta.

ARGUMENTUM PRIMÆ PARTIS.

HIc tomus in tres partes tribuitur. Prima in opus univerſum, reliquoſque tomos prolegomena continet: altera, quæ ad Romanam Sedem pertinent: tertia, quæ ad Regni Neapolitani, Siciliæ & Sardiniæ Metropoles. Quæ in ſecunda tertiaque parte diſputentur, poſtea viderimus: de prolegomenis nunc dicamus breviter.

In ea, quam ſcribimus, Hiſtoria multa occurrent, quæ tibi, AMICE LECTOR, aut errorem objiciant neceſſe eſt, aut moleſtiam, ſi quid ſibi velint, neſcias. Quare ne quid ſit, in quo hæreas, præmiſimus ſex Diſſertationes, in quibus omnia, quæ nonnihil negotii tibi faceſſere poterant, breviter explicamus: ſed præſtat, ut operæ noſtræ ratio conſtet, ſingularum Diſſertationum ſummam exponere.

Adhibendæ mihi erunt interdum, & voces, & dignitatum appellationes multæ, quæ in ſermone quotidiano etſi uſurpari vulgò ſolent, paucis tamen, quæ earum, & origo ſit, & notio, perſpectum eſt. Illarum duplex eſt genus: aliæ enim ad Eccleſiæ, aliæ ad Imperii politiam ſpectant. Prioris generis ſunt, *Papa*, *Patriarcha*, *Primas*, ſive *Exarchus*, *Archiepiſcopus* ſive *Metropolita*, *Epiſcopus*: poſterioris, *Clariſſimus*, *Illuſtris*, *Præfectus Prætorio*, *Patricius*, *Dux*,

Comes, & aliæ hujuſmodi. Has ſive voces, ſive dignitates, in duas Diſſertationes tribuimus, quarum prima ſacras, altera profanas complectitur. Quæ cujuſque vocis vis ſit & poteſtas; quàm multiplex acceptio; quis uſus apud Græcos, Romanos, Africanos, Gallos, Gothos, &c. quando iſtæ dignitates, & inſtitutæ ſint, & abolitæ; quæ ſingularum jura, poteſtas, officia, declaramus.

In tertia Diſſertatione de Pallio & Cruce, quæ Metropolitanis præferri ſolent, diſputamus. Cùm enim iis multa ſunt, quibus præſtent Epiſcopis, ornamenta, tum illa maximè duo, quòd & adhibendi Pallii jus, & præferendæ Crucis habeant; Epiſcopi, ut plurimùm, non item. Iſtius verò Diſſertationis hæc ferè partitio eſt: quæ figura antiqui fuerit Pallii; quænam ſit hodierni: cujus fuerit dare Pallium; Romani Imperatoris, an Pontificis: datúmne Metropolitanis tantùm, an etiam Epiſcopis: cum Pallio quæ & jura data, & impoſita onera.

Ubi exponitur, quid diſcriminis fuerit inter Pallium Imperatoris & Patriarcharum: quid inter Græcum, Romanum, Gallicum: quid ab Imperatoribus mutuati ſint Romani Pontifices: caſulam, an faſcias, an utrumque: quandonam expetitus Imperatoris conſenſus: qua ratione Pallium communicari cœpit, primùm Sedis Romanæ Vicariis; deinde Epiſcopis, quorum inſignis pietas erat; denique Metropolitanis omnibus: quo tempore moris fuit Pallium, & dari Romæ, & mitti in provincias: cur imperatum fidei ſacramentum, ejuſque formula quàm multiplex: an data cum Pallio, & poteſtas

vicaria, & jus vocandæ Synodi, & alia id genus: Pallio uti, quando, & ubi, aut fas erat, aut nefas. In quibus duo ſunt ad nominis Gallici decus inſignia: unum, quòd uſus Pallii Galliæ Metropolitanis primùm permiſſus eſt; quæ conſuetudo ab iis ad alias deinde nationes manavit: alterum, quòd ſi quando petita ab Imperatore Græco dandi Pallii facultas, una cauſa fuit pervagata Francicæ virtutis fama, incuſſuſque Græcis terror. Eadem de Cruce, quæ de Pallio, diſſerimus; ſed multò breviùs: à quo Crucis præferendæ uſus inductus; quando ſubinde conceſſus Primatibus, Legatis, Metropolitanis, &c.

In quarta Diſſertatione de Vicariis & Legatis Romani Pontificis agitur: illius enim potior olim erat in diœceſi autoritas, qui Romanæ Sedis, aut Vicarius erat, aut Legatus, ſive Epiſcopus eſſet, ſive Metropolita: quamquam vicariam poteſtatem meris datam fuiſſe Epiſcopis nuſquam, opinor, legere eſt. A quibus inſtituti ſint Vicarii, in Gallia Arelatenſis & Remenſis; Theſſalonicenſis & Acridenſis in Illyrico; in Hiſpania Hiſpalenſis & Tarraconenſis; Cantuarienſis in Anglia: quo potiſſimùm tempore hæc poteſtas ſingulis, & data ſit, & abrogata; quæ illorum in cæteros Epiſcopos jura, paucis perſtringimus: erit enim aliàs de his dicendi locus uberior.

Sub hæc de Legatis diſſeritur: quando in Galliam, Angliam, Hiſpaniam, &c. mitti & cœpti ſint, & deſiti; ut munus illud permiſſum Epiſcopis, Cardinalibus, Regibus; quæ illis data poteſtas, co-

mitatus, loci inter Principes prærogativa; in quo etiam enitet Francorum Regum dignitas: qui enim in Anglia, Hiſpania, Hungaria, &c. præ Regibus Legati primas tulerant, ii ſecum perhonorificè actum in Gallia ducebant, ſi Regis filiis proximi ibi, ubi unà erant, tertio poſt Regem loco conſiderent. His acceſſit Apocriſiariorum Hiſtoria, in qua eorum munera apud Imperatores, tum Græcos, tum Francos, exponuntur. Adjuncta etiam alia Legatorum genera, quorum nec certa, nec ſtata munera erant, ſed pro Pontificum arbitrio diverſa.

Sequuntur Diſſertationes duæ quinta & ſexta de Synodis, aliis multò uberiores; ſed alia alterius ratio eſt. Prior enim Synodorum provincialium, nationalium & generalium Hiſtoriam continet: poſterior de ratione, & ſubſcribendi, & conſidendi diſputat. De Synodis, tum provincialibus, tum nationalibus, quas inter maxima cognatio eſt & affinitas, hæc potiſſimùm quærimus: quando illas celebrari, & cœptum ſit & deſitum: ſingulis annis quot habitæ; una, an binæ: illarum quæ autoritas: quæ pœnæ iis, qui aberant, impoſitæ: cujus fuerit eas, maximè nationales, convocare, Summi Pontificis, Regis, an Primatis: quæ omnia de Græcis, Romanis, Africanis, Francis, Anglis, Gothis, ita præſtitimus, ut quidquid ad has Synodos quoquomodo pertinet, ea Diſſertatione complexi ſimus.

Vel inde cuivis cognoſcere licebit, quænam fuerit in Gallia à naſcentis Francici Imperii primordiis ad noſtram uſque ætatem Synodi nationalis celebrandæ ratio: ut ab Imperatoribus in Imperio Ro-

mano, ita in Gallia à Regibus coactas illas Synodos: illis interdum præfuiſſe Reges: earum decreta nonnunquam pro Regum arbitrio, vel recepta, vel repudiata: binas quotannis ſub Pipino habitas; totidem ſub Carolo Magno, quæ in tres veluti claſſes erant deſcriptæ: prima Epiſcoporum erat, Abbatum altera, tertia Comitum: unde poſtea & tres Regni Ordines convocati, & ſupremæ Curiæ inſtitutæ.

His ſubjuncta eſt Synodorum omnium œcumenicarum Hiſtoria. Eam quidem Hiſtoriæ urbis, in qua peracta quæque eſt, ſubtexere animus erat; ſed cùm aliæ ab aliis & temporibus disjunctæ ſint & locis, plus, opinor, habebit utilitatis, uno quaſi intuitu cernere, quo & Summo Pontifice, & Imperatore, ſingulæ habitæ ſint: quo anno, & loco: qui Legati præfuerint: quæ ab iis proſcriptæ hæreſes: quot canones ſanciti, & alia hujuſmodi.

In ſexta, uti diximus, Diſſertatione & ſubſcribendi & conſidendi in Conciliis ordo traditur. Loci prærogativa à dignitate cujuſque ut plurimùm petita. De ſubſcriptionibus nulla certa lex fuit & fixa: modò enim dignitatis, modò provinciæ habita ratio eſt, modò neutrius: ſed interdum Metropolitani Primatibus, nonnumquam meri Epiſcopi Metropolitanis, & ejuſdem, & alienæ provinciæ temere præpoſiti, pro locorum & temporum varietate: quàm varius uſus fuerit & multiplex, in Synodis Græciæ, Galliæ, Angliæ, Hiſpaniæ, breviter explicamus: in qua tamen confuſione elucet Primatus Romanæ Sedis, à cujus Legatis primo ſemper loco certa lege ſubſcriptum eſt. Notatum poſtea à nobis eſt,

eſt, quo, ſive loco, ſive ordine Imperatores, Reges, Duces, Comites, aliique orbis Chriſtiani Principes, Abbates & Abbatiſſæ, in Synodis, & ſubſcripſerint, & conſederint.

. Denique coronidis loco addita eſt de Franci & Hiſpani Regis contentione diſputatio: utrius potior ſit dignitas, uter loci prærogativâ hactenus vicerit alterum, parergum erit fortaſſe: nec multùm tamen id à propoſito noſtro abhorret; & id temporis ea cognoſcere, ſtudioſis, nec inutile eſt, nec injucundum. Quæ verò in eam rem collegimus, ad hæc potiſſimùm duo capita referuntur. Ante Philippum II Hiſpaniæ Regem, quando unà fuerunt, ſive Reges, ſive ipſorum Legati, tum apud alios Principes, tum in Synodis, ut in Conſtantienſi, Baſileenſi, Lateranenſi, Primas, & ubique & ſemper tulit Gallus; Hiſpanus verò, aut ſecundas tantùm, aut tertias. A Philippo II, is enim illius controverſiæ fons eſt & caput, ad noſtram uſque ætatem Hiſpanus omnium nationum ſuffragio victus eſt, Venetiis, Tridenti, Romæ, in Polonia, Curiæ apud Rhetios, Hagæ Comitis apud Batavos, &c. Ut Hiſpaniæ, ita etiam, & Romanorum, & Angliæ Regibus prælatus ubique fuit Rex Galliæ: uni cedit Imperatori, non dignitate quidem, quæ in ipſo, aut par eſt, aut major; ſed uſu, quo id vel Imperatoris appellationi, quæ aliàs illuſtrior erat; vel veteris Imperii memoriæ datum eſt. Hæc ferè prima hujus libri parte continentur, quæ ſi probentur tibi, ERUDITE LECTOR, erit cur me ſuſcepti laboris non pœniteat.

ARGUMENTUM SECUNDÆ PARTIS.

NON eadem ratione ac methodo Romanæ Sedis & aliarum Hiſtoriam ſcribimus, quòd quæ ad eam pertinent, vulgò nota ſunt. Quis enim, vel leviter eruditus, neſciat, à quo Romana Sedes inſtituta ſit; qui è Romanis Pontificibus pietate & doctrinâ floruerint; quid ab iis pro Catholica religione, vel tuenda, vel propaganda præſtitum ſit: quæ & ejuſdem generis alia, omnes penè & libri loquuntur, & Hiſtoriæ. Quare quæſtiones nonnullas delegimus, paucas illas quidem, ſed præ cæteris inſignes, quas cùm alii, vel nunquam, vel leviter attigerint, nos & deditâ operâ perſequimur, & uberiùs. Diſſertationes, ut in prima Parte, erunt omnino ſex. Quid ſpectent ſingulæ, & quæ cujuſque ſumma ſit, paucis dabo.

Prima Diſſertatio in epiſtolis, tum Romanorum Pontificum ad alios, tum aliorum ad Romanos Pontifices ita verſabitur, ut in ea epiſtolæ ipſæ non expendantur; ſed epiſtolis, & quæ præfixa eſt, inſcriptio, &, quæ ſubjuncta eſt, clauſula. In inſcriptionibus hæc potiſſimùm ſpectamus: Romani Pontificis nomen nomini illius, cui ſcribit, præpoſitúmne ſit, an ſecus: quæ cognomina ſibi aſciſcat Romanus Pontifex: cujuſmodi ſint honorifici tituli, quibus, & ipſe alios, & ipſum alii compellare ſolent; & quænam ſit origo ſolemnis hujus formulæ, *Salutem & benedictionem apoſtolicam.*

Erit cur Romanorum Pontificum, & modeſtiam

demireris, & majeſtatem. Vel enim ab iis nomen ſæpe nudum appoſitum eſt, vel adjuncta cognomina, & modeſtiæ plena, & amoris, ut, *Epiſcopus*, *Papa*, *ſervus ſervorum Dei*; dum ab Epiſcopis, Patriarchis, Imperatoribus titulis magnificis cohoneſtantur: cujuſmodi ſunt, *Dominus*, *Pater Patrum*, *Patriarcha univerſalis*, *Princeps Epiſcoporum*, *Summus Pontifex*: quæ appellationes à quibus, & adverſus quos, adhibitæ ſint, breviter notavimus. Deinde, quando à Romanis Pontificibus, & Epiſcopi *fratres*, & Imperatores Regeſque *filii* dici cœpti ſunt, exponimus. Sub hæc de *Chriſtianiſſimi* cognomine diſputatum eſt: ubi vocum iſtarum *Chriſtianiſſimi* & *Catholici*, quarum illa Franci Regis, hæc Hiſpani propria eſt, hiſtoria, & veluti ſtemma à prima origine ad noſtram uſque ætatem deducitur; & infinita propè, cùm in Romanam Sedem, tum in rem Chriſtianam Francorum Regum merita breviter declarantur.

Denique de epiſtolarum clauſula diſſeritur, in qua temporis notæ apponi ſolent numero ſeptem, *dies*, *menſis*, *Conſul illius anni*, *annus Imperatoris*, *ipſius Conſulatus*, *annus* tum *Indictionis*, tum *Incarnationis*, tum illius qui ſcribit, *Pontificis*. Non tamen omnes ab omnibus adſcriptæ ſunt; ſed aliæ ab aliis: modò una, alteráve, modò plures, pro cujuſque arbitrio. De his notis videbimus, quando, & à quibus uſurpari, & cœperint, & deſierint: quid diſcriminis fuerit inter annos Imperii & Conſulatûs: quid inter Conſulatum duorum Imperatorum, quorum alter alterius filius erat: ut Francorum Imperatorum anni, Conſulatûs, Patriciatûs, appoſiti: ut à Francorum Re-

gum in Romanam Sedem liberalitate factum ſit, ut cujuſque Pontificis anni itidem ac cæterorum Principum, quod ſummæ poteſtatis indicium eſt, notarentur, &c.

Diſſertationis ſecundæ multiplex partitio eſt. Eò omnis ſpectat, ut explicet, quos olim reditus habuerit Romana Sedes; quas nunc & urbes, & provincias obtineat; à quibus datæ ſint; quídque in ſingulis ad poſteritatis memoriam inſigne geſtum ſit. Primùm enim agitur de reditibus & prædiis Romanæ Sedis ad Caroli Magni tempora. Deinde Donatio Conſtantini veráne ſit, an ficta, & à quo, diſputatur. Tum ſubjungitur urbis Romæ Hiſtoria à Conſtantino ad Carolum Magnum, ubi Romano Pontifici his temporibus non paruiſſe vincitur. Secundùm hæc expoſitum eſt, quas provincias Pipinus, quas Carolus Magnus, quas Ludovicus Pius, aliique Galliæ Reges dederint. Inde fluxiſſe conſuetudinem coronæ & geſtandæ & imponendæ Imperatori oſtenditur; quíque ritus olim fuerint ſuſcipiendæ coronæ, ſive Germaniæ, ſive Italiæ, ſive Imperii, explicatur.

Pòſt ſequitur Romanæ urbis à Carolo Magno ad noſtram uſque ætatem Hiſtoria, in varias deſcripta partes: in quibus Urbis variam adminiſtrationem, bella, clades; Romanorum & inter ſe diſſidia, & in Pontifices pervicaciam; Pontificum in Galliam fugam; Capetianorum Regum in eos obſervantiam & merita perſequimur. Denique ad calcem addita eſt brevis, & Donationis Mathildis, & præcipuarum urbium, quæ in ditione Pontificia ſunt, Hiſto-

ria, ut Mutinæ, Spoleti, Parmæ, Ferrariæ. De cæteris quæ ſunt Metropoles, diſſerere, alterius libelli munus erit.

Secunda Diſſertatio iiſdem fuit, quibus Italia, circumſcripta finibus. Tertia multò diffuſa latiùs orbem Chriſtianum ferè complexa eſt. Dum & urbes & provincias recenſet omnes, quæ Romanæ olim Sedi vectigales erant; libitum eſt hoc loco appellare ſingulas, ut, & quàm laté patuerint, & quanta ſit majeſtas Romanæ Sedis, vel inde intelligas. Earum verò nomina ſunt hæc: *Anglia*, *Hibernia*, *Scotia*: in Gallia, *Britannia minor*, *Provincia*, *Avenio*, *Comitatus Venaſcinus*, *Valentinus & Dienſis*: *Hiſpania*; & in ea, *Luſitania*, *Aragonia*, *Tarraco*: *Regnum Neapolitanum*, *Sicilia*, *Sardinia*, *Corſica*, *Dalmatia*, *Croatia*, *Servia* ſive *Raſcia*, *Boſnia*, *Bulgaria*, *Hungaria*, *Polonia*, *Lithuania*, *Ruſſia*, *Bohemia*, *Saxonia*, *Bamberga*, *Dania*, *Norvegia*, *Suecia*, *Gerba & Inſula Cercina*, *Fortunatæ Inſulæ*, *Armenia*. Hinc diſcere licebit, quænam multorum fuerint Regnorum primordia: quando ſuſcepta à variis gentibus Chriſtiana religio: quando & Principibus jus datum geſtandæ coronæ; & populis imperatum vectigal. Inde etiam planum erit, inter Francos, & cæteros Reges id intereſſe, quòd Romanæ Sedi alii pietatis ergò tributum ſolverint, Franci provincias bello partas conceſſerint.

Quarta Diſſertatio de Romani Pontificis electione diſputat; illudque omne tempus, quod à ſancto Petro ad nos uſque fluxit, in ſex tribuit ætates. A variis, quibus Roma paruit, gentibus repetita divi-

ſio eſt; quæritur enim, quænam fuerit electionis forma, ſub Romanis Imperatoribus; ſub Regibus Gothis; ſub Græcis Imperatoribus; ſub Francis; ſub Germanis ad Concilium Lateranenſe primum; denique ab illa Synodo ad noſtram ætatem. Eligendi Pontificis ratio quàm varia fuerit & multiplex, ita explicamus, ut, quæ abhorrent ab hoc argumento, vel omiſſa ſint omnino, vel delibata leviter; quæ eò pertinent, diſputata paulò uberiùs.

Diſſertationem de Romani Pontificis electione excipit quinta de Cardinalibus, à quibus illum eligi ſolemne eſt. In varias partes, ut cæteræ, ordinis causâ, deſcripta eſt: capita verò, ad quæ omnia revocantur, hæc ferè ſunt. De Cardinalium, & origine, & titulis: de illorum triplici ordine, Preſbyteris, Diaconis, Epiſcopis, horumque ſedibus: de varia & Diaconiæ & Tituli permutandi ratione: de Cardinalium numero: de inſignibus; de ſumma præ Metropolitanis, Primatibus, dignitate, locique prærogativa. Ubi etiam notare non pigebit, plus honoris Francis Regibus delatum eſſe, quàm cæteris, cùm in Italia alii inter Cardinales medii; Reges Franci ante omnes conſederint.

Ultima Diſſertatio de provincia Metropolitani Romani eò loci de induſtria rejecta eſt, ut inde nobis ad reliquam Metropolitanorum Hiſtoriam pateat aditus. Præmiſſa primùm eſt Italiæ ſuas in provincias diviſio: deinde ſubjecta varia Urbis regendæ ratio: tum adſcriptæ pugnantes inter ſeſe, & Sirmondi noſtri, & Salmaſii ſententiæ, quos inter ſexaginta plus minùs abhinc annis ſuper hac re con-

tentio fuit: pòſt noſtra opinio propoſita, quæ præter Mediolanenſem provinciam Romano Metropolitano, & reliquam Italiam, & Siciliam aſſerit: denique, quæ contrà facere videntur, diſcuſſa, allataque Nicæni Canonis ſexti vera & ſincera notio. Hæc ferè in ſecunda parte diſputantur.

ARGUMENTUM TERTIÆ PARTIS.

REGNI Neapolitani, Siciliæ & Sardiniæ Metropoles omnes hæc tertia Pars complectitur. In ſingulis urbibus hæc ferè præſtitimus: primùm, præmiſſa cujuſque urbis brevis Hiſtoria eſt, deinde quærimus, quo tempore, à quo, quáve de cauſa ſedes Epiſcopi inſtituta ſit, & urbs facta Metropolis: tum qui inter ſedis illius Præſules, doctrinæ, pietatis, prudentiæ famâ præ cæteris floruerint: pòſt, qui Epiſcopatus, & aliàs fuerint, & noſtra ætate ſint Metropolitanis ſingulis contributi: denique ſubjuncta Synodorum, ſi quæ iis in urbibus habitæ ſunt, epitome. Eò ferè ſpectant omnia, quæ in hac tertià Parte diſſeruntur; ſed quæ præterea in ſingulis Diſſertationibus continentur, præſtat paucis exponere.

Prima Diſſertatio in Neapolitanæ tum urbis, tum ſedis Hiſtoria verſatur. Exponitur primò & Regni diviſio quàm multiplex fuerit, & Regum quàm varia ſtemmata; quæ ſingulorum Principum tum nomina, tum prælia; quáque ratione à Græcis ad Northmannos; à Northmannis ad Suevos; ab his ad Francos, &c. ſumma poteſtas devenerit. Deinde fuerintne aliàs Neapoli Epiſcopi duo, alter Latinus, Græcus

alter; & unde mos ille manavit, ut in multis Italiæ urbibus duo eſſent Cleri, qui utroque tum idiomate, tum ritu, Græco & Latino, ſacra peragerent.

Neapolim Capua, quæ ipſi dignitate proxima eſt, excipit: in ſecunda enim Diſſertatione explicatur, quando Capuani Principes, & cœperint, & deſierint: quî factum ſit, ut modò iidem fuerint cum Beneventanis, modò ab iis diverſi. Ubi etiam annotatum illud eſt, Capuanam ſedem id præ aliis habere præcipui, quòd paulò ante cæteras facta ſit Metropolis.

Reliquas Regni Metropoles in duas Diſſertationes tribuimus. Prior octo continet, Surrentum, Teate, Lancianum, Compſam, Acheruntiam, Amalfim, Salernum & Beneventum; ubi de Salernitano Primatu & Beneventanis Ducibus diſſeritur. Poſterior undecim, Barium, Nazareth, Sipontum, Tranium, Brunduſium, Hydruntum, Tarentum, Cuſentiam, Roſſanum, Rhegium, S. Severinam. In iis, quò plures ſunt, eò breviores erimus, quia pleraque vel incerta ſunt, vel levia.

Quintam Diſſertationem Sicilia ſibi vindicat, in qua poſt Siciliæ & Siculorum Regum Hiſtoriam, de his potiſſimùm diſputatur: an Sicilia Romani ſemper Patriarchatus fuerit: quo tempore ab eo abſtracta ſit: an ullam ante nonum ſæculum habuerit Metropolim: ubi nec Syracuſas, nec Meſſanam, nec Panormum ante hanc, quam diximus, ætatem fuiſſe Metropoles vincitur. Tum Epiſcopatuum Siciliæ ſive veterum, ſive recentium Notitia explicatur. Denique quænam Monarchiæ Siculæ origo ſit, aperitur.

tur.

tur. Quæ inde jura ſibi tribuant Siculi Reges, quæque in eam proferri vulgò ſolent, declarantur.

Subjuncta Siciliæ Sardinia eſt, quæ ſextæ Diſſertationis argumentum erit. Poſtquam varias Gentes, quibus hæc Inſula paruit, appellavimus; Primatus Turritanus exploditur; Calaritanus ita aſſeritur, ut omni Sardiniæ Calaris Epiſcopus præfuerit; primùm, quamdiu una provincia fuit, ut Metropolita; deinde poſtquam in tres provincias deſcripta eſt, ut Primas. Piſani etiam Archiepiſpopi ad Primatum Sardiniæ jura explicantur. Hæc ferè tertia Pars continet.

Sed unum te hîc monitum volo, ERUDITE LECTOR, me non ſequi morem illorum, quibus hoc unum ſtudium eſt, multa multorum Autorum in eamdem rem teſtimonia, &.quæ in utramque partem à pluribus diſputata ſunt, colligere: id enim ab inſtituto noſtro alienum eſt. In varias ſententias ubi abeunt Scriptores; quæ mihi, aut vera, aut ſimiliora vero viſa ſunt, habito delectu propoſuì: tum ſi res, qua de agitur, dubia eſt, & incerta; unus altérve Scriptor qui à me faciat, appellatur: eorum etiam verba, ubi opus fuit, ut mea ſententia ſit teſtatior, adſcripta. At ſi res, aut nota eſt, aut certa, Autorum, ne longior ſim, nec nomina plerumque, nec verba appoſita. Si quid verò contra Hiſtoriæ fidem à me peccatum ſit, mone, ERUDITE LECTOR, corrigam: ſi quid tibi uſui eſſe poſſit, utere, & fave.

CONSPECTUS PRIMI TOMI,

ET SUMMA SINGULORUM CAPITUM.

Orbis Romani & Chriſtiani in ſuas tum diœceſes, tum provincias deſcriptio. pag. 1

PARS PRIMA PROLEGOMENA.

DISSERTATIO PRIMA.

De vocibus quæ ad Eccleſiæ adminiſtrationem pertinent.

CAPUT I. *Papa.* 5
CAP. II. *Patriarcha.* 7
CAP. III. *Exarchus ſive Primas.* 10
CAP. IV. *Archiepiſcopus.* 13
CAP. V. *Epiſcopus.* 15

DISSERTATIO SECUNDA.

De vocibus quæ ſpectant ad Imperii adminiſtrationem.

CAPUT I. *Illuſtris, Spectabilis, Clariſſimus, Perfectiſſimus, Egregius* 18
CAP. II. *Cæſar, Nobiliſſimus, Deſpota, Sebaſtocrator, Primus Auguſtus.* 21
CAP. III. *Præfectus Prætorio.* 23
CAP. IV. *Patricius.* 24
CAP. V. *Dux.* 27
CAP. VI. *Comes.* 28
CAP. VII. *Defenſor, Vicedominus, Advocatus.* 29

DISSERTATIO TERTIA.

De Pallio & Cruce Archiepiſcoporum.

CAPUT I. *Quæ figura fuerit Pallii: an ex lana, an ex lino fuerit.* 31
CAP. II. *Cujus fuerit dare Pallium.* 34
CAP. III. *Quibus datum Pallium.* 39
CAP. IV. *Quæ jura cum Pallio data.* 43
CAP. V. *Quæ onera cum Pallio impoſita.* 45
CAP. VI. *Quando & ubi Pallio uti licuit.* 49
CAP. VII. *De Cruce Archiepiſcoporum.* 50

DISSERTATIO QUARTA.

De Vicariis & Legatis Romani Pontificis.

CAPUT I. *An Romani Pontifices munera & nomina ſive Vicarii, ſive Legati, à Romano Imperio mutuati ſint.* 54
CAP. II. *De Vicariis Romani Pontificis.* 56
CAP. III. *De Apocriſiariis.* 60
CAP. IV. *De Legatis.* 63

DISSERTATIO QUINTA.

De Synodis provincialibus, nationalibus, œcumenicis.

CAPUT I. *De variis Synodorum generibus.* 70
CAP. II. *De Synodis provincialibus.* 71
CAP. III. *De Synodis nationalibus.* 76
CAP. IV. *Cujus fuerit convocare illas Synodos.* 83
CAP. V. *De Synodis œcumenicis ſigillatim.* 87

DISSERTATIO SEXTA.

De ratione & ſubſcribendi & conſidendi in Conciliis.

CAPUT I. *Qui intererant Synodis.* 123
CAP. II. *De ſubſcriptionibus Epiſcoporum.* 124
CAP. III. *De ſubſcriptionibus Imperatorum, Regum, Cardinalium, Ducum, Abbatum, &c.* 128
CAP. IV. *De conſidendi ordine inter Epiſcopos.* 131
CAP. V. *De loci prærogativa inter Reges & Principes.* 134

PARS SECUNDA.

De Romana Sede.

DISSERTATIO PRIMA.

De inſcriptionibus & clauſulis quæ Romanorum Pontificum epiſtolis & præmitti & ſubjungi ſolent.

CAPUT I. *Quando Romani Pontificis nomen nomini eorum, quibus ſcribit, præponi cœptum eſt.* 148
CAP. II. *Quæ cognomina ſibi aſciverint Romani Pontifices.* 150
CAP. III. *Quæ cognomina Romani Pontifices aliis dederint.* 144
CAP. IV. *Unde Chriſtianiſſimi cognomen Francorum Regibus.* 157
CAP. V. *Unde Catholici cognomen Hiſpanis Regibus.* 160
CAP. VI. *Rex Gallus Chriſtianiſſimi; Hiſpanus, Catholici cognomen jure obtinent.* 162
CAP. VII. *De ſolemni formula*, Salutem & apoſtolicam benedictionem. 164
CAP. VIII. *Honorificæ appellationes datæ Romano Pontifici.* 167
CAP. IX. *Notæ temporis Romanorum Pontificum epiſtolis appoſitæ.* 174

Dies. 174
Conſules. 175
Annus Imperatoris. 176
Conſulatus Imperatorum. 177
Indictio. 180
Annus Incarnationis Dominicæ. 181
Annus Pontificis. 184

DISSERTATIO SECUNDA.

De provinciis & urbibus ditionis Pontificiæ.

CAPUT I. *De reditibus Romanæ Eccleſiæ ad Pipini Carolive Magni tempora.* 187
CAP. II. *Donatio Conſtantini verane ſit, an ficta.* 190
CAP. III. *Hiſtoria urbis Romæ à Conſtantino ad Carolum Magnum.* 198
CAP. IV. *Provinciæ Romanæ Sedi datæ à Francis Regibus.* 206
CAP. V. *Quando Romani Pontifices coronam geſtare, & Imperatori imponere cœperint.* 214
CAP. VI. *Hiſtoria urbis Romæ à Carolo Magno ad noſtram uſque ætatem.* 219
CAP. VII. *Urbes ditionis Pontificiæ, Spoletum, Mutinæ, Ferraria, Parma, Tuſcia Provincia.* 236. & ſeqq.

DISSERTATIO TERTIA.

Provinciæ Sedi Romanæ olim vectigales.

CAPUT I. *Anglia, Scotia, Hibernia.* 246
CAP. II. *Gallia non fuit vectigalis, ſed Britannia minor, Provincia, Avenio, Comitatus Venaſcinus, Valentinus & Dienſis.* 253
CAP. III. *Hiſpania, Tarraco, Aragonia, Luſitania.* 261
CAP. IV. *Regnum Neapolitanum, Sicilia, Sardinia, Corſica.* 268
CAP. V. *Dalmatia, Croatia, Servia ſive Raſcia, Boſna, Bulgaria.* 277
CAP. VI. *Hungaria, Polonia, Lithuania, Ruſſia.* 282
CAP. VII. *Bohemia, Saxonia, Bamberga, & Beneventum.* 289
CAP. VIII. *Dania, Norvegia, Suevia.* 291
CAP. IX. *Gerba, Inſulæ Cercinæ, Fortunatæ, Armenia.* 294

DISSERTATIO QUARTA.

De electione Romani Pontificis.

CAPUT I. *Ratio eligendi Romani Pontificis ſub Imperatoribus Romanis.* 298
CAP. II. *Sub Gothis Regibus.* 300
CAP. III. *Sub Imperatoribus Græcis.* 303
CAP. IV. *Sub Imperatoribus Francis.* 306
CAP. V. *Sub Imperatoribus Germanis.* 310
CAP. VI. *A tempore Lateranenſis I Synodi ad noſtram ætatem.* 316

DISSERTATIO QUINTA.

De Cardinalibus.

CAPUT I. *Cardinalium origo.* 322
CAP. II. *Presbyteri Cardinales.* 326
CAP. III. *Diaconi Cardinales* 327
CAP. IV. *Epiſcopi Cardinales.* 329
CAP. V. *Cardinalium Epiſcoporum ſedes.* 330
CAP. VI. *Varia Tituli vel Diaconiæ, &c. permutandæ ratio.* 333
CAP. VII. *Cardinalium numerus.* 335
CAP. VIII. *Cardinalium inſignia.* 336
CAP. IX. *Cardinalium dignitas.* 340

DISSERTATIO SEXTA.

De provincia Romani Metropolitani.

CAPUT I. *Italiæ diviſio.* 343
CAP. II. *Varia urbis Romæ adminiſtratio.* 344
CAP. III. *De provincia Romani Metropolitani variæ ſententiæ.* 346
CAP. IV. *Provincia Romana Capuam, reliquam Italiam & Siciliam complexa eſt.* 348
CAP. V. *Refelluntur quæ objici ſolent.* 352

PARS TERTIA.

Urbes Regni Neapolitani, Siciliæ ac Sardiniæ Metropolitanæ.

DISSERTATIO PRIMA.

Neapolis.

CAPUT I. *Regni Neapolitani multiplex diviſio.* 358
CAP. II. *Urbs Neapolis.* 360
CAP. III. *Reges Neapolitani.* 360
CAP. IV. *Quando ſedes Neapolitana inſtituta.* 369
CAP. V. *Neapolitani Epiſcopi.* 370
CAP. VI. *An duo olim Neapoli Epiſcopi, alter Latinus, alter Græcus.* 371
CAP. VII. *Quando Neapolis facta metropolis.* 375
CAP. VIII. *Neapolitani Archiepiſcopi.* 380
CAP. IX. *Epiſcopi Neapolitano Archiepiſcopo contributi.* 381

DISSERTATIO SECUNDA.

Capua.

CAPUT I. *Urbs Capua.* 383
CAP. II. *Capuani Principes.* 384
CAP. III. *Capuana ſedes inſtituta.* 386
CAP. IV. *Capuani Epiſcopi.* 387
CAP. V. *Capua facta metropolis.* 389
CAP. VI. *Capuani Archiepiſcopi.* 391
CAP. VII. *Epiſcopi Suffraganei.* 392
CAP. VIII. *Synodi Capuæ habitæ.* 393

DISSERTATIO TERTIA.

Surrentum, Teate, Lancianum, Compſa, Acheruntia, Amalphis, Salernum, Beneventum.

CAPUT I. *Surrentum.* 395
CAP. II. *Teate.* 398
CAP. III. *Lancianum.* 400
CAP. IV. *Compſa.* 400
CAP. V. *Acheruntia.* 401
CAP. VI. *Amalphis.* 403
CAP. VII. *Salernum.* 406
CAP. VIII. *Beneventum.* 406

DISSERTATIO QUARTA.

Barium, Nazareth, Sipontum, Tranium, Brunduſium, Hydruntum, Tarentum, Cuſentia, Roſſanum, Rhegium, Sancta-Severina.

CAPUT I. *Barium.* 414
CAP. II. *Nazareth.* 417
CAP. III. *Sipontum.* 418
CAP. IV. *Tranium.* 419
CAP. V. *Brunduſium.* 421
CAP. VI. *Hydruntum.* 423
CAP. VII. *Tarentum.* 424
CAP. VIII. *Cuſentia.* 426
CAP. IX. *Roſſanum.* 427
CAP. X. *Rhegium.* 428
CAP. XI. *Sancta-Severina.* 432

DISSERTATIO QUINTA.

Sicilia.

CAPUT I. *Reges Siciliæ.* 433
CAP. II. *Sicilia ſemper fuit Romani Patriarchatus.* 437
CAP. III. *Quandonam Sicilia à Patriarchatu Romano abſtracta.* 439
CAP. IV. *An fuerit in Sicilia ante nonum ſæculum aliqua metropolis.* 442
An Syracuſæ metropolis ante nonum ſæculum. 442
An Panormus metropolis fuerit ante nonum ſæculum. 445
An Meſſana metropolis ante nonum ſæculum. 448
CAP. V. *Panormus.* 450
CAP. VI. *Meſſana.* 455
CAP. VII. *Mons-Regalis.* 460

CAP.

CAP. VIII. *Epiſcopatus Siciliæ.* 461

CAP. IX. *Monarchia Siculæ.* 464

DISSERTATIO SEXTA.

Sardinia.

CAPUT I. *Brevis Sardiniæ hiſtoria.* 468

CAP. II. *A quibus Sardi fidem Chriſtianam acceperint.* 470

CAP. III. *An Calaritanus Epiſcopus olim fuerit totius Inſulæ Metropolita.* 472

CAP. IV. *An Calaritanns Epiſcopus ſit Primas Sardiniæ.* 476

CAP. V. *An Piſanus Archiepiſcopus ſit Primas Sardiniæ.* 479

CAP. VI. *Archiepiſcopi Calaritani.* 483

CAP. VII. *De ſede Turris Libiſſonis.* 486

CAP. VIII. *De ſede Arborenſi.* 490

SUMMA PRIVILEGII
Regis Chriſtianiſſimi.

DIPLOMATE Regio, dato in villa Cavillæa, die 30. Julii 1683. ſubſcripto, LE PETIT, & relato in Acta Typographorum & Bibliopolarum Pariſienſium, die ſeptima Auguſti 1683. cautum eſt, ne quis in hoc Regno typis excudat aut divendat Librum, cui titulus eſt, *Metropolitanarum Urbium Hiſtoria Civilis & Eccleſiaſtica Tomus Primus, in quo Romanæ Sedis dignitas, & Francorum Regum in eam merita explicantur, autore P.* CANTEL *è Societate Jeſu*, intra ſexennium à die Editionis abſolutæ computandum, abſque conſenſu STEPHANI MICHALLET, Typographi ac Bibliopolæ Pariſienſis. Qui ſecus fecerit, mulcta ei indicta, prout ampliùs in ipſo Diplomate Regio continetur.

Abſoluta fuit hæc Editio die 1. *Julii* 1684.

Permiſſio R. P. Provincialis.

EGo infrà ſcriptus Provincialis Societatis JESU in Provincia Franciæ, permitto, ut PETRUS JOSEPHUS CANTEL ex eadem Societate, in lucem edat Librum, qui inſcribitur *Metropolitanarum Urbium Hiſtoria Civilis & Eccleſiaſticæ Tomus Primus, in quo Romana Sedis dignitas, & Imperatorum ac Regum, maximè Francorum, in eam merita explicantur.* Pariſiis die 10. Decembris anni 1683.

CLAUDIUS COLLET.

ORBIS

ORBIS ROMANI
ET CHRISTIANI
IN SUAS TUM DIOECESES, TUM PROVINCIAS
DESCRIPTIO.

CUM eadem propè fuerit Eccleſiæ, quæ Imperii Romani in varias provincias deſcriptio; operæ pretiumeſt, brevem hoc loco utriuſque notitiam præmittere: ex qua, quæ fuerit utriuſque regendi ratio; quot diœceſes; quot provinciæ; qui fines, quivis faciliùs intelligat. Nec tamen ea propoſita mihi eſt Imperii Romani diviſio; quâ & in regiones Italia, & reliquum Imperium in provincias ab Auguſto tributum eſt: necdum enim Chriſtiana res adoleverat, & hæc diviſio ab eccleſiaſticis provinciis nimio plus diſſidet. Illam breviter perſequor, quâ cùm Italia, tum regiones cæteræ, & in diœceſes, & in provincias à Conſtantino Magno deſcriptæ ſunt. Tum enim, cùm Romana res & Chriſtiana ſumma pace floreret; iidem propè provinciæ cujuſque eccleſiaſticæ fines, qui Romanæ. I. Diviſio Orbis Romani & Chriſtiani ferme eadem.

Ab Auguſto ad Probi Imperatoris tempora, qui Orientalis aut Occidentalis Imperii meminerit, niſi falſus ſum, reperias neminem: ea enim Orbis Romani partitio à Probo & Floriano primùm deſignata; deinde à Galerio & Conſtantio Chloro aliquantò pòſt inchoata, à Conſtantino Magno perfecta tandem eſt; quæ ſubinde à Valentiniano & Valente, ab Arcadio & Honorio renovata fuit. Non iidem tamen utriuſque limites ſemper fuerunt: Illyricum primò II. Imperii Romani in Orientale & Occidentale.

ceſſit Occidentali Imperio, tum ſub Gratiano aut Theodoſio in duas partes diſtractum eſt, quarum altera Occidentali contributa eſt, Orientali altera. Sed de his aliàs uberiùs.

III. Imperii Romani in diœceſes & provincias. In Orientali Imperio duo erant Præfecti Prætorio; alter Orientis, alter Illyrici: in Occidentali totidem; unus Italiæ, alter Galliarum. Sub diſpoſitione Præfecti Prætorio per Orientem diœceſes quinque, Oriens, Ægyptus, Aſia, Pontus, Thracia; duæ ſub diſpoſitione Præfecti Prætorio per Illyricum, Macedonia & Dacia. Sub diſpoſitione Præfecti Prætorio per Italiam tres, Italia, Illyricum, Africa: totidem ſub diſpoſitione Præfecti Prætorio Galliarum, Hiſpania, ſeptem Provinciæ,(hoc eſt, Gallia) & Britannia: ita diœceſes Imperii Orientalis ſeptem, Occidentalis ſex; utriuſque tredecim: Orientalis provinciæ ſexaginta; Occidentalis quinquaginta octo. Ut Præfecti Prætorio multis diœceſibus præerant; ita ſingulis ſinguli Vicarii, & provinciis ſingulis Præſides, Comites, Proconſules, Correctores; ſingulis etiam urbibus Judices, Defenſores, Decuriones. Duo ſunt tamen, quæ monuiſſe hoc loco non pigebit: unum, tres fuiſſe diœceſes, quæ nulli ſuberant Vicario, Orientem, Ægyptum, Africam; Oriens parebat Comiti, Ægyptus Præfecto Auguſtali, Proconſuli Africa: alterum, duos fuiſſe Proconſules provinciarum Aſiæ & Achaiæ, nulli Vicario ſubditos. Ille, cujus ſedes Epheſus, Præfecto Conſtantinopolis; hic, cujus ſtatio Corinthus, Præfecto Illyrici ſuberat.

IV. Orbis Chriſtiani in diœceſes & provincias. Ad Imperii typum conformata Eccleſiæ regendæ ratio fuit, idemque ferè & diœceſeωn & provinciarum numerus. Ægyptus Epiſcopo paruit Alexandrino; Antiocheno Oriens; Aſiana diœceſis Epheſino, Pontica Cæſarienſi, Heracleenſi Thracia, Theſſalonicenſi Illyricum, Italia Romano Pontifici, Carthaginenſi Africa, Gallia primùm Treverenſi, deinde Arelatenſi, denique pars maxima Lugdunenſi; Cantuarienſi Anglia, Hiſpania vel Hiſpalenſi, vel Toletano. Et quemadmodum unus interdum utrique Imperio Imperator præerat; ita utriuſque veluti Eccleſiæ, tum Græcæ, tum Latinæ, provincias omnes regebat Romanus Pontifex, ut Patriarcha univerſalis & Papa.

V. Magiſtra- Unde quis non temere contulerit Eccleſiæ Præſules cum

Imperii Magiſtratibus. Nam Imperatori reſpondebat Romanus Pontifex, Patriarchæ Præfectis Prætorio, Primates Vicariis, Præſidibus Metropolitani, & cujuſque civitatis Judicibus Epiſcopi. Sicut verò à Conſularibus & Præſidibus ad Vicarios, à Vicariis ad Præfectos Prætorio appellationis jus erat; ita ab Epiſcopis ad Metropolitanos, ab his ad Primates, à quibus ad Patriarchas provocatum eſt. Ne quis ea tamen à me ita dicta putet, quaſi ad Imperii formam efficta penitus ſit Eccleſiæ politia, & eædem fuerint eccleſiaſticæ provinciæ, quæ civiles. Alia enim aliis temporibus provinciarum diviſio fuit, & provincia eadem modò anguſtis fuit, modò latioribus definita terminis. Unius exemplo de cæteris conjectura fieri poterit. In Italia una provincia eccleſiaſtica, ut Mediolanenſis, ut Romana, civiles multas olim complexa eſt; nunc verò una civilis multas eccleſiaſticas continet. tibus Imperii reſpondent Eccleſiæ Præſules.

Quid Diœceſis, Provincia, Parœcia?

HUjus vocis, *Diœceſis*, non una apud omnes acceptio eſt. Ab Afris Hiſpaniſque Epiſcopis olim uſurpata eſt pro territorio, ut loquuntur, epiſcopali, ubi erant oppida contributa metropoli; ut videre eſt in Africanis & Toletanis Synodis. Sumitur ab aliis pro ἐπαρχία ſive provincia, in qua multi Epiſcopi pareant uni Metropolitano: ita Hincmarus ad Nicolaum Papam. Sunt etiam qui hoc nomine intelligant provincias illas omnes, quæ ad unum Patriarcham pertinent; ſive ſint reipſa plures diœceſes civiles, ſive una, ſive unius portio: ita Synodus Calchedonenſis & Juſtinianus. Nunc vulgò accipitur pro Epiſcopi unius ditione, quæ Parœcia olim dicebatur; quæ in oppida, pagos, titulosque Preſbyterorum diviſa eſt. I. Diœceſis multiplex acceptio. *Act.* 10. *Novellâ* 123.

Alia tamen huic voci notio ſubeſt, eaque maximè propria, quâ ſumitur pro multarum provinciarum tractu, quem à Viro Spectabili adminiſtrari olim moris erat. Ut enim ex multis pagis una civitas, ex multis civitatibus una provincia; ita ex multis provinciis una Diœceſis exiſtebat, cui nec Illuſtris præerat, nec Clariſſimus, ſed Spectabilis. Cùm II. Notio propria.

enim aliud fuerit diœceſim unam regere, aliud diœceſibus multis præeſſe, aliud provinciæ; erant tres Magiſtratuum gradus: Clariſſimi, qui provincias regebant ſingulas; Spectabiles, qui diœceſim integram; Illuſtres, qui multarum diœceſeon tractus.

III. Unde vox iſta, *Parochia*. Notionem hujus vocis, *Parochia*, alii aliunde repetunt. Sunt qui dictam velint, quòd multi ſint ejuſdem Eccleſiæ, vel conſortes, vel vicini: ita Fileſacus. Alii, quòd hîc ſimus, quaſi inquilini, non verò municipes, ut placuit Valeſio. Alii, quibus ego libentiùs aſſenſerim, quòd primis naſcentis Eccleſiæ temporibus Chriſtiani, non in urbibus, ſed in earum viciniis conventus ſuos agerent, ut viſum eſt Sirmondo & Cangio. Parochiæ enim nomen non urbanarum, ſed ruſticarum olim Eccleſiarum fuit; unde Parochiam civitati opponi in c. 21. Synodi Agathenſis legere eſt. Ut ut eſt, olim Parochia, quàm ætate noſtra, latiùs patebat: erat enim integra unius Epiſcopi ditio, nunc vel Preſbyteri, vel Parochi.

IV. Notio Provinciæ. De Provincia quod addam, nihil ferè eſt. Qui enim, quid ſit diœceſis, quid parœcia, noverit; is non hærebit in Provincia, quæ inter utramque media, multas parœcias, ſive epiſcopatus, modò plures, modò pauciores continebat; ut multas provincias diœceſis. Sicut verò parœciæ Epiſcopus præerat, & diœceſi Primas; ita Provinciæ Metropolita. Nec certi ſemper ſtatique Provinciæ cujuſque limites fuerunt; ſed una ſæpe in duas tréſve Provincias pro Imperatorum arbitrio diſtracta eſt: exemplo ſint, ut à pluribus abſtineam, Cappadocia & Phrygia, quarum utraque, cùm una priùs eſſet Provincia, triplex deinde extitit.

V. Quinam Orbi Chriſtiano præerant. Ut paucis complectar, ex multis hujuſmodi, ſive pagis, ſive oppidis exiſtebat Pagocivitas, ſive Metrocomia; ex multis pagocivitatibus, ſi urbem addideris, Civitas; ex multis civitatibus Provincia, ex multis provinciis Diœceſis; ex multis diœceſibus & Romanus & Chriſtianus Orbis. Pagos regebant Parochi, pagocivitates interdum Chorepiſcopi, Epiſcopi civitates, provincias Metropolitani, Primates diœceſes, multarum diœceſeon tractum Patriarchæ, Orbem univerſum Romanus Pontifex.

PARS PRIMA

PROLEGOMENA.

DISSERTATIO PRIMA.

De vocibus quæ ad Eccleſiæ adminiſtrationem pertinent.

IN ea, quam ſcribimus, Hiſtoria voces occurrent multæ, quæ Lectori vel errorem objicient, vel moleſtiam, niſi, quæ cuique notio ſubjecta ſit, cognoverit: fuit enim cujuſque alius aliis temporibus uſus. Earum verò duplex genus eſt: aliæ ad Eccleſiæ, aliæ ad Imperii politiam pertinent. Quare voces illas duplici Diſſertatione explicabimus: altera ſacras, hoc eſt, quæ Hiſtoriam eccleſiaſticam ſpectant, complectetur; profanas altera. E ſacris paucas illas quidem, ſed præ cæteris nobiles ſelegimus. Sunt omnino quinque, *Papa*, *Patriarcha*, *Exarchus* ſive *Primas*, *Archiepiſcopus* ſive *Metropolita*, & *Epiſcopus*. De ſingulis ſingula erunt capita.

CAPUT I. — PAPA.

Papa.

I. *Papæ nomen unde deductum.*

DUPLEX eſt de voce illa *Papa* apud Eruditos opinio. Sunt, qui eam geminam eſſe velint, ita ut idem ſit *Pa. Pa.* quod Pater Patrum; ideoque tribui ſolitam Romano Pontifici. At ii opinione ſua quàm falſi ſint, cùm ex

PAPA. multis perantiquis inſcriptionibus intelligere eſt, tum maximè ex ea quæ Epiſtolæ Concilii Epiri ad Hormiſdam præfixa eſt, epigraphe, quam hîc, quia rem, qua de agitur, conficit, adſcribere non pigebit: *Synodus veteris Epiri, Ioannes, Matthæus, &c. Domino noſtro per cuncta ſanctiſſimo & beatiſſimo Patri Patrum, Comminiſtro ac Principi Epiſcoporum Hormiſdæ Papæ.* Cùm in eadem inſcriptione, eaque perbrevi, Hormiſdas & *Pater Patrum* dicatur & *Papa*, quis non videt utrique voci diverſam ſubeſſe ſignificationem? Quod paucioribus etiam verbis nos docent Dardaniæ Epiſcopi: *Domino ſancto apoſtolico & beatiſſimo Patri Patrum Gelaſio Papæ urbis Romæ humiles Epiſcopi Dardaniæ.*

II. Commune Clericis & Epiſcopis omnibus.

Alii nomen *Papæ*, quòd ego verius putem, deducunt à voce Græca πάππας, quæ idem ſonat, quod apud nos *Pater*: ideoque & Viris Illuſtribus, & Clericis potiſſimùm, ſive ob virtutem, ſive ob canitiem, honoris ergò attributum. Poſtea tamen cœpit eſſe Epiſcoporum ita peculiare, ut ii ſoli dicerentur *Papæ*, qui Epiſcopi: cujus rei locupletes & idoneos autores habemus, Cyprianum, Hieronymum, Auguſtinum, & alios aliis temporibus; è quibus exempla proferre, & longius ſit, & ut in re certa, inutile.

III. Proprium primò Patriarchis.

Nomen illud Epiſcopis hactenus commune, uni Romano Pontifici tanquam proprium, omnium princeps, ut videtur, aſſeruit Ennodius. Cùm enim Epiſcopos cæteri ferè, qui ejus ævo proximi ſunt, *Papas* appellare ſoleant; ipſe reliquarum Eccleſiarum Præſules vocat *Epiſcopos*, *Papam* verò unum Romanæ Sedis Antiſtitem, ſive cùm illi ſcribit, ſive cùm de illo agit apud alios. Eadem poſt Ennodium ſignificatione hanc vocem uſurpavit Caſſiodorus: Avitus verò Viennenſis non Epiſcopis illud quidem, ſed Patriarchis tribuit omnibus, eo tamen diſcrimine, ut ſi loquatur de Græcis, urbis, cui illi præſint, nomen addat; ſi de Romano, non item: quòd illorum poteſtas certis regionibus, hujus verò nullis eſſet terminis definita. Illorum exemplo Liberatus, ubi agit de Agapeto & Sylverio, vocabulo *Papæ* ſemper utitur: *Agapetus Papa ordinatur. Papæ & Senatui Romano ſcribens Rex, &c.* Dum Sylverii deſcribit exilium, loquentem inducit his verbis Patarenſem Epiſcopum: *Multos*

eſſe dicens in hoc mundo Reges, & non eſſe unum, ſicut ille Papa eſt ſuper Eccleſiam mundi totius. PAPA.

Neque omnes tamen ſive Ennodii, ſive Aviti poſtea exemplum ita ſecuti ſunt, quin permulti, tum Italiæ, tum aliarum maximè regionum Scriptores, non Romæ ſolùm, ſed cæterarum etiam civitatum Præſules *Papas* appellarint. Uſus tamen obtinuit ſenſim, aut nono ſæculo exeunte, aut ineunte decimo, ut *Papa* nomen nec Epiſcopis, nec Patriarchis, ſed uni Romano Præſuli vulgò tribueretur. Cùm verò Schiſmatici in odium Epiſcopi Romani illud ſibi injuriâ vindicarent, anno Chriſti MLXXIII. in Synodo habita Romæ à Gregorio VII. ſancitum eſt, ne quis, aut ſibi ipſe, aut alteri, *Papa* nomen adſcriberet; ſed unius eſſet in orbe univerſo ſummi Pontificis. Unde ea vox deinceps uſurpata eſt honoris ergò adverſus eos tantùm, quorum ſumma penè erat in ſua diœceſi autoritas. Ita Anſelmus Cantuarienſis, teſte Gervaſio Dorobernenſi, ab Urbano II. *alterius orbis Papa* dictus eſt; & Gerardus Engoliſmenſis in Aquitania legatus à Goffrido Abbate, quòd plura ſibi, quàm par erat, arrogaret: *Quaſi alterum Papam vos feciſtis.*

IV. Deinde uni Romano Pontifici.

CAPUT II.

PATRIARCHA.

Patriarcha.

PATRIARCHA non dicitur is, qui ſit πατρίας ἔξαρχος, id eſt, rector diœceſis, quod Salmaſio viſum eſt: nec etiam ἐπαρχία, nec πατρία, Patriarchis nomen fecit; ſed πατριὰ, hoc eſt, tribus, & familia. Quis enim neſciat in ſacris Literis eos, qui cujuſque, aut tribûs, aut familiæ Principes erant, & quos Hebræi linguâ ſuâ *primos Patres* appellabant, à Græcis Interpretibus πατριάρχας, fuiſſe & ἀρχιπατριώτας nuncupatos? Unde 1. Paralip. c. 9. legere eſt: οἱ ἄρχοντες πατριῶν πατριάρχαι.

I. PATRIARCHÆ nomē unde ſumptum.

Primum igitur nomen illud datum eſt iis, à quibus populus Dei & propagatus eſt, & in Lege tum naturali, tum Moſaïca eruditus; deinde dum Chriſtiana res adoleſceret,

II. Proprium Judæorum Sacerdotibus & Principibus.

PATRIARCHA.

Judaïcæ ſectæ Principibus: erant enim poſt Templi excidium & Alexandriæ, ſi Vopiſco credimus; & Tiberiade, ut autores ſunt, Origenes apud Hieronymum, & Epiphanius, Judæorum Patriarchæ; quorum hæc jura fuiſſe memoriæ proditum eſt: à Judæis ubi ubi eſſent, aurum coronatum per Apoſtolos exigere; Primates imponere provinciis; de litibus inter Judæos ortis cognoſcere, eamque dignitatem hereditario jure tranſmittere ad poſteros. Hi duo Patriarchæ, ſed Alexandrinus potiſſimùm, *Spectabiles*, *Clariſſimi*, & *Illuſtres* ab Imperatoribus interdum vocitati: donec anno Chriſti circiter CCCC. & à Theodoſio Juniore in Oriente, & in Occidente ab Honorio poteſtas omnis ſublata illis eſt, collectumque ab Apoſtolis vectigal Imperatoris ærario addictum.

III. A Judæis ad Chriſtianos derivatum.

III. Ab illis Judæorum tum antiquis, tum recentioribus Patriarchis in Eccleſiam vox illa deducta eſt; & ad eorum exemplum *Patriarchæ* dicti ſunt Principes Epiſcopi, earum in primis ſedium, ex quibus ad cæteras Chriſtiana Religio propagata eſt, ut Romanæ, ut Antiochenæ, ut Alexandrinæ: quoniam inter Eccleſias olim, cur una alteri aut præeſſet, aut ſubeſſet, hæc maxima ratio fuit. Summa enim religione ſervatum eſt, ut quæ ab aliis prima fidei ſemina ſuſceperant, hæ illarum ductu regerentur, has illæ tanquam à ſe inſtitutas ſuo ſibi jure vindicarent. Hinc Primatum & Patriarcharum edita diſtinctio: inde Alexandrinus toti Ægypto præfuit; inde Antiochenus Orienti, & Occidenti univerſo Romanus. Sed de his aliàs pluribus.

IV. Qui & quot veri Patriarchæ.

IV. Hiſce tribus Patriarchis duo aliquanto pòſt Hieroſolymitanus, & Conſtantinopolitanus additi; illi tres Palæſtinæ attributæ, huic tres diœceſes, Pontica, Aſiana, & Thracica: ut quemadmodum corpus humanum quinque ſenſuum organis; ita Eccleſia quinque Patriarcharum autoritate & nutu regeretur: iis tamen nec idem honor habitus eſt, nec idem jus fuit, ut Patriarchæ dicerentur. *Deſideratis noſſe*, inquit Nicolaus I. *quot ſint veraciter Patriarchæ: veraciter ſunt illi Patriarchæ, qui ſedes Apoſtolicas per ſucceſſiones Pontificum obtinent .·.·. Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam .·.·. Conſtantinopolitanus autem & Hieroſolymitanus Antiſtites*,

Reſponſ. Bulg. c. 92.

ſtites, licèt dicantur Patriarchæ, non tantæ tamen autoritatis, PATRI-
quantæ ſuperiores exiſtunt. ARCHA.

Duo illc, niſi falſus ſum, requirit, ut quis, & dicatur, & ſit verus Patriarcha: unum, ut illius ſedes ab Apoſtolis, vel eorum diſcipulis inſtituta ſit; alterum, ut ipſe, vel uni præſit diœceſi, vel pluribus. Primum defuit Conſtantinopolitano Præſuli, Hieroſolymitano alterum. Integram obtinuit diœceſim Patriarcha, tum Alexandrinus, tum Antiochenus: ille Ægyptum, hic Orientem; partem unius tantùm Hieroſolymitanus; multas ſimul & Conſtantinopolitanus, & Romanus, qui eo longè præſtat cæteris, quòd regat, & plures diœceſes, ut Patriarcha; & univerſam Eccleſiam, ut Summus Pontifex. Unde in Calchedonenſi Synodo ſancto Leoni acclamatum, *Leoni Patriarchæ*. Licèt ii quinque ſæpe vocarentur *Patriarchæ*; uſus tamen obtinuit apud Græcos, poſterioribus potiſſimùm ſæculis, ſi Balſamoni credimus, ut Pontifex Romanus ſæpius diceretur *Papa*; Conſtantinopolitanus, *Patriarcha œcumenicus*; Antiochenus, *Patriarcha*; Alexandrinus, *Archiepiſcopus*.

V. Quæ requiruntur ut quis ſit verus Patriarcha

In Meditat. de Græcis Patriarch.

Non ita tamen peculiare fuit harum quinque ſedium Epiſcopis *Patriarchæ* nomen; quin aliis etiam interdum, ſive Primatibus, ſive Metropolitanis, tum apud Græcos, tum apud Latinos delatum ſit; eaque notione, & à Socrate & à Juſtiniano in Novellis uſurpatur; quorum ille diœceſes Ponticam, Aſianam, Thracicam, πατριαρχίας; hic verò illorum Primates πατριάρχας ἑκάστης διοικήσεως appellat: qui alludit, opinor, ad decretum illud Calchedonenſis Synodi, quo jubentur πατριάρχαι ἑκάστης διοικήσεως unum aut alterum ſibi Epiſcopum ex ſua quiſque diœceſi ad componendam fidei formulam adſciſcere. Non eodem tamen illi jure, quo alii quinque, *Patriarchæ* dicti ſunt: quod Juſtinianus ipſe tum ubique paſſim nos docet, tum maximè Novellâ 123. *Jubemus*, inquit, *ut Archiepiſcopi & Patriarchæ, hoc eſt, ſenioris Romæ, Conſtantinopolis, Alexandriæ, Theopolis, & Hieroſolymorum, in ordinatione ſua ea ſolùm præbeant, quæ præberi mos eſt.* Illi etiam Gregorius Magnus conſenſiſſe videtur, dum de electione ſua, ut moris erat, ad quatuor ſcribit Patriarchas, præterea nemini.

VI. PATRIARCHÆ nomen cómunicatum pluribus apud Græcos.

L. 5. c. 8.

L. 1. Ep. 24.

PATRIARCHA. VII Communicatum pluribus apud Latinos.
L. 5. c. 20.
L. 2. c. 12.

Apud Latinos *Patriarchæ* nomen diu Romani Epiſcopi proprium fuit; nobilium tandem civitatum Metropolitani, quod tamen quàm apud Græcos, & rariùs & ſeriùs factum eſt, *Patriarchæ* appellati ſunt, ut Nicetius Lugdunenſis à Gregorio Turonenſi, ut Honoratus Mediolanenſis, & Paulinus Aquilegienſis à Paulo Diacono, ut Rodulphus Bituricenſis à Nicolao I. Papa. Cur verò nomen illud in Occidente aliis quàm Romano Præſuli datum ſit; duplex potiſſimùm cauſa perhibetur: una, quòd vim eamdem huic voci ſubeſſe, quæ *Archiepiſcopi* vocabulo, crederetur; altera, quòd Iſidorus in Decretalibus Pontificum Epiſtolis, ſive veris ſive fictitiis, *Patriarcham* & *Primatem* confundere viſus ſit; dum jubet, ut, qui plùribus præeſt provinciis, is, vel *Primas*, vel *Patriarcha* appelletur. Eo tamen nomine illis Metropolitanis nihil aut poteſtatis aut juris collatum eſt; quare non eadem eorum dignitas erat, quæ Græcorum quatuor, de quibus ſuprà diximus: hi enim Romano Pontifici ſuberant tantùm, ut Papæ; illi verò, ut & Papæ & Patriarchæ.

CAPUT III.

Exarchus ſive Primas.

EXARCHUS ſive PRIMAS, 1. EXARCHI notio multiplex.

MULTIPLEX fuit, & apud Græcos *Exarchi*, & apud Latinos *Primatis* acceptio: à Græcis enim *Exarchi* nomen datum eſt, & Patriarchis paſſim & Metropolitanis; quòd primas tenerent ſedes, illi diœceſeon, hi provinciarum. Inde & Domnus Antiochenus in Antiochena Synodo, & in octava generali Thomas Metropolita Tyri dicuntur *Exarchi*. Deinde conceſſum etiam eſt iis, qui ne Epiſcopi quidem erant; ut, & Chorepiſcopis, qui multis oppidis præerant, Hermenopulo teſte, & Monachis, qui multis Monaſteriis, ut autor eſt Balſamon. Poſterioribus denique ſæculis *Exarchi* etiam dicti ſunt ii, qui in provincias à Patriarcha mitti ſolent, ad colligendam eam pecuniæ vim, quâ tributum annuum, χαράτζιον vocant, Turcarum Imperatori perſolvatur. Apud Latinos *Primatis* appellatio intra

Epiſcoporum ordinem ſtetit: is enim Primas interdum nuncupatus, maximè in Gallia, qui aut honoris ævo comprovinciales antecedebat Epiſcopos, ut Conſtantinus Uceticæ civitatis ab Hilaro Papa; aut urbi præerat, quæ in Notitia provinciæ ſecundo erat à Metropoli loco deſcripta, ut Catalaunum in Belgica ſecunda, & in tertia Lugdunenſi Cenomanum.

EXARCHUS ſive PRIMAS.

II. Propria acceptio.

Communis alia eſt, & *Exarchi*, & *Primatis* notio, eaque germana, & cæteris multò antiquior, quâ *Exarchus* ſive *Primas*, is dicitur, qui, nec unam regit civitatem, ut Epiſcopus; nec unam tantùm provinciam, ut Metropolita; ſed multas ſimul, non civiles modò, ſed etiam eccleſiaſticas, ſive integra eſſet diœceſis, ſive ſecus. De his Primatibus hîc nobis agendum eſt, de aliis aliàs, ut videbitur.

III. Exarchi dignitas apud Græcos data primò tribus tantùm.

Primùm quidem apud Græcos tres tantummodo fuerunt *Exarchi*, quorum ſinguli propriam adminiſtrabant diœceſim, eamque integram; Cæſarienſis Ponticam, Aſianam Epheſinus, & Heracleenſis Thracicam. Sicut enim Alexandrinus & Antiochenus Exarchi habiti ſunt, quòd ille Ægypti, hic Orientis provinciæ præſideret; ſic iſti non aliunde *Exarchi* dicti ſunt, quàm quòd in diœceſeωn ſuarum provinciis jus conſimile, quòd Evagrius πατριαρχικὸν δίκαιον appellat, obtinerent. Illud tamen *Exarchos* inter & *Patriarchas* intererat, quòd illorum non eadem eſſent πρεσβεῖα, quæ Patriarcharum.

IV. Deinde antiquis Metropolitanis.

Ubi verò omnia ferè Exarchorum jura, ut formatarum, ut ordinandi Metropolitas, ut Synodi ex multis provinciis convocandæ, & alia id genus, ad Conſtantinopolitanum Epiſcopum tranſlata ſunt, vix nudum illis *Exarchorum* nomen relictum eſt; quod, licèt antiquo ſplendore deſtituti, ad ultima uſque tempora retinuerunt. Inclinata deinde vetere diſciplina factum eſt, ut pro Principum arbitrio, plures in ſingulis provinciis inſtituti ſint Metropolitæ: inde *Exarchi* nomen honoris cauſâ uni præcipuè tributum, qui veterum Exarchorum exemplo, reliquorum in eadem provincia veluti princeps & caput eſſet.

Denique meris Epiſcopis. Quid inter illos diſcriminis.

Dum verò & Imperii, & Eccleſiæ majeſtas in Græcia ſenſim dilabitur, inanis *Exarchi* titulus non iis tantùm datus

EXARCHUS ſive PRIMAS.

eſt, qui veri & antiqui fuerant Metropolitæ, ut Ancyrano ut Synnadenſi; ſed iis etiam, qui aut nullis præerant Epiſcopis, ut Calchedonenſi & aliis permultis; aut meri antea erant Epiſcopi, ut Lacædemonis, & Monembaſiæ, quorum ille Patrarum fuerat, hic Corinthi Suffraganeus: uterque tamen, & *Metropolita* factus eſt, & *Exarchus*. Ut eſſet, unde veteres Exarchi amiſſam dignitatem quoquo modo ſolarentur, iis vacui honoris tituli pro antiqua poteſtate conceſſi ſunt: Heracleenſis enim πρόεδρος τῶν ὑπερτίμων καὶ ἔξαρχος; Cæſareenſis & Epheſinus, ὑπέρτιμος τῶν ὑπερτίμων καὶ ἔξαρχος nuncupati ſunt: cùm cæteri aſcititii ὑπέρτιμοι καὶ ἔξαρχοι tantummodo vocarentur.

VI. Qui Primates apud Romanos.

Ut apud Græcos, ita etiam apud Latinos diverſa Primatum & acceptio fuit, & poteſtas: alii enim jam à primis temporibus integram regebant diœceſim, ut & Romanus Italiam, & Carthaginenſis Africam, & multo pòſt Hiſpaniam Toletanus. Alii verò diœceſis tantùm parti præerant; ut Lugdunenſis & Bituricenſis certis quibuſdam Galliæ provinciis: & ætate noſtra, quod antea factitatum nuſquam legitur, *Primates* dicuntur multi, quorum juriſdictio tum primatialis tum metropolitana iiſdem eſt terminata finibus. Sed illorum diſpar eſt ratio. Sunt enim, qui nullis unquam præfuerint Metropolitanis, ut Rotomagenſis: ſunt qui olim multis, nunc nullis; ſed eorum alii ſuos habent, ut vocant, *Officiales:* quorum alter Metropolitani jure, alter Primatis judicet; ita ut à priori ad poſteriorem provocetur, ut Bituricenſis: apud alios verò idem eſt judex Primatis, qui Metropolitæ.

VII. Apud Africanos.

In Africa tot erant *Primates*, quot provinciæ. Provinciam quiſque ſuam adminiſtrabat: Carthaginenſi patebant omnes. Illorum jura eadem fuerunt, quæ apud alias gentes Metropolitanorum. Inter illos tamen & Metropolitas hoc intererat, quòd metropoles ſtatæ & fixæ ſemper erant; primæ autem ſedes in Africa deſultoriæ, & nunquam ferè eædem, ſed nunc hæ, nunc illæ; cùm Metropolitanum ipſa metropolis faceret, primam ſedem ipſe Epiſcopus: nec enim urbi, ſi Carthaginem exceperis, ſed ætati & ordinationis prærogativæ addicta fuit Primatis dignitas: quò quiſque antiquior in

provincia Epiſcopus, is eò Primatui vicinior; ille demum *Primas*, qui omnium antiquiſſimus. Satis ſit hoc loco hæc delibaſſe leviter, quæ poſtea nobis erunt explicanda pluribus.

CAPUT IV.

Archiepiſcopus.

ARCHIEPISCOPUS.

I. ARCHIEPISCOPUS quis primus dictus eſt. Varia illius vocis acceptio.

ARCHIEPISCOPI nomen ab Alexandrinis Patriarchis, ut autor eſt Eutychius in Originibus, primùm uſurpari cœpit. Cùm enim, naſcente Eccleſia, ſoli eſſent in tota Ægypto Epiſcopi, creatis aliquantò pòſt aliis, quò cæteris, ut re, ita nomine præſtarent, *Archiepiſcopi* appellari voluerunt. Primus, quod ſciam, hanc vocem adhibuit Athanaſius, deinde Concilia, tum Epheſinum, tum Calchedonenſe: in illo enim & Celeſtinus Papa, & S. Cyrillus; in hoc verò S. Leo ſæpe dicuntur *Archiepiſcopi*. Ea vox tamen apud Græcos aliter ab aliis accipitur. Petrus Antiochenus in ea, quam ad Dominicum Gradenſem ſcripſit, Epiſtola, *Archiepiſcopum* ita diſtinguit à Metropolita, ut hunc provinciæ tantùm, illum verò aut diœceſi integræ, aut diœceſeωs parti exarchico jure præeſſe velit. Balſamoni verò longè viſum eſt ſecus, qui vult alterum ab altero in eo differre, quòd is propriè eſſet *Metropolita*, qui multis præerat Epiſcopis; *Archiepiſcopus*, qui nullis, licèt Epiſcopis eſſet & dignitate ſuperior, & gradu. Ita quidem illi. *Apol.* 2.

II. Quis apud Græcos veteres.

Ii, ne alteruter falſus ſit, ita inter ſe conciliandi ſunt. Duplex fuit apud Græcos *Archiepiſcopi* notio; prima uſurpata ſæpius prioribus ſæculis, poſterioribus altera. Qui multas ſuo nutu regebant provincias, ii, quò ab aliis ſecernerentur, *Archiepiſcopi* ſæpe appellati ſunt, ſive *Patriarchæ* eſſent, ſive *Exarchi*: unde in Conciliis eum honoris titulum Alexandrino, Antiocheno, Conſtantinopolitano, Epheſino, aliiſque Primatibus datum legere eſt. Plures illis ſuberant Metropolitæ, quorum ſinguli ſingulis præſidebant provinciis. Primatibus haud abſimiles erant *Archiepiſcopi* & Seleuciæ & Æthiopiæ, quorum uterque, & *Catholicus* dictus eſt,

ARCHIEPISCOPUS.

& multis præerat Metropolitis; ſed ille Antiocheno parebat Patriarchæ, hic Alexandrino. Alter poſtea inductus eſt *Archiepiſcoporum* ordo, qui priori nomine quidem ſimilis erat, re verò multò inferior: cùm ii nec provincias haberent, nec Suffraganeos Epiſcopos; ſed nudo nomine, honoris cauſâ, *Archiepiſcopi* dicerentur.

III. Quis apud recentiores.

Quod qua de cauſa factum ſit, paucis exequar. Paulò ante Concilium Calchedonenſe nonnullis Epiſcopis indulſerat Theodoſius Junior, *ut Archiepiſcoporum juribus deinceps uterentur. A Metropolitanis, quibus id ægrè fuerat, delata ad Synodum cauſa eſt; Synodus jura illa ex conſenſu judicum rata eſſe vetuit: ne illud tamen ferrent acerbiùs, iis datum eſt, ut *Archiepiſcopi* nomen, & τὰ πρεσβεῖα retinerent: hinc labente ſenſim diſciplina, in provinciis plures & *Metropolitani*, & *Archiepiſcopi* creati ſunt, adeoque crevit eorum numerus, ut in Leonis Sapientis Diatypoſi Metropolitæ LXXXI. Archiepiſcopi XXXIX. vel uni Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubditi numerentur.

IV. Quæ jura haberet.

Ne quid tamen inde damni Eccleſiæ politia pateretur, iis nec major, quàm antea, juriſdictio permiſſa, nec major poteſtas, nihilque omnino præter inanem *Archiepiſcopi* titulum conceſſum eſt. Cautum enim erat, ut in omnibus, itidem ac meri Epiſcopi parerent Metropolitanis, qui de eorum cum litibus, ſi qua oriretur, cum criminibus, ſi quid quoquam peccatum eſſet, cognoſcerent: donec anno circiter MLXXX. ab Alexio Comneno ſancitum eſt, ut Archiepiſcopi deinceps, haud aliter ac Metropolitani, à Patriarcha Conſtantinopolitano ordinarentur; ſicque extitit in Græcia novus Archiepiſcoporum ordo, qui Epiſcopis erat poteſtate par, ſuperior dignitate, utraque inferior Metropolitis.

V. Quis apud Latinos.

Nec etiam apud Latinos de Archiepiſcopi dignitate inter Iſidorum Hiſpalenſem & Hincmarum convenit. Iſidoro is dicitur *Archiepiſcopus*, qui uni ſubſit Patriarchæ, multis præſit Metropolitanis: Hincmaro, qui unam regat provinciam. Ille Archiepiſcopum Metropolitis ſuperiorem facit, hic parem; ita ut Archiepiſcopum inter & Metropolitam nihil interſit. At illi, niſi falſus ſum, verbis quidem, re ve-

rò inter ſe nihil diſſentiunt. Fuerunt enim Archiepiſcopi, qui multis præſiderent provinciis, ut Theſſalonicenſis toti Illyrico, & aliquantò pòſt Acridanus, cui multæ provinciæ à Juſtiniano attributæ. Deinde nomen illud communicatum etiam iis eſt, qui uni quidem præerant provinciæ, ſed nulli ſuberant Primati, ut olim in Bulgaria Trinovitano, à quibus derivatum eſt in omnes Metropolitanos, ſive nulli Primati parerent, ſive ſecus. Hinc factum eſt, ut id temporis tot ſint Archiepiſcopi, quot Metropolitæ; cùm his vocibus unius ejuſdemque Præſulis diverſa quidem appellatio, at dignitas eadem deſignetur. ARCHIEPISCOPUS.

De *Metropolitanis* quod addam, nihil ferè eſt, cùm res nota ſit vel pueris. Apud omnes ſive Græcos, ſive Latinos vocis illius eadem & notio ſemper fuit, & poteſtas: is enim & aliàs fuit, & nunc eſt *Metropolita*, qui Epiſcopis ſuperior, inferior Primatibus; nec civitatem tantùm unicam, ut Epiſcopus; nec diœceſim tamen, ut Primas, ſed provinciam regit integram. Erat Metropolitani Epiſcopos ad Synodum vel bis vel ſemel ſingulis annis, ut tum mos erat, evocare, illorum electionibus præſidere, eos conſecrare, contentiones, lites, diſſidia, ſi quæ inter illos naſcerentur, ſopire; eos, ſi quis quid peccaret, corripere; eorumque judicia, ſi provocatum eſſet, aut reſcindere, aut confirmare; aliaque id genus obire munera, quæ nemo neſciat. VI. Quis METROPOLITA.

CAPUT V.

Epiſcopus.

EPISCOPUS.

JAM multò ante Chriſtiana tempora *Epiſcopi* nomen, & apud Græcos, & apud Latinos erat in uſu: non eadem vis tamen apud omnes huic voci ſuberat; nec iiſdem erat addicta muneribus. Is Romanis erat *Epiſcopus*, qui annonæ præerat; ille verò Athenienſibus, qui civitates Athenis ſubditas ſtatis luſtraret menſibus, quò eas & in fide, & in officio retineret. I. EPISCOPUS quis olim apud Romanos & Athenienſes.

Inde *Epiſcopi* appellatio invecta in Eccleſiam eſt, iiſque II. Quis apud Chriſtianos.

Episcopus. indita potiſſimùm, qui & Clericis erant & Presbyteris præfecti; quòd eorum eſſet oppida, urbes, regiones integras luſtrare identidem; Fideles, Clericos, Preſbyteros officii ſui admonere; præcepta, leges, canones cuique pro ſuo vitæ genere præſcribere; omneſque & verbis & exemplo ad pietatem erudire. Ab iis ad noſtra uſque tempora ea vox propagata eſt, nobiſque ii ſunt *Epiſcopi*, quorum idem eſt character, qui Metropolitæ; eadem etiam munera, poteſtas eadem, ſed arctioribus multò terminata finibus. Ubi enim Chriſtiana res adolevit, ſui cuique præſcripti limites, ultra quos aut vagari, aut jus dicere nefas eſſet. Ut Primati diœceſis ſæpe integra, ut Metropolitano provincia; ita Epiſcopo obtigit portio aliqua provinciæ, in qua muneribus fungeretur ſuis: de quibus cùm aliàs futurus ſit de iis diſſerendi locus uberior, hoc loco plura dicere nihil attinet.

III. Epiſcopi Cardinales & Palatini. Unum eſt tamen quod hîc admonere non pigebit. Apud Scriptores pleroſque reperire eſt interdum diverſa, quæ *Epiſcopi* vocabulo adjuncta ſunt, cognomina: occurrunt enim *Epiſcopi Cardinales, Palatini, Commendatarii, Monaſteriorum, Vagantes*, & *in Partibus Infidelium*; in quibus ne hæreas, quid hæc ſibi velint, paucis dabo. *Epiſcopus Cardinalis* cur dicatur quis, duplex cauſa eſſe poteſt: altera, quòd certæ ſedi, ut Capuanæ, ut Nolanæ, addictus ſit, eaque notione in Gregorii Magni Epiſtolis ſumitur; altera, quæ noſtra ætate obtinuit, quòd & re ipſa ſit Epiſcopus, & Romanâ etiam purpurâ nobilis. Ii verò dicti olim *Palatini*, quorum erat in Regum palatio regere Clericos; *Regiæ*, ut vocant, *Capellæ* præeſſe; de cauſis eccleſiaſticis cognoſcere: circa Caroli Magni & Ludovici Pii tempora eorum & frequens mentio eſt, & ſumma tum poteſtas fuit.

IV. Commendatarii & Monaſteriorum. Fuerunt etiam *Commendatarii*, quibus Pontificis Romani indulgentiâ, (id enim à Canonibus vetitum erat) unus, duo interdum, nonnunquam tres quatuórve Epiſcopatus in *Commendam*, ut loquuntur, permiſſi: quod vel ob generis nobilitatem, vel ob ſummam apud Pontificem gratiam factitatum. Longè diſpar conditio illius fuit, qui *Monaſterii Epiſcopus* dicebatur: erant enim aliàs, ut noſtra ætate, Monaſteria, quæ ſui juris erant, nullique, niſi Romano, parebant

Epiſcopo,

Epiſcopo. In iis Abbatis nutu, & Romani Præſulis voluntate unus è Monachorum numero interdum delectus eſt, qui conſecraretur in Epiſcopum, & epiſcopalia in Monaſterio, ſiquando opus eſſet, obiret munera: ea tamen lege, ut poteſtatem illius omnem Monaſterii ſepta coërcerent; & illius juriſdictio iiſdem eſſet, quibus Monaſterium, cancellis circumſcripta.

V. Vagantes. In Partibus Infideliũ.

Vagantes Epiſcopi ii erant, quorum nulla certa fixaque ſedes, nulla provincia: quibus varias regiones fidei prædicandæ cauſâ percurrere ſolemne fuit. Eorum ſæpe & labore, & induſtriâ apud Infideles longè latéque propagata Religio eſt. Epiſcoporum *in Partibus Infidelium* hæc feruntur exordia. Ubi Syria fuit à Saracenis erepta Gallis, Latini Epiſcopi è ſuis continuò pulſi ſedibus, in Europam ſe recipiunt; iis, & reditus ex aliis Epiſcopatibus inopiæ levandæ cauſâ attributi, & earum, unde ejecti erant, urbium nomina, quo ſuam quoquo modo tuerentur dignitatem, permiſſa ſunt: quæ cùm populis tum ſervirent fidei Chriſtianæ infenſiſſimis, inde *Epiſcopi in Partibus Infidelium* vulgò appellari cœpti ſunt. Siquando verò in legendo occurrat *Epiſcopus Epiſcoporum*, aut *Epiſcopus Catholicæ Eccleſiæ*, is erit Summus Pontifex: his enim titulis Romani Præſules interdum vel ipſi uſi ſunt, vel ab aliis honoris ergò inſigniti. Sed de his poſtea.

DISSERTATIO SECUNDA.

De vocibus quæ ſpectant ad Imperii adminiſtrationem.

E Vocibus, quæ ad Imperii adminiſtrationem pertinent, aliæ à muneribus ipſis ducuntur; aliæ non item, Primi generis ſunt *Præfectus Prætorio*, *Dux*, *Comes*; ſecundi, *Clariſſimus*, *Illuſtris*, *Patricius*: quæ honorificæ quidem appellationes ſunt eximiæ dignitatis indices, ſed vacuæ poteſtatis: quas verò hîc potiſſimùm explicemus, docebunt ea, quæ ſequuntur, capitula.

CAPUT I.

Illuſtris, Spectabilis, Clariſſimus, Perfectiſſimus, Egregius.

I. Quinque cognomina ab Imperatoribus inducta.

CUM multa nomina ſub Romanis Imperatoribus inducta fuiſſe liquet, quæ florente Republica nuſquam uſurpata ſunt; tum hæc potiſſimùm quinque, *Illuſtris*, *Spectabilis*, *Clariſſimus*, *Perfectiſſimus*, *Egregius*: quorum quænam fuerit origo, quæ jura, quæ inſignia, quibus etiam ut plurimùm data ſint, breviter, quoad fieri poſſit, perſtringam. Alia enim alio orta ſunt, & tempore, &, ut ita loquar, ſtemmate, Primùm *Clariſſimi* nomen adhiberi cœptum eſt, deinde *Illuſtris*, tum *Spectabilis*, poſt *Perfectiſſimi*, denique *Egregii*: nec par etiam fuit vocum illarum dignitas; *Illuſtris* enim appellatio longè cæteris præſtitit.

II. Clariſſimi.

Clariſſimi nomen jam inde à Tiberii temporibus, & Senatoribus, & eorum etiam uxoribus datum, cuivis intelligere licet, tum ex Ælio Marciano, qui ſub Antonino Pio floruit, à quo Senatores *Clariſſimi*; tum ex C. Longino, à

quo Senatorum uxores *Clariſſimæ* nuncupantur.

Nec multò pòſt vox *Illuſtris* invecta eſt : cùm enim Auguſtus jam ſenex è Senatoribus cùm generis nobilitate, tum rerum gerendarum peritiâ viros inſignes legiſſet quindecim, quibus in regendis provinciis uteretur ; idem ab aliis deinceps Imperatoribus factitatum, ab iiſque Senatores, modò plures, modò pauciores pro arbitrio ad id muneris adſciti : qui, ut jam dignitate, ita & appellatione, ut præ cæteris haberent aliquid præcipui, & *Patricii*, & *Illuſtres* aliquantò pòſt dici cœpti ſunt. Inde Senatus duas veluti in claſſes diſtinctus eſt : quarum una fuit *Illuſtrium*, qui erant in comitatu Principis; altera *Clariſſimorum*, qui meri Senatores. III. ILLUSTRIS.

Tertius deinde Senatorum ordo inductus eſt *Spectabilium*, qui *Clariſſimis* quidem dignitate ſuperiores erant ; minores tamen *Illuſtribus*. Illis præcipuè permiſſum nomen illud eſt, qui & ſenatorio erant genere, & in provinciis proconſulari munere fungebantur. IV. SPECTABILIS.

Uſurpata primùm in Senatu hæc nomina, ita ſunt in alios ſenſim derivata, ut extra Senatum pluribus communicata ſint, non temere quidem, ſed certo delectu; iis tantùm, qui vel in aula, vel in provinciis, vel in exercitu præcipua quadam dignitate eminerent. Unde in ſingulis ordinibus, ſive *Illuſtrium*, ſive *Spectabilium*, triplex erat veluti claſſis Magiſtratuum, una civilium, militarium altera, tertia palatinorum. Sed intra eumdem ordinem, v. g. *Illuſtrium*, alia aliorum dignitas erat : inter *Illuſtres* militares palatinis, utriſque civiles præſtabant; inter *Spectabiles* palatini primas, ſecundas civiles, militares tertias ut plurimùm tulerunt : è *Clariſſimis* plus cæteris poterant provinciarum Magiſtratus, Conſulares, Correctores, Præſides, qui ſub *Spectabilibus* provinciis præerant. V. A Senatoribus ad alios derivata Qui Clariſſimi.

Qui verò in *Illuſtrium* numerum adſciti tum erant, ſi quis avet cognoſcere, hi potiſſimùm fuerunt : Præfecti Prætorio quatuor, Italiæ, Galliarum, Illyrici, Orientis ; præterea Præfecti duo, urbis Romæ tum veteris, tum novæ. Sed ſatius eſt, ne longior ſim, appellare *Illuſtres* ex Orientali tantùm Imperio, ex quo de Occidentali conjectura facilè VI. Qui Illuſtres.

fieri poteſt. Fuerunt igitur præter hos, quos diximus, in Orientali Imperio *Illuſtres*, è militaribus Magiſtri duo Militum, hoc eſt, Equitum & Peditum: è palatinis multò plures, Magiſter Officiorum; quatuor Præpoſiti Cubiculi; Comites Largitionum, Rerum Privatarum, & Domeſticorum, ſive equites eſſent, ſive pedites.

VII. Qui Spectabiles. Inter *Spectabiles* verò cooptati ex aulicis Primicerius Cubiculi, qui memoriæ; Caſtrenſis Palatii, qui epiſtolis; Primicerius Notariorum, qui libellis; & Magiſtri Scriniorum quatuor, qui epiſtolis Græcis præerant: è civilibus Magiſtratibus, Comes Orientis, Præfectus Auguſtalis Ægypti; Proconſules omnes, ut Aſiæ, ut Achaiæ; Vicarii itidem omnes, ut Aſianæ diœceſeos, Ponticæ, Thracicæ: & è militaribus Comites Duceſque rei militaris, qui in extremis Imperii finibus ut plurimùm agebant.

VIII. Illuſtrium, Spectabilium & Clariſſimorum jura. Cùm multa his omnibus data ſunt privilegia; tum illud potiſſimùm commune omnibus: ut ſi cui cum alio lis eſſet, ſive capitis, ſive civilis, eam non per ſe, ſed per procuratorem exerceret; ne viris ſumma dignitate præditis eſſet dedecori, & cum plebeiis hominibus diſceptare, aut ſtare coram Judicibus. Duo præterea conceſſa Illuſtribus, quæ negata aliis: unum, ut quas ipſi ferrent ſententias, eas per ſuos, ut vocant, *Officiales* recitari liceret, cùm cæteri ex ſcripto legere tenerentur; alterum, ut ſi cui cauſa capitis erat, is ab eo Judice, ad quem illius pertinebat judicium, abſolvi quidem poſſet, damnari non item; ſed vel ab uno Imperatore, vel ab eo cui cauſam delegarat: illud etiam iis datum eſt, ut non ſtarent more reorum, ſed ſederent inter Judices.

IX. Qui Perfectiſſimi. Ea, de quibus hactenus egimus, nomina intra ſenatorium ordinem ſtetere; ſed Equitibus, pro eo, quo tum fungebantur, munere, alia honoris ergò Imperatores indulſerunt, ut *Perfectiſſimi*, ut *Egregii*. *Perfectiſſimi* vocabulum jam inde à M. Antonini temporibus uſurpari cœpit: decretum enim ab eo perhibetur, ne *Perfectiſſimorum* filii plebeiorum pœnis obnoxii eſſent: ii verò aliquantò pòſt à Conſtantino Magno tres in gradus deſcripti ſunt, quorum alii, ut dignitate, ita & poteſtate præſtabant aliis. Qui urbibus ſingulis præerant; qui regebant provincias anguſtis termi-

natas finibus, ut Præſides Apuliæ, Dalmatiæ, Iſauriæ; qui Rationales erant; qui Comites Largitionum, ii *Perfectiſſimi* vulgò dicti ſunt.

X. Qui Egregii.

In utriuſque Notitia Imperii tum Orientalis, tum Occidentalis, nulla quidem *Egregiorum* mentio eſt: eos tamen codicillis ab Imperatoribus creari moris erat. Data primùm ea dignitas ſolis Equitibus; tum permiſſa etiam plebeiis, non omnibus quidem; ſed iis tantùm, qui vel affinitatibus, vel rebus præclarè geſtis, vel iis, quæ tum obibant, muneribus aliquid præ cæteris haberent præcipui. *Egregii* fuerunt Scriniarii Principis, Advocati Fiſci, ſacri Palatii Auditores, Sacerdotes, Doctores, & alii id genus homines: eadem illis permiſſa jura, quæ *Perfectiſſimis*, illudque inprimis, ne ipſos eorúmve vel liberos vel nepotes criminis causâ, aut torqueri liceret, aut plebeiorum pœnis ſubjici: quâre illos, aut damnari ad metalla, aut furcæ affigi, aut exuri vivos nefas erat.

XI. Singulorum cognominũ characteres.

Cùm verò ea nomina, & apud antiquos Autores, & apud Juriſconſultos certis quibuſdam notis plerumque deſignentur, ne quis fortè dum hæc occurrunt, hæreat, ſi neſciat, quid hæc ſibi velint; lubuit hoc loco eos characteres appingere. Sunt verò prima cujuſque vocis, aut litera, aut ſyllaba, hoc modo: vir Illuſtris, *V. I.* aut *Inl.* Spectabilis *V. S.* Clariſſimus *V. C.* Perfectiſſimus *V. P.*

CAPUT II.

Cæſar, Nobiliſſimus, Deſpota, Sebaſtocrator, Primus Auguſtus.

I. Dignitas Cæsaris.

UNDE vox illa *Cæſar*, deducta ſit, hîc non diſputo: nec enim eſt hujus loci; & hæc in Valerio Maximo diximus. A C. Julio Cæſare, qui primus Romæ rerum potitus eſt, ad Auguſtum aliosque deinceps Imperatores propagata eſt: unus enim ex *Cæſarum* familia fuit; cæteri, vel cognatione, vel affinitate, vel adoptione in eam allecti:

eaque appellatio ita Imperatorum erat propria, ut idem omnino ſonaret, quod Auguſtus, quod Imperator; quíque Romanum regebat Imperium, is & *Auguſtus*, & *Cæſar* vulgò diceretur. Sed aliis haud multò pòſt communicari cœpit nomen *Cæſaris*, *Auguſti* non item. Quis verò eam primus dignitatem adeptus ſit, inter Scriptores non convenit: omnium enim Princeps, ſi Spartiano credimus, Ælius Verus ab Adriano id nominis accepit; Adrianus à Trajano, ut placet Aurelio Victori; à Nerva Trajanus ipſe, ut autor eſt Dio, cui ego libenter ſubſcripſerim. Inde *Cæſares* vulgò dicti ſunt, qui Imperatorum erant aut adoptione filii, ut Ælius Verus Adriani, aut naturâ, ut Geta Severi. Iis etiam aliquantò pòſt nomen illud permiſſum eſt, qui ad ſpem Imperii præ cæteris à Principe adſciti erant, ut Galerius & Conſtantius Chlorus à Diocletiano, & à Conſtantio Julianus. Mera etiam nonnumquam dignitas erat, ut in Dalmatio, qui à Conſtantino abſque ulla Imperii adipiſcendi ſpe *Cæſar* creatus eſt.

II. Nobiliſſimi.

Dignitati *Cæſaris*, *Nobiliſſimi* dignitas, aut par fuit, aut proxima; quæ & data pauciſſimis, & iis tantùm, qui aut cognatione Imperatores attingebant, aut conſortes erant Imperii. Ita *Nobiliſſimi* appellati, & à Conſtantino Magno Annibalianus; Honorius à Theodoſio; ab Honorio Valentinianus, & aliquantò pòſt à Juſtino Juſtinianus. Ea dignitas, ut tradit Zoſimus, & à Conſtantino Magno invecta eſt, à quo inſigne illi datum purpurea veſtis aureo limbo circumdata; & aucta à Conſtantio, à quo lege ſancitum eſt, ut *Nobiliſſimis*, cùm Magiſtratus cæteri, tum ipſi Præfecti Prætorio honoris ergò loco cederent.

III. Deſpotæ, Sebaſtocratoris, Primi Auguſti.

Inanes multò pòſt à neotericis Græcis dignitatum appellationes inductæ ſunt, quibus Imperii anguſtias, quoniam re non poterant, magnificis titulis quoquo modò ſolarentur. Alexius Comnenus primò Iſaacium fratrem *Sebaſtocratora*; deinde Alexium Palæologum generum Imperii heredem δεσπότην, id eſt, *Dominum*; tum alium πρωτοσέβαστον appellavit, hoc eſt, *Primum Auguſtum*; cumque inter eos ordinem eſſe voluit, ut ſecundus ab Imperatore eſſet *Deſpota*; tertius *Sebaſtocrator*; quartus *Cæſar*; quintus *Primus Auguſtus*.

CAPUT III.

Præfectus Prætorio.

PRÆFECTUS PRÆTORIO.

QUI Romanis præerant exercitibus, Prætores olim dicti ſunt; eorum tentoria *Prætoria*, quique cuſtodiæ causâ excubabant, milites *Prætoriani.* Auguſtus devicto Antonio cùm rerum unus potiretur, quò ipſius poteſtas & tutior eſſet, & illuſtrior, juſſit, ut decem militum cohortes, aut in urbe, aut ad urbem ipſi ſemper præſtò eſſent. In ſingulis cohortibus mille milites ex omnibus legionibus ſelecti corporis proceritate, ſplendore armorum, & veſtium nitore inſignes. Singulis cohortibus ſinguli Tribuni præerant, omnibus Præfectus: qui ut illius milites *Prætoriani*, ita ipſe *Præfectus Prætorio* eò dictus eſt, quòd illius eſſet Principem noctu, diu, foris, domi cuſtodire. I. A quo PRÆFECTI PRÆTORIO inſtituti.

Primùm unus fuit: deinde Mecænatis conſilio alter additus, quò alter alteri, ſi quid novi moliretur, obſiſteret: uterque ex equeſtri ordine, ne plus Senatui faverent, quàm Principi. Tiberius unum illis præfecit Ælium Sejanum, à quo, ut teſtantur Tacitus & Suetonius, caſtra Romæ conſtituta, quibus cohortes *Prætorianæ*, quæ per varia erant antea loca diſperſæ, continerentur. Ab aliis poſt Tiberium Imperatoribus duo *Præfecti Prætorio* reſtituti; tres creati à Commodo, ſi Lampridio credimus; ab aliis deinceps modò plures, modò pauciores, pro bellorum aut varietate, aut magnitudine: ſed hi nec certi erant, nec perpetui; ſed ab officio, pro arbitrio Principis, cùm lubitum erat, depoſiti. II. Primùm unus, deinde duo, tum tres.

Ante M. Antonini tempora cauſas ad Principem deferri moris erat; & ab ipſo, unà cum iis, qui erant in Comitatu, Senatoribus judicari, ut auctor eſt Lampridius. M. Antoninus omnium princeps ex Capitolino *Præfectos Prætorio* ad hujuſmodi cauſas adhibere inſtituit: quibus paulò pòſt à Commodo, quò molliorem vitam viveret, omnis ferè regendæ Reipublicæ permiſſa poteſtas eſt. Deinde ne Eques de Senatorum cauſis cognoſceret, non ex equeſtri, ut priùs, III. Illorum poteſtas uſque ad Cōſtantinum.

PRÆFECTUS PRÆTORIO.

ſed ex ſenatorio ordine ab Alexandro Severo allecti: unde & *Clariſſimi* & *Illuſtres* dici cœpti ſunt; eorumque ſumma fuit & domi & militiæ autoritas.

IV. A Conſtantino poteſtas in milites illis abrogata.

Veritus Conſtantinus, ne nimia Præfectorum poteſtas terrori eſſet Imperatoribus, non præſidio, iis imperium in milites omne abrogavit, deditque Magiſtris militum; deinde ut eò poſſent minùs, quò plures eſſent, non duo, uti priùs, ſed quatuor inſtitui voluit, quorum unus Orienti, alter Illyrico, tertius Italiæ & Africæ, quartus Galliis, Hiſpaniis & Britanniis præeſſe juſſus eſt. Quæ data ſint à ſingulis Imperatoribus jura *Præfectis Prætorio* ſingulatim perſequi infinitum ſit; ſatis erit appellaſſe præcipua. Eorum erat in Judices provinciales, ſi quis quid peccaſſet, animadvertere; Judices & inſtituere, & ab officio removere; verbò dicere ſententiam; negotia abſque appellatione finire; ubique ſacra vice judicare; largiri evectiones; *vacantia*, ut loquuntur, bona præſcribere; Fiſcum pro arbitrio diſtribuere; exigere tributa; edicta etiam, quæ vim legis obtinerent, promulgare, &c. De Vicariis, Proconſulibus, Præſidibus, aliiſque ſatis, quod quidem ad rem noſtram pertinet, dictum eſt ſuperiùs.

CAPUT IV.

PATRICIUS.

Patricius.

I. PATRICIORUM triplex ætas.

PATRICIATUS alia aliis temporibus & ratio fuit, & dignitas: cujus triplicem, vel gradum, vel ætatem aſſignare licet. Prima à Romulo ad Auguſtum pertinet: altera ab Auguſto ad Conſtantinum: tertia à Conſtantino ad octavi ſæculi finem. De prima ætate in libro de *Romana Republica* diſſerui pluribus: de ſecunda & tertia hîc agendum breviter.

II. Eorum poteſtas ab Auguſto ad Conſtantinum.

Auguſtus Cæſar jam ſenex, primùm menſibus ſingulis Senatores adſcivit quindecim, quorum conſilio in regenda publica re uteretur: deinde viginti, qui annui eſſent, à Senatu petiit ea conditione, ut quæ cum illis, cum Conſulibus, cum Tiberio, nepotibus, aliiſque pro arbitrio evocandis ſtatuiſſet,

ea proinde rata forent, ac ſi ab univerſo Senatu eſſent decreta. Ii quòd, & unà cum Principe de cauſis tum publicis, tum privatis, cognoſcerent, & ſoli in Senatu dicerent ſententiam, aliter ab aliis nuncupati ſunt, ***Summi Senatores***, ***Comites Conſiſtoriani***, ***Patricii***, quos Adrianus apud ſe habitare juſſit; & Alexander Severus ad quinquaginta adhibuit in conſilio, ut eorum ſententiis ſenatuſconſulta fierent. PATRICIUS.

III. A Conſtantino ad Juſtinianum.

Ex his cuivis intelligere eſt non inſtitutam à Conſtantino ***Patriciorum*** dignitatem, quod Zoſimo viſum eſt; ſed multis auctam honoribus, ita ut poſt Cæſares, vel ante Præfectos Prætorio loci prærogativa iis data ſit: nulla tamen illis præcipua poteſtas permiſſa eſt, nullaque attributa juriſdictio, niſi quis fortè ad regendas provincias mitteretur. Sed hic omnibus eſt à Principe habitus honor, ut ſi bellum hoſtibus inferendum, ſi ſanciendum fœdus, ſi quid, quod ad publicam Imperii rem ſpectaret, gerendum eſſet; quæ eorum mens, quid darent conſilii, diligenter exquireret: tantique fuit ***Patricium*** eſſe, ut non à Romanis ſolùm ea dignitas, ſed ab exteris etiam Principibus fuerit vehementer appetita. Ita Theodorico Gothorum Regi datam legimus à Zenone, à quo edictum illud perhibetur, ne quis deinceps legeretur in ***Patricium***, niſi qui priùs Conſul fuiſſet, aut Magiſter Militum, aut Præfectus, ſive Prætorio, ſive Urbi.

IV. Creandi Patricii ritus.

Patriciis, aut Juſtiniani tempore, aut aliquantò pòſt, & pauperum, & Eccleſiæ tuendæ cura demandata eſt, quod nos docet ea, quam refert Paulus Diaconus, creandi Patricii formula. Ubi enim dignitatis illius candidatus Imperatoris pedes, genu, oſque ipſum erat deoſculatus, ipſum tanquam adjutorem regendi Imperii eo nomine adſciſci moris erat, ut Eccleſiis & pauperibus leges diceret; tum ***mantum***, ut vocant, injectum humeris ab Imperatore, in dextro indice inſertus annulus, datum ſcriptum bombycinum, aureuſque circulus impoſitus capiti: tum hæc verba profatus Imperator, ***Eſto Patricius miſericors & juſtus***, illum dimittebat.

V. Patricii ſæpe provinciis præfecti.

Eſt tamen cur quis nec immeritò dubitet, an iſta formula adverſus ***Patricios*** omnes uſurpata ſit; an in iis tantùm, quibus unà cum Patriciatu data provinciæ regendæ pote-

PATRICIUS. ſtas eſt. Uſus enim diu fuit, ut Patricii & provinciis præeſſent & bellis: ita Ægidius & Aëtius Galliis; Longinus Ravennæ Exarchatui, & alii aliis provinciis præpoſiti. Unde apud Hiſtoticos interdum legere eſt, *Patricius Italiæ, Siciliæ, Africæ:* quòd ii, qui eas regebant provincias, eſſent *Patricii*. Quin etiam, qui clariſſimis urbibus, ut Conſtantinopoli, ut Romæ, præfecti erant; ii ut plurimùm *Patricii* fuerunt; unde quivis intelligat, cum Pippino, cum Carolo Magno à Summis Pontificibus Populoque Romano Patriciatûs honos delatus eſt, iis, niſi mea me fallit opinio, nihil datum eſſe aliud, quàm tuendi populi, hoſtis repellendi, urbiſque regendæ poteſtatem.

VI. Ea dignitas à Romanis reſtituta, ab Eugenio III. abrogata. Diu apud Romanos in honore fuit *Patricii*, & appellatio, & dignitas; quæ & ſublata ſæpius, & reſtituta eſt. Quis enim non noverit celebratiſſima illa Alberici, Creſcentis, Jordanis nomina, quorum frequens apud Hugonem Flaviacenſem, Helinandum, Othonem Friſingenſem, mentio eſt. Anno tandem MCLII ab Eugenio III pax ea lege cum Romanis inita eſt, ut abrogato Patriciatu, Præfectus qui Urbem regeret, revocaretur. Sed de his poſtea in Urbis Romæ hiſtoria pluribus.

VII. Patricii apud Gallos, Anglos, &c. A Romanis ad exteras etiam gentes Patriciatûs dignitas propagata eſt, maximè apud Francos, Burgundiones, Anglo-Saxones: unde Dynamius Galliarum *Patricius* à Gregorio Magno dicitur, Mummolus à Gregorio Turonenſi, & ab aliis alii. *Patriciorum* etiam meminit Charta Regis Inæ, cujus teſtamento Principes, Senatores, & *Patricii* ſubſcribunt. Ipſi etiam rerum geſtarum gloriâ, & generis nobilitate inſignes viri *Patricii* nomen honoris ergò ſibi adſciſcebant, ut Richardus ille, qui Normannorum ſe & Ducem, & *Patricium* nuncupat.

CAPUT V.

Dux.

Dux.

EADEM propè, cùm apud Romanos, tum apud alias quoque nationes priſcis temporibus *Ducis* notio fuit: dum enim ſub Conſulibus & Imperatoribus floruit Romana res, vox militaris erat, quæ in eos tantùm cadebat, qui aut Reipublicæ aut Imperatoris nomine, vel præerant exercitui, vel bellum gerebant adverſus hoſtes. Ubi verò Alboïnus Longobardorum Rex in Italiam irrupit, magnamque illius partem ſubegit armis, à Longino, qui paulò antè Ravennam Exarchus venerat, antiquæ *Correctorum*, *Comitum*, *Præſidum* appellationes abrogatæ; anno DLXVIII impoſita multis urbibus præſidia; his dati Præfecti, qui *Duces* eò dici cœpti ſunt, quòd non jura tantùm dicerent populis, ſed eos etiam contra Longobardos armis tutarentur. Inde & *Duces* & *Ducatus* Romæ, Neapolis, Beneventi, extitiſſe memoriæ proditum eſt. I. Duces inſtituti in Italia.

Iiſdem ferè temporibus, quibus conſtituti à Longino *Duces*, in Italia etiam à Longobardis, à Francis in Gallia, in Hiſpania à Wiſigothis ad regendas provincias Duces adhiberi cœpti ſunt, ſive ii Longini exemplum ſecuti ſint, ſive illorum Longinus. *Duces* enim ſub Oſtrogothis in Italia, vel ante Longini tempora à Caſſiodoro memorantur, *L. 4. Var.* quorum erat & res civiles curare, & militares. Dux erat apud Gallos ſub prima potiſſimùm Regum ſtirpe, qui Regis nomine multis præerat urbibus. Illud enim certum Comitum & *Ducum* diſcrimen fuit, quòd Comes unius eſſet civitatis, *Dux* multarum, quarum ſingulæ ſuum ut plurimùm *Comitem* habebant. Ita apud Gregorium Turonenſem *L. 8. c. 18.* Nicetius ex Arverno Comite in urbe Arverna, Ruthena, atque Ucetica *Dux* à Childeberto ordinatus perhibetur: *Comitatus* enim ad *Ducatum* gradus erat. II. In Gallia, Hiſpania, &c.

Aliud alii inter eos diſcrimen eſſe volunt, quaſi Ducum eſſet bella gerere, Comitum verò jura dicere populis. At III. Illorum poteſtas.

Dux. quàm opinione ſua falſi ſint, vel ex uno Marculfo intelligere eſt, apud quem eadem munia Ducibus, Patriciis, Comitibus præſcribi certum eſt, ut lites dirimere, pacem fovere, viduas & pupillos tueri, & alia hujuſmodi. Præterea cùm apud Francos, tum apud Gothos geſta à Comitibus bella Hiſtoriæ teſtantur pleræque omnes. Ducis dignitas nec perpetua fuit, nec hereditaria; ſed conceſſa ad tempus: unde idem ſæpe ex *Comite Dux* erat, & interdum ex *Duce Comes*; nonnunquam etiam & *Comes* unà & *Dux*: unde in Toletanis Conciliis ſubſcripſerunt bene multi *Dux & Comes*, ſive antea Comites fuiſſent, deinde Duces; ſive Comitatum ſimul & Ducatum obtinerent. Siquando cui *Ducis* nomen ab urbe quadam impoſitum legeris, ut apud Wiſigothos occurrunt, interdum *Dux Emeritenſis*, *Dux Narbonenſis*, &c. cave putes id eò factum, quòd huic uni præeſſet civitati; ſed quòd illa aliarum, quas regebat, princeps erat, cui cæteræ tanquam metropoli erant contributæ. In Wiſigothicis enim Legibus haud aliter ac apud Francos *Dux* provinciæ dicitur, *Comes* civitatis.

L.1.form.8.

CAPUT VI.

Comes.

COMES.

I. COMITES apud Romanos.

Comitum quàm Ducum paulò antiquior origo eſt. Adrianus Imperator, inquit Spartianus, optimos quoſque è Senatu in contubernium imperatoriæ majeſtatis adſcivit: priùs enim amicorum cohors ex equeſtri ordine vulgò conſtabat; cumque in luſtrandis Imperii provinciis diligens eſſet & aſſiduus, amicorum turma *Comitatus* dici cœpit, & amici *Comites*. Eos vel pro diverſa cujuſque dignitate, vel pro arbitrio Principis, in tres ordines deſcriptos fuiſſe liquet: an à Conſtantino, an ſecus, non convenit. Initio nec certa dignitas erat, nec perpetua; ſed ii tantùm dicti *Comites*, qui Imperatorem comitabantur. Deinde Conſtantinus certum deinceps fore dignitatis titulum juſſit. Præter eos, qui *Conſiſtoriani* vulgò dicebantur, muneribus quibuſdam tum in aula Principis, tum in provinciis adjun-

gi *Comitis* dignitas cœpta eſt: inde *Comes Largitionum*, *Domeſticorum*, *Cubiculariorum*, *Excubitorum*, *Comes Orientis*, & alii, qui ab iis, quibus præerant, ſive provinciis, ſive muneribus, *Comites* dicti ſunt.

COMES.

II. Apud Francos Gothos, &c. illorum quæ jura.

Ut apud Romanos, ita apud Galliæ Reges *Comites* fuerunt: alii *Palatini*, alii præfecti urbibus, de quibus paulò antè dictum eſt à nobis. Palatinorum duplex fuit veluti claſſis: erant enim qui in palatio inſervirent Principi; erant qui cognoſcerent de cauſis omnibus, quæ vel ad Regem pertinerent, vel ad publicam rem. Cùm aliàs ſæpe, tum maximè ſub Carolo Magno frequens eorum occurrit mentio: tum enim moris fuit, ut *Comites* cum Aſſeſſoribus, quos *Scabinos Palatii* vocant, vel cum Principe in palatio jus dicerent populis; alii verò miſſi in provincias, qui pupillis, viduis, pauperibus, quod poterant, afferrent opis; alii etiam in provinciis conſtituti, ut ſummo jure cauſas omnes dirimerent: quorum jura, dignitas, comitatus, Regum vel conſenſu, vel incuriâ, vel impotentiâ ad filios heredeſque, vel ſub Carolo Calvo, vel aliquantò pòſt tranſlata ſunt. Eadem apud Gothos & Britannos *Comitum* ratio fuit: quare quæ de Francis diximus, de iis eadem dicito.

CAPUT VII.

Defenſor, & Vicedominus, & Advocatus.

DEFENSOR. VICEDOMINUS. ADVOCATUS.

I. DEFENSORES apud Græcos & Latinos.

DEFENSORUM, & in Oriente, & in Occidente par poteſtas fuit, diverſa conditio. In Oriente, è Clero ſemper adſciti, ut Aſphalius, & Joannes Preſbyter: illius mentio fit in actione quinta Epheſini Concilii; iſtius, canone 23 Calchedonenſi. In Occidente, è laïcis initio delecti; quod ex can. 16 Milevitano, & can. 9 Concilii quinti Carthaginenſis colligere licet; quorum uterque *Defenſores*, qui Scholaſtici ſint, ab Imperatore expoſci jubet, in eoque Romanorum exemplum imitati Africani Patres. In ſingulis enim ferè Italiæ urbibus, ſinguli erant *Defenſores*, qui è laïcis quidem aſſumpti; ſed morum innocentiâ, fideique propagandæ ſtudio inſignes erant. Sub Gregorii Magni

DEFENSOR. tempora è Clericis eligi etiam in Italia cœpti ſunt: eadem enim illis jura, quæ Subdiaconis, indulſit Gregorius. Eorum erat Eccleſiæ latifundia curare; tueri pauperes; juſſa Pontificis exequi; Preſbyteros, Epiſcopos admonere officii; eos etiam interdum, vel, ſi injutiâ depoſiti erant, reſtituere; vel deponere, ſi quid ſceleris in ſe admiſiſſent. Ita Joannem Malacitanum à Joanne *Defenſore* in Hiſpania reſtitutum, autor eſt Joannes Diaconus.

L. 7. Epiſt. 17.

L. 2. c. 11.

II. VICEDOMINI ROMÆ. Erant etiam tempore ſancti Gregorii, & Romæ & in aliis urbibus *Vicedomini*, qui ut plurimùm Clerici, ſæpe Preſbyteri, interdum etiam Epiſcopi: quod è Bonifacio Moguntino diſcimus, qui Benedicti Epiſcopi & *Vicedomini* ſanctæ Sedis apoſtolicæ meminit. Illi cùm multa jura data ſunt; tum illud potiſſimùm, ut & vice Pontificis in provincia Romana ordinaret Epiſcopos, & Summum Pontificem, ſiquando per urbem equo veheretur, unà cum Veſtiario, Nomenclatore, atque Sacellario deduceret; quod in Ordine Romano legere eſt.

III. In Gallia. Ut Epiſcopo Romano, ita cæteris quoque, cùm in Italia, tum in aliis etiam regionibus, Epiſcopis, Abbatibus, Abbatiſſis, Vicedomini fuerunt. Cùm enim, & Reges ob regalia armato milite juvare tenerentur, & bona ſua armis tueri: nec tamen Canonibus liceret, aut arma tractare, aut præliis intereſſe; adſciti è laïcis viri & nobiles, & rebus præclarè geſtis illuſtres; qui ſive Epiſcoporum, ſive Abbatum ſubditos in aciem educerent, jus iis dicerent, reſque Eccleſiæ adverſus hoſtes tutarentur; caverent in primis, ne quis mortuo Epiſcopo vel Abbate ſupellectilem, vaſa, domum diriperet: quæ, ut præſtarent diligentiùs, bonorum Eccleſiæ pars illis permiſſa eſt, quò tutior eſſet altera, eoque nomine jure feudali obnoxii erant Epiſcopis.

IV. ADVOCATI. *Vicedominis Advocati*, cùm alibi, tum præcipuè in Gallia additi, qui Epiſcoporum & Abbatum bona, non armis quidem, ſed linguâ, ſtudio, litibus ante Judices tuerentur: quamquam idem ſæpe, ut nonnullis viſum eſt, & *Vicedominus* fuit, & *Advocatus*. Si quando tamen alter diverſus ab altero, *Vicedomini* & appellatio honeſtior fuit, & potior dignitas.

DISSERTATIO TERTIA.

De Pallio & Cruce, quæ Archiepiſcopis præferri ſolet.

QUæ ad Pallium pertinent, ad ſex potiſſimùm capita brevitatis cauſâ revocamus: quærimus enim primò, quænam fuerit priſcis temporibus figura Pallii, quænam ſit noſtris: an ex lana ſemper, an aliquando fuerit ex lino contextum. Tum cujus fuerit dare Pallium. Deinde quibus præcipuè dare moris erat. Poſt, quæ jura, quæ privilegia unà cum Pallio data. Tum quæ Pallii ſive accipiendi, ſive accepti, & onera & munera. Denique ſingulis, an ſtatis tantùm diebus eo uti licuerit. Quibus ſubjuncta eſt brevis de Cruce Archiepiſcoporum, coronidis loco diſputatio.

CAPUT I.

Quâ figurâ fuerit Pallium: an ex lana; an ex lino. PALLIUM.

PALLII nomen duplici modo accipi poteſt, vel pro indumento integro, vel pro illius, ſive faſciis, ſive ſegmentis. Si priori notione ſumatur, dicitur à Græcis *ὠμοφόριον*, *φενόλιον*, *σάκκος*, *πολυσταύριον*; à Latinis verò *Cappa*, *Caſula*, *Chlamys*, & propriè *Pallium*. Si poſteriori, vocatur etiam à Græcis *ὠμοτόριον*, & apud Codinum *διάδημα*, quòd veſtes ſtringat cæteras; à Latinis etiam *Clavus* & *Subarmalis*, aliquantò pòſt *Lorum* & *Superhumerale*. Longè quidem aliter aliis ſuper hac re viſum eſt: ſunt qui diverſa eſſe veſtimentorum genera ſuſpicantur; ego verò varia unius in-

I. Pallii varia nomina.

PALLIUM. dumenti arbitror eſſe nomina, quæ à diverſis illius, vel ornamentis vel coloribus, vel etiam interdum figura petita ſunt.

II. Hodierni figura. Quâ figurâ ſit *Pallium* illud, quo ætate noſtra utuntur Archiepiſcopi, nemo eſt, opinor, qui neſciat. Nihil enim aliud eſt, quàm faſcia lanea colore niveo, & in circuli modum contexta, cui annexæ ſunt & duæ cruces rubeæ, & faſciolæ totidem crucibus etiam inſignes. Ita apta eſt ad humeros, ut ex crucibus una humero dextro immineat, ſiniſtro altera; ex faſciolis verò anterior juxta pectus, poſterior intra humeros demittatur. Tribus aut aciculis, aut ſpinulis alligatur, ſive cappæ, ſive caſulæ: ut cruces ſingulæ ſingulis partibus reſpondeant.

III. Antiqui figura. Inde cuivis intelligere licet hodiernum inter & antiquum *Pallium* quid interſit. Hodiernum enim breve eſt, & quatuor tantùm digitos latum; antiquum verò veſtis erat integra, demiſſa uſque ad talos, ut autor eſt Zonaras, à *In Copronymo.* quo Anaſtaſius, Germani Patriarchæ dum inſiſtit veſtigiis, ejus omophorion pede humi preſſiſſe perhibetur, quo eum, ut incederet lentiùs, admoneret. Fuit, niſi falſus ſum, hoc diſcrimen inter Patriarcharum & Metropolitanorum Pallia, quòd faſciæ Patriarcharum caſulis eſſent annexæ ſæpius, raro ſeparatæ; Metropolitanorum verò Palliis vel rariùs, vel nunquam adhærerent. Quod ego cur ſentiam, habeo unde probem.

IV. Integra Pallia à Patriarchis. Moris erat, ut Patriarchæ non aliunde quàm ex altari principis Baſilicæ, Metropolitæ verò à Patriarcha acciperent Pallium. Unde ſanè probabile fit, illorum Pallia ſuis fuiſſe ſemper, & faſciis ornata, & crucibus; horum verò non item. Quis enim putet Metropolitanis ſingulis, quorum plerique aberant longiſſimè, à Patriarchis miſſas fuiſſe veſtes, alicujus ſanè pretii, eaſque integras? Id enim & habuiſſet incommodi nonnihil, & Patriarchis magno ſumptui fuiſſet, cujus ne minimum quidem extat apud Autores veſtigium: cùm tamen ſi quid pro Metropolitanis feciſſent impenſæ, (quod de Græcis tamen dictum velim) ab iis, ut teſtantur Juſtiniani Novellæ, non negligenter repeterent.

Ut

Ut paucis complectar, ita cenſeo. Primis temporibus dum Pallium perpaucis datum eſt, ut Arelatenſi Epiſcopo in Gallia, ut Theſſalonicenſi in Illyrico, &c. tum miſſa plerumque eſt veſtis integra, hoc eſt, & caſula & faſciæ. Ubi verò conceſſum eſt pluribus non Metropolitanis ſolùm, ſed etiam Epiſcopis; tum ſola miſſa eſt faſcia, candida illa quidem, ſed rubeis diſtincta crucibus: ea tamen & aliquantò latior erat, & longior multò, quàm ætate noſtra vulgò eſſe ſolet. Et apud Græcos, ut mihi quidem videtur, erat ſtolæ haud abſimilis, cujus pars dextra ſiniſtrâ longior ad terram uſque defluebat: apud Latinos verò par undequaque longitudo faſciæ, quæ, ut ait Alcuinus, quaſi lamina in fronte Summi olim Pontificis ſuper omnia indumenta Metropolitani eminebat.

PALLIUM. V. Miſſæ tantùm faſciæ. Diſcrimen Pallii Græci & Latini.

Ex lana, an ex lino, aliòve panno, fuerint olim Pallia, obſcurum eſt. Iſidoro Peluſiotæ, & Joanni Diacono ſuper hac re non convenit: ille ex lana ὠμοφόριον; hic Gregorii Magni Pallium ex byſſo candente contextum affirmat: utri aſſentiri malis, tu ipſe videris, niſi velis utrique. Quid enim vetat Græcorum Pallia ex lana fuiſſe; & Latinorum ex lino? Quanquam uti conjectura, ut in re incerta, nihil prohibet, cùm Pallii duæ fuerint partes, caſula & faſciæ, ego putem & Græcos & Latinos faſciis ſemper uſos laneis; caſulas verò fuiſſe pro cujuſque & arbitrio, & opibus, vel ex lino, vel ex byſſo, argento, ſerico, auròve contextas. Ad quod alludere mihi viſi ſunt & Vigilius & Gregorius Magnus: dum ille Auxanium Arelatenſem, hic Siagrium Heduenſem aliosque, dum iis mittunt Pallium, ad ſummam cohortantur pietatem, ut vitæ ſanctitas veſtis hujus nitori reſpondeat; quòd & caſulæ magnificentiâ virtutum ſplendor, & faſciæ candore innocentia morum adumbraretur. Ut ut eſt, id temporis & Latini, & Græci ad rem ſacram peragendam lanea, non linea, ubique adhibent Pallia.

VI. Caſula ex lino, byſſo, &c faſciæ ex lana. *L. 1. Ep. 136. L. 4. c. 80.*

CAPUT II.

Cujus fuerit dare Pallium.

I. An Imperatores dederint Pallium Patriarchis.

DUPLEX eſt ſuper hac re ſententia. Sunt enim, qui uſum Pallii ab Imperatoribus conceſſum Patriarchis velint: ſunt contrà, qui Pallium ita proprium Patriarcharum ſemper fuiſſe contendant, ut nec ab Imperatoribus illud, nec ab alio quoquam acceperint. Multa fuerunt hactenus à multis in utramque partem diſputata. Sed cùm eorum ſingulis nihil aliud fuerit propoſitum, quàm ut, & ſuam quiſque tueatur opinionem, & contrariam impugnet; omnia etiam nunc adeo ſunt, & obſcura, & dubia, ut vix quidquam certi ſit, in quo hærere poſſis. Quare experiri liber, ecquid operâ meâ, & illi inter ſe quoquo modo conciliari poſſint, & nodus ille, qui jam diu torſit Eruditos, expediri queat.

II. Patriarchæ faſcias ab Imperatoribus mutuati.

Neutram ego ſententiam, aut ſequor, aut repudio: ex utraque quod mihi, aut verius, aut ſimilius vero viſum eſt, ſeligo; opinionis verò meæ, ne te diutius demorer, hæc ſumma eſt. Pallii, uti ſuprà dictum eſt, partes olim fuerunt omnino duæ, caſula & faſciæ crucibus inſignes. Utraque pars, ſive altera juncta eſſet alteri, ſive ab ea ſeparata, *Pallium* dicta eſt. Patriarchæ caſulam à nemine, quod ſciam; faſcias ab Imperatoribus mutuati ſunt: ita tamen ut Imperatorum conſenſus, ut ipſi uterentur, ab illis nunquam fuerit expetitus; interdum tamen, ut Pallii uſum aliis concederent: quod qua ratione, quáve de cauſa factum ſit, paucis exequar.

III Caſulis ab initio uſi ſunt Patriarchæ.

Notum eſt Summos Judæorum Pontifices inſigni veſte ornatos Legis ceremonias peregiſſe: inde Apoſtolis primùm, deinde iis, qui Apoſtolos exceperunt, Epiſcopis è re Chriſtiana fore viſum eſt, ſi veſtem ſolito auguſtiorem in ſacris obeundis adhiberent. Quod verò Chriſtiani plerique, ut autor eſt Tertullianus, iique potiſſimùm, qui ſanctiorem aliis vitæ rationem ſequerentur, geſtarent Pallia; huic indumen-

PALLIUM.

to Pallii nomen inditum eſt. Hujuſmodi caſulæ deinceps, non à Patriarchis modò, ſed à Primatibus etiam ad ſacra facienda adhiberi cœpræ ſunt, ſed pro diverſis regionibus aliæ ab aliis diverſæ, & pro minori, majorive dignitate, vel breviores, vel longiores.

IV. In his caſulis nullæ erant faſciæ.

Iis, ut opinor, dum in Chriſtianum nomen ſævitum eſt, nec lora, nec faſciæ ullæ, quæ ornamenti loco eſſent, additæ fuerunt: ad generis illius caſulas reſpexiſſe putem Scriptores illos, à quibus Pallia jam inde à primis naſcentis Eccleſiæ temporibus in uſu fuiſſe memoriæ proditum eſt. Pallio enim jam tum uſi ſunt, & Linus alter à Petro Romanus Epiſcopus, ſi Ruperto & Auguſtino Patricio credimus; & Maternus etiam Treverenſis, ut tradit Rupertus idem; & Marcus, & alii deinceps Pontifices, teſte Liberato.

L. 1. de div. Off. c. 27. L 1 ſacr. Rit.

V. Faſciæ exemplo Imperatorum adhibitæ.

Ubi verò adolevit Chriſtiana res, & ſub Conſtantino Magno florere cœpit, tum faſciæ Palliis adjunctæ ſunt. Cur verò additæ ſint, duplex cauſa perhibetur: una, quòd Summi apud Judæos Pontifices ſupra tunicam Rationale gererent pretioſis lapillis ornatum; altera quòd hujuſmodi faſciis, cùm illuſtres apud Romanos viri, tum Imperator ipſe uteretur: erant enim, ut teſtatur in Aureliano Vopiſcus, virorum illuſtrium veſtes pluribus diſtinctæ, ſive ſegmentis, ſive faſciis; ſi una, *monolores* dicebantur; ſi duabus, *dilores; trilores*, ſi tribus, &c. Quod etiam nos docent figuræ tum Theodoſii Junioris apud Fulvium Urſinum, tum Michaëlis & Manuelis Palæologorum apud eruditiſſimum Cangium.

VI. Diſcrimen Pallii Patriarchæ & Imperatoris.

Illud tamen inter Imperatorum & Pontificum faſcias intererat, quòd Imperatorum faſciæ modò eſſent ex purpura, modò ex byſſo alióve panno contextæ, & diverſis notis, quæ vel à nobilitate, vel à victoriis plerumque petebantur, pro arbitrio Principis diſtinctæ. Pontificum verò faſciæ & candidæ ſemper erant, & ſalutari crucis figura inſignitæ, ut teſtatum eſſet omnibus ex candore morum, & virtute cruci indita omne gentis Chriſtianæ decus efflореſcere. Ea verò ornamenta nec Imperii Principes, nec Imperator ipſe Patriarchis indulſit: ſed ea propria ſibi autoritate adſcivit primùm Romanus Pontifex, tum illius ſive conſenſu, ſive exemplo, alii Patriarchæ, quò major, & rebus ſacris reveren-

 tia, & Pontificibus majeſtas conciliaretur: quæ multò erunt illuſtriora, ubi ea, quæ contra meam opinionem facere videntur, excuſſero.

VII. Quæ objici ſolent. Sunt enim multa, quæ opponant ii, qui aliter ſentiunt; eaque ſunt hujuſmodi. Si dandi Pallii jus nullum penes Imperatores fuit, cur in donatione Conſtantini ab eo uſus Pallii Silveſtro permittitur? Cur Anthimus Conſtantinopolitanus Patriarcha ab Agapeto depoſitus, Pallium, teſte Liberato, reddidit Imperatori? Quid eſt, quòd Gregorius ipſe Magnus petierit ab Imperatore, ut Antiocheno Patriarchæ, qui è ſua ſede pulſus erat, liceret Romæ, ubi tum erat exul, & Pallio uti, & ſacra ſolemnia celebrare? Quid denique, & Vigilius Juſtiniani, & Gregorius Mauricii conſenſum expoſcunt, ut ille Auxanio Arelatenſi, hic Siagrio Heduenſi Pallium mitteret? Quò ea pertinent, niſi ut vincant Imperatorum fuiſſe uſum Pallii, & quibus, & quando liberet, concedere? Hæc quidem illi.

VIII. A Conſtantino non datum Silveſtro Pallium. Sed adverſus ea facilis eſt & expedita defenſio. Ac primò quidem, quid certi elici poteſt ex ea Conſtantini donatione, cùm Eruditorum ferè omnium conſenſu fictitia ſit, eoque maximè, quòd in ea nulla Pallii mentio fiat; ſed Phrygii, lori, chlamydis, quibus verbis, qui Pallium exprimi volunt, ne ii quidem conſentiunt inter ſe. Baronius enim *Phrygio*, Cl. Petrus de Marca *Chlamyde* Pallium intelligi putat. Nec cuiquam mirum videri debet, quòd Anthimus Pallium miſerit Juſtiniano, cùm ipſius autoritate illam dignitatem adeptus eſſet. Erat etiam cur de Antiocheno Patriarcha ad Imperatorem ſcriberet Gregorius; verebatur ſcilicet ſummâ prudentiâ Pontifex, ne ægrè eſſet Imperatori, ſi ipſius juſſu dejectus è ſede Patriarcha, vel Romæ, inſignia dignitatis retineret.

IX. Conſenſus Imperatoris cur petitus. Petitum tamen & à Vigilio & à Gregorio Imperatoris conſenſum, quod totius negotii caput eſt, non diffitebor: an ideo dandi Pallii poteſtas penes Imperatores fuit; nihil minus. Cur id ab iis factum ſit, hæc una fuit & princeps ratio. Gothis & Beliſarii & Narſetis virtute devictis, Roma tum Græcis ſerviebat: Exarchi nutu regebatur Italia: plena omnia timoris erant, plena ſuſpicionis, ne Itali, Romani præ-

cipuè, novis rebus ſtuderent. Quod haud ita pridem Silverio fraudi fuerat, inde Romanis Epiſcopis, qui in urbe poterant plurimùm, è re & Romana & Chriſtiana fore viſum eſt, ſi nullam cum exteris, ſive Principibus, ſive Epiſcopis, inirent ſocietatem. Cùm verò uſus Pallii commune quoddam eſſet Pontificem inter & Epiſcopos, tum amoris, tum ſubjectionis vinculum; ſi quis aut Epiſcopus ſibi; aut Princeps Epiſcopo honorem Pallii expoſceret, is numquam à Romano Pontifice abſque conſenſu Imperatoris permiſſus eſt; ne externa, aut ſibi, aut Romanis præſidia parare videretur. Unde ſolemne fuit Romanis Pontificibus, ubi Pallium ex conſenſu Imperatoris Metropolitanis indulſerant, eos hortari, ut inter Imperatorem & Regem, cui erant ſubditi, pacem foverent, & concordiam: quod ſemel atque iterum præſtitit Vigilius, cujus ad Aurelianum verba ſunt hæc: *Oportet ergo charitatem veſtram inter Domnos filios noſtros clementiſſimos Principes, & glorioſiſſimum virum, id eſt, filium noſtrum Childebertum Regem gratiæ intactæ fœdera cuſtodire.* Eadem ferè ad Auxanium paulò antè ſcripſerat. PALLIUM.

X. Quando petitus ſit, certæ regulæ.

Ut verò certa ſit regula, quâ petitúſne ſit Imperatoris conſenſus, necne, judices. Hi tres tibi canones ſunto. Si Roma tum fuit Græcis ſubdita: ſi dandum erat Pallium Epiſcopo, qui pareret Principi & extero, & vicino Italiæ: ſi nulli hujus ſedis Epiſcopo uſus Pallii conceſſus fuerat poſt receptam à Græcis Italiam: tum, ne ullus eſſet ſuſpicioni locus, exquiſitus ſemper Imperatoris conſenſus; ſi verò vel una ex his conditionibus defuit, numquam petitus: quia tum, quod metuerent Græci, nihil erat. Ac ne quis fortè id à me temere dictum putet, advertat animum, quàm bellè exempla propè omnia cum his, quas præſcripſi, regulis conſonent. Quo argumenti genere nullum eſt certè hac in re robuſtius.

XI. Regulæ probantur exemplis.

Petiti ab Imperatore conſenſus nulla uſquam ante Vigilium mentio eſt. Primus ab Juſtiniano conſenſum petiit Vigilius. Unde pari in cauſa tam diſpar dandi Pallii ratio? niſi quòd ante Vigilium vel Gothis vel Romanis Imperatoribus parebat Italia; Vigilii verò ætate Græcis. Uſum Pallii pluribus indulſit Gregorius, Siagrio Heduenſi, Felici Meſ- L.3.Ep.55.

Pallium. ſanenſi, Joanni Corinthiaco, & aliis, quos appellare longius ſit. In Epiſtola ad Siagrium Imperatoris conſenſûs mentio fit; in aliis nulla: quia illi Imperatori Græco ſuberant, Siagrius Francorum Regibus.

XII. Alia exempla. Auxanio Arelatenſi, uti diximus, miſſum à Vigilio Pallium eſt: miſſum etiam à Gregorio Virgilio itidem Arelatenſi. Cur conſenſiſſe Imperatorem teſtatur Vigilius? Gregorius non meminit? Hæc una, niſi mea me fallit opinio, cauſa fuit, quòd poſt ſubditam Græcis Italiam Vigilius Pallium Epiſcopo Arelatenſi primus conceſſerat; Gregorii verò longè diſpar conditio, qui Vigilii ſecutus exemplum, nullum privilegium ſedi Arelatenſi contulit. Unus Vigilius conſenſum Imperatoris pro Arelatenſibus Epiſcopis bis petiit, ſemel pro Auxanio, iterum pro Aureliano: ſumma enim tum erat in urbe Juſtiniani poteſtas, à quo plus ille ſibi, quàm cæteri, metuebat: quod ex Hiſtoriæ fide certum eſt. Aliquando exteræ gentis Epiſcopis, ut Leandro Hiſpalenſi, & aliis, uſus Pallii permiſſus eſt; nec petitus tamen ab Imperatore conſenſus, quòd iis ſubditi eſſent Regibus, à quibus Italiæ (aberant enim longiùs) nihil timebatur. Auxanius verò & Siagrius Francis parebant Regibus, quorum virtus, felicitas, vel nomen ipſum terrori erant Italiæ.

XIII. Conſenſus Imperatoris rarò petitus. Sed ut nihili ſint, quæ dicta ſunt à nobis omnia; vel hæc una ratio rem totam conficit. Sexcentis plus minùs diverſarum & regionum & gentium Epiſcopis datum à Romanis Præſulibus Pallium eſt; pro iis omnibus, ſi Auxanium, Aurelianum, & Siagrium, & ſi qui ſunt præterea, paucos exceperis, quæſiti ab Imperatore conſenſus ne ullum quidem extat veſtigium. Cujus ergo hominis eſt, quod ſemel tantùm atque iterum factum eſt, id non caſu aliquo, ſed certa lege factum eſſe contendere? indeque dandi Pallii poteſtatem, & aſſerere Imperatoribus, & detrahere Summo Pontifici? Quaſi verò, quod iis ex uno alteróve exemplo concludere libet; ex infinitis propè contrariis contrarium nobis colligere non liceat. Maneat ergo concedendi Pallii jus in Occidente penes unum Romanum fuiſſe Pontificem. Sed de his hactenus.

CAPUT III.

Quibus datum Pallium.

ROMANO Imperio dum potiti ſunt ethnici Principes, I.
divinaque myſteria locis in abditis peracta ſunt; honos Pallii inter Patriarchas ſtetit; nullique, quod memoriæ proditum ſit, niſi fortè Materno Trevirenſi, datus eſt. Ubi verò Chriſtiana res Imperatorum, & exemplis, & reſcriptis è tenebris emerſit, Religio ſenſim Romanum orbem complexa eſt, tumque Oſtienſi Epiſcopo communicatus à Marco Pontifice anno CCCXXXVI Pallii uſus dicitur: ab eo enim jam inde ab his temporibus Romanum Antiſtitem conſectari moris erat.

Pallium primò proprium Patriarchis.

Deinde cùm Chriſtianum nomen in remotioribus etiam II.
provinciis magis in dies effloreſceret, Romani Præſules vices ſuas delegarunt Epiſcopis, qui, aut ſedis dignitate, aut virtutum famâ præſtarent cæteris: non pluribus tamen, ſed in ſingulis diœceſibus ſingulis, ut in Illyrico Theſſalonicenſi, Arelatenſi in Gallia, Hiſpalenſi in Hiſpania, & aliquantò pòſt in Britannia Cantuarienſi.

Deinde communicatum Vicariis.

Quod à Principibus interdum uſurpari ſolet, ut Ordines, III.
ſive regios, ſive militares, inſtituant: in quibus, qui allecti ſunt, ii, ut ſecernantur à vulgo, armillas, torques, aliaque id genus deferunt inſignia: haud aliter à Præſule Romano Pallii decus iis per provincias Vicariis delatum eſt, quò præ cæteris, quos ipſius nomine regebant, Epiſcopis aliquid haberent præcipui. Primis itaque temporibus uſus Pallii conceſſus tantùm iis eſt, quibus pontificiæ delegatæ vices: haud multò pòſt aliis etiam, ſive Metropolitani eſſent, ſive meri Epiſcopi, à quibus in publicam rem Eccleſiæque commodum multum opis ſperabatur, quòd aut virtutibus, aut nobilitate, aut magnâ apud Reges gratiâ florerent. Eo nomine, & Siagrius à Gregorio, & à Joanne VIII Adalgerius, uterque Heduenſis Epiſcopus, Pallium obtinuit: quorum ille apud Theodebertum, hic apud Carolum Calvum po-

Tum pluribus ſive Metropolitanis, ſive Epiſcopis.

PALLIUM. terat ſanè plurimùm. Ideo etiam datum eſt, & Grodegango, & Drogoni Metenſibus, quòd alter Pippini cognatus eſſet, alter Caroli Magni filius. Ætardo etiam Nannetenſi virtutis ergò indulſit Adrianus II ob cruciatus fidei causâ fortiter toleratos. Infinitus ego ſim, ſi exempla omnia perſequar. Hæc ad rem noſtram ſatis ſint.

IV. Omnibus Metropolitanis. Hæc ferè dandi Pallii ratio fuit uſque ad Zachariam Pontificem. Is enim omnium princeps tria Pallia Bonifacio Moguntino miſiſſe perhibetur, quæ daret Metropolitanis totidem, Grimoni, Abeli, Artberto: paulò pòſt ipſius juſſu anno DCCXLII à Bonifacio vocata eſt Synodus, in qua ſumma, & Zachariæ, & Metropolitanorum voluntate decretum eſt, ut Metropolitani deinceps Pallium à Sede Romana peterent, & in omnibus *S. Petri præceptis* obſequerentur, ut ſcribit Bonifacius ipſe. (*Epiſt. 105. ad Cuth. rt.*) Quæ regula per Galliam primùm univerſam, tum per Hiſpaniam, aliaſque regiones ſenſim propagata eſt, & ab omnibus ſervari cœpit. Quo verò plus illi roboris adderetur, ſub Adriano II anno DCCCLXXII in octava Synodo ſancitum eſt, ut Metropolitani à Patriarchis, vel *per manuum impoſitionem*, vel *per conceſſionem Pallii* conſecrarentur. Inde per orbem Chriſtianum ea lex obtinuit, ut Metropolitani ſinguli Pallium à Patriarchis reciperent; à Romano in Occidente, in Ægypto ab Alexandrino, & ab aliis in ſua quiſque diœceſi.

V. Pallium Gallicum & Græcum. Ne quis enim, niſi errare velit, Synodi Matiſconenſis anno DLXXXI canonem primum de Pallio Romano intelligat: in eo quidem cautum eſt, ne quis Archiepiſcopus abſque Pallio ſacra peragat ſolemnia. At Pallium illud non Romanum fuit, quod necdum omnibus erat Archiepiſcopis commune; ſed Gallicum: veſtis erat ſacra & propria Metropolitanorum; ſed Pallio Romano & anguſtior & brevior, & nullis, ſive faſciis, ſive crucibus, inſignis. Unde factum eſt, ut mihi quidem videtur, ut Romani Præſules plerumque Pallia non miſerint integra, ſed eorum tantùm ornamenta, faſcias & cruces, quæ hodierno Pallio, uti jam ſuprà diximus, haud erant abſimiles. Fuit etiam apud Græcos genus quoddam Pallii commune Epiſcopis omnibus, quod ſicut Gallicum à Romano, ita à Metropolitanorum

rum

rum Palliis erat in eo diverſum, quòd illa rubeis eſſent diſ- PAL-
tincta crucibus; iſtud non item: id enim admonere nos LIUM.
videtur Balſamon, dum Epiſcoporum Pallium *ὠμοφόρειον* voce communi appellat; Metropolitanorum verò *φενόλια πολυσταυρείων*.

Quærat fortè hoc loco quiſpiam, an Afris Primatibus, VI.
Græcíſve Patriarchis Pallium miſerit unquam Romanus An datum
Pontifex. De Africanis nulla probant exempla; de Græcis Africanis
perpauca, eaque incerta. Sed lubet de ſingulis, quò res ſit Epiſcopis.
teſtatior, ſeparatim diſſerere. Africanæ Eccleſiæ duæ fuerunt quaſi ætates: prima ab Apoſtolorum temporibus ad Genſericum pertinet Vandalorum Regem, à quo erepta Romanis Africa eſt; altera ab Africa Beliſarii virtute recepta de Vandalis ad eam rurſus oppreſſam à Mauris. De prima ætate ſi agitur, honorem Pallii ab Afris Epiſcopis, nec expetitum, nec iis unquam conceſſum arbitror: cùm ne minimum quidem hujus rei, ſive in Africanis Conciliis, ſive in Epiſtolis Pontificum, ſive in aliis, quos ego legerim, Autoribus, extet veſtigium. Eò accedit, quòd id temporis Pallium daretur tantùm iis, qui multas Summi Pontificis juſſu provincias vicaria regebant autoritate. Unde ſi cui in Africa Epiſcopo miſſum eſt, uni ſanè Carthaginenſi, præterea nemini. Poſt devictos verò à Beliſario Vandalos, Carthaginenſis Epiſcopus Romanum Pallium expetiit; illique, qui cæterorum Primatum Primas erat, ſed uni, permiſſum eſt: cujus rei locupletem & idoneum autorem habeo Leonem IX, cujus, dum de Carthaginenſi Epiſcopo loquitur,
verba ſunt hæc: *Solus Pallium in Africa ab apoſtolica Sede* Epiſt. 4.
habere ſolet, unde & Epiſcopos conſecrandi principale & antiquum jus retinet.

Haud aliter ferè de Græcis Patriarchis, ac de Primati- VII.
bus Africanis mihi videtur: iis, dum Græci Græciâ Syriaque An datum
potiti ſunt, Pallium nuſquam datum eſſe; dum Galli, om- Græcis.
nibus. Sunt tamen, qui duo proferant exempla, alterum Cæleſtini, Joannis XI alterum, quorum ille S. Cyrillo Phrygium miſiſſe à Photio & Balſamone dicitur, ut ipſius nomine Epheſinæ Synodo præſideret. Sed habeo, cur iis non credam, quòd & ipſi unde id ſumpſerint, non prodi-

F

PALLIUM. derint, & in Cæleſtini ad Cyrillum Epiſtolis ne ullum quidem de Phrygio Palliòve verbum ſit. Nec firmius illud, *In relat. ſua legationis.* quod de Joanne X I memorat Luitprandus. Is enim, ſi Luitprando credimus, ab Alberico Romæ dum captivus detinetur, Theophylacto Patriarchæ Conſtantinopolitano, (Romani Imperatoris filius erat) vel invitus indulſit, ut, & ipſe, & alii deinceps Patriarchæ abſque conſenſu Romani Præſulis Pallio uterentur. ***Unde mos inolevit***, inquit ille, ***ut non ſolùm Patriarcha, ſed etiam omnes Græciæ Epiſcopi utantur Palliis.*** At cùm à nemine prætereà, quod ſciam, id memoriæ proditum ſit, nec ullus dati Græcis à Romano Antiſtite Pallii unquam præter illum Scriptor meminerit; quæ Luitprando fides ſuper hac re habenda ſit, tu ipſe videris.

VIII. Quando datum Græcis. Poſtquam verò & Syria Saracenis, & Græcis Græcia Francorum fortitudine erepta eſt, Pallii à Sede Romana petendi uſus ubique invectus eſt. E Latinis enim eligi cœpti ſunt, & Patriarchæ, & Metropolitani plerique, quibus haud ægrè perſuaſum eſt, ut à quo dignitatem ipſam reciperent, peterent etiam ab eo dignitatis inſigne, Pallium: extitit tamen qui ex altari Eccleſiæ ſuæ Pallium ſumeret Radulphus Antiochenus Patriarcha, de quo ubi Romam allatum eſt, juſſus eſt continuò Radulphus abſtinere à Pallio, donec aliud à Sede apoſtolica obtineret. Is Pontifici, quamvis jura Patriarcharum prætexeret, morem geſſit: ne quis verò idem quod ille, deinceps auderet, in Lateranenſi Synodo ab Innocentio III ſancitum eſt, ut Pallium & Romanus Pontifex Patriarchis, *& ipſi ſuis Suffraganeis largirentur.* Per Suffraganeos, an Metropolitas tantùm ſingulis Patriarchis ſubditos intelligat, an Epiſcopos etiam, quibus antea uti Pallio fas erat, obſcurum eſt.

IX. An datum Abbatibus. Unum ſupereſt, quod iis quæ diximus, ſubtexere abs re non fuerit: an Abbatibus, Preſbyteris, Diaconis honor unquam Pallii delatus ſit. Sunt quidem, qui datum illis, vel ex eo augurentur, quòd vices apoſtolicæ, quæ multò pluris erant, iis interdum permiſſæ ſint. At ii ſanè opinione ſua falſi ſunt: vices quidem ſuas iis ſæpe indulſerunt Pontifices, ut Philippo Preſbytero Cæleſtinus, & Petro Abbati Adrianus I, ut ille Epheſinæ Synodo, hic Nicænæ ſecundæ præ-

ſideret: id etiam conceſſit Petro Diacono in Sicilia Gregorius, & aliis alii, quos hîc appellare nihil attinet. Qui verò honorem Pallii, niſi Epiſcopus, adeptus ſit; ne unum quidem, quod equidem ſciam, uſpiam reperire eſt: quòd enim Pallium Abbati Odiloni miſſum opinantur, id ſecus eſt. Abbas quidem Odilo fuit; fuit & Burchardo Lugdunenſi ſublectus à Summo Pontifice Epiſcopus, ut Glaber autor eſt, miſſaque illi continuò & Pallium & annulus, non quibus Abbas, ſed quibus Epiſcopus Odilo uteretur. PALLIUM.

CAPUT IV.

Quæ jura cum Pallio data.

USUM Pallii à Romanis Præſulibus eò tantùm inductum nonnulli ſuſpicantur, quò Metropolitani Romanæ Sedi magis obnoxii ſint: quorum ego ſententiæ nunquam ſubſcripſerim. Nec enim ſuæ tantùm autoritatis tuendæ causâ id factum ab iis arbitror; ſed fidei potiùs, & conſervandæ & propagandæ ſtudio: cùm nihil & ad publicum Eccleſiæ commodum utilius fingi poſſit, & ad Epiſcoporum gloriam illuſtrius. Multa Pallio adjuncta fuiſſe privilegia, nemo, niſi harum rerum planè rudis, neſcit: unde Primates, Metropolitani, Epiſcopi ſibi quiſque hunc honorem appetere; ſuas, amicorum, Regum etiam ſæpe, ut Pallium obtinerent, adhibere preces: idque Summis Pontificibus ſolemne fuit, Pallium non dare aut invito, aut non petenti: quod cuique, tum ex aliorum, tum ex Gregorii maximè Epiſtolis intelligere licet: nec, qui peterent, adepti ſunt omnes; ſed initio in ſingulis diœceſibus ſinguli, uti ſuprà monuimus. I. Qua de cauſa inductus Pallii uſus.

Quæ verò jura Pallio annexa ſint, ſingulatim perſequi operoſum ſit: nec enim fuerunt ſemper eadem, ſed pro diverſis & perſonis & temporibus diverſa. Initio quidem unà cum Pallio data eſt vicaria poteſtas, ut Arelatenſi in Galliis, ut Theſſalonicenſi in Illyrico, &c. quorum erat vocare Concilia; de cauſis Epiſcoporum cognoſcere; ſi cui aliò eundum eſſet, formatas dare literas; ſi quid à quoquam ſive II. Data cum Pallio vicaria poteſtas.

PALLIUM.

contra fidem, ſive contra diſciplinam peccatum eſſet, corrigere, & alia id genus obire munera, quæ nullius erant ſedis propria, ſed vicariæ poteſtatis.

III. Datum deinde, ut Metropolita Primati, Epiſcopus Metropolitæ non ſubeſſet.

III. Poſtquam verò Pallium communicari pluribus cœpit, pontificiæ vices deferri cuiquam deſitæ ſunt; ſed alia jura, ſive ſedi, ſive perſonæ conceſſa, quorum alia diuturna eſſent, alia non item. Sedi, ſi metropolitana fuit, datum eſt pleumque, ut nulli ſubeſſet Primati, ſed uni Epiſcopo Romano. Unde, ſimul ut Zacharias Metropolitanis omnibus Pallium indulſit, omnis continuò in alios Galliæ Metropolitas Epiſcopo Arelatenſi abrogata poteſtas eſt. Ne quis verò mihi hoc loco litem moveat de Primatu Lugdunenſi, Bituricenſi, Senonenſi, Viennenſi, &c. Illi enim Primates his temporibus, de quibus agimus, recentiores ſunt aliquantò: Toletani verò & Cantuarienſis alia ratio eſt. Sed de his omnibus aliàs viderimus. Si verò ſedes epiſcopalis erat, tum primus poſt metropolitanam locus ei datus eſt, ut multis quidem videtur. Inde factum, ut Heduenſis ſedes in Lugdunenſi prima, & in tertiâ Cenomanica primum poſt metropoles locum obtineant, & in Belgica prima Metenſis: quòd earum urbium Epiſcopis Siagrio, Aigilberto, Grodegango, aliiſque honor Pallii delatus eſt. In ea tamen, quæ Honorii tempore condita eſt, Notitia, eodem omnino, quo nunc, ordine recenſentur: at ea fortè Notitia, ut viro erudito placuit, civilis eſt, non eccleſiaſtica. Ego utriuſque & Pallii & Notitiæ habitam rationem arbitror, ſi cui Epiſcopo datum erat Pallium, illa ſedes primas tulit; ſin minùs, ea, quæ in Notitia primo poſt metropolim loco appellata eſt.

IV. Data etiam facultas vocandæ Synodi, &c.

IV. Perſonæ duo interdum conceſſa ſunt: aliud tamen alii ut plurimùm, aliquando etiam utrumque ſimul: primum, ut vocaret Synodos; alterum, ut Archiepiſcopus diceretur. Primum habuit Siagrius; ſecundum Grodegangus, Theodulfus & alii: quamquam, ut conjectura eſt, eorum alterum uſurpatum ab Epiſcopis potiùs, quàm conceſſum à Summo Pontifice ſuſpicor. Tertium etiam nonnumquam additum eſt, ut, ſi quid peccaret, nec Metropolitani eſſet, nec Primatis, de ipſius cauſa cognoſcere, ſed unius Romani Præſulis: quod Ermemberto Bituricenſi tribuit Adrianus I;

& Ætardo Nannetenſi Adrianus II; id tamen non datum omnibus, exemplo ſuo nos docuit Theodulfus Aurelianenſis, qui cùm à Stephano V Pallium accepiſſet, in ſuſpicionem venit conſpirationis in Ludovicum Pium: continuò ab Epiſcopis Galliæ vocatus in judicium eſt, ejectus è ſede, & in Monaſterium detruſus. PALLIUM.

V. An datum, ut Epiſcopus à Metropolitano non judicaretur.

Ne cui tamen fraudi ſint ea quæ dicta ſunt hactenus, triplex à nobis adhibenda cautio eſt. Prima erit hujuſmodi: ſi cui Pallium Epiſcopo ratione ſedis, cui præerat, mitteretur, tum nihil in eum Metropolitano juris erat, illiuſque judicandi poteſtas penes unum Romanum Antiſtitem fuit. Si verò virtutis ergò, aliáve de cauſa daretur; idem quod priùs, in eum jus habuit Metropolita. Unde nec Siagrius à Gregorio Magno, nec à Joanne VIII Adalgerius, Heduenſis uterque Epiſcopus, à Metropolitani juriſdictione ſoluti ſunt. Altera cautio ſit, iis, qui utebantur Pallio, & proprium fuiſſe, & commune omnibus, ſive Epiſcopis, ſive Metropolitis, ut Summi Pontificis eſſent veluti *oculi* & *manus*, quibus, quæ ab urbe aberant longiùs, & videret, & regeret: quare, ſi neglecta diſciplina; ſi violati canones; ſi quid ſceleris à quoquam admiſſum eſſet, eorum erat vulneri mederi, ſi poſſent; ſin minùs, cauſam deferre ad Romanam Sedem; & accepta, ſi Pontifici liberet, poteſtate, de ea judicare. Tertia denique cautio hæc erit: ſi quid cui occurrat ſuper hac re in Scriptoribus, in quo hæreat; non omnia, de quibus egimus, privilegia conceſſa eſſe omnibus, ſed alia aliis, pro Summi, qui tum erat, Pontificis arbitrio.

CAPUT V.

Quæ onera cum Pallio impoſita.

I. Tria Pallii onera.

TRIA fuerunt præcipuè Pallii, vel ſuſcipiendi, vel ſuſcepti onera: Pallium petere, ſacramento ſe obligare Pontifici, nullaque, quæ quidem Epiſcopi ſint, ante acceptum Pallium obire munera. De ſingulis dicendum breviter.

II. Quando petitum ab Epiſcopis Pallium.

Apud Collectores Canonum obvia cuique eſt Conſtitutio,

PALLIUM. quâ cautum eſt, ne quis Metropolita, ubi electus eſt, intra tres menſes & fidei ſuæ reddere rationem, & Pallium expoſcere omiſerit; ſin minùs, ejus ordinatio rata non ſit. At dubiæ eſſe fidei Decretum illud, vel ex eo intelligere licet, quòd à Burchardo & Anſelmo, Damaſi; ab Ivone & Gratiano Pelagii eſſe dicatur. Utriuſque ſanè eſſe non poteſt; ne alterutrius quidem, cùm & Damaſi & Pelagii tempore uſus Pallii, vel uni in ſingulis diœceſibus Sedis apoſtolicæ Vicario, vel paucis Metropolitanis, nedum omnibus, permitteretur. Ætate Gregorii Magni, & ſuis, & amicorum literis Pallium expetere moris erat. At ullam Metropolitanis de Pallio legem fuiſſe quis putet, cùm necdum daretur omnibus: ubi à Zacharia, id enim verius putem, Pallium ſingulis conceſſum eſt: tum inducta eſt conſuetudo, ut quiſque Pallium intra tres menſes, paulò pòſt intra annum, vel literis, vel per ſe ipſe peteret; vimque legis mos L.3.Ep.24. ille ſenſim obtinuit. Nec diffitetur ſanctus Anſelmus, niſi intra annum petat à Sede Romana Pallium, fore; cur ipſe, nec injuriâ, deponatur.

III. Pallium Romæ datum. Inde factum eſt, ut Metropolitani plerique, ſive Pallii accipiendi causâ, ſive urbis viſendæ ſtudio Romam ſe conferrent. Altera etiam ratio ſuberat, ut Summus Pontifex, quæ cujuſque Metropolitani fides; qui mores; quæ doctrina; quid à quoque in provinciis gereretur, ipſe per ſe cognoſceret. Eoque proceſſit ea conſuetudo, ut ſæculo undecimo nefas eſſet; & Metropolitanis Romam non venire, & Romano Epiſcopo Pallium mittere abſenti, niſi tamen è re Chriſtiana eſſet aut publica. Exemplo nobis ſit, ut ab L.6.Ep.30. aliis abſtineam, Lanfrancus Cantuarienſis, quem Gregorius VII, quòd non veniſſet Romam, primùm officii ſui admo- L.9.Ep.20. net; tum, niſi intra quatuor menſes Romæ ſe ſiſtat, ab omni epiſcopali munere removet.

IV. Pallium quando miſſum. Eam legem id temporis Metropolitanis poſitam omnibus fuiſſe teſtantur Gregorius VII & Petrus Damiani, iique omnes qui petendi Pallii causâ Romam ſe contulerunt, ſive L.1.Ep.24. L.7.Ep.4. Metropolitani, ſive Primates, ut Lanfrancus ex Anglia, ut ex Hibernia Malachias, ut Bernardus Toletanus ex Hiſpania, ut ex aliis regionibus alii: quod tamen interdum, ſive

per Reges, ſive per valetudinem ſingulis ire Romam non licerct, Pallia mitti cœpta ſunt ad Legatos, penes quos ſumma rerum tum in provinciis erat. Ii Metropolitanis, poſt exactum fidelitatis ſacramentum, Summi Pontificis nomine dabant: ubi verò per Legatos provinciæ adminiſtrari deſitæ ſunt, Pallium ad Metropolitanos Româ miſſum eſt; quæ conſuetudo etiamnunc obtinet.

PALLIUM.

V. Alterum onus Pallii, præſtare fidei ſacramentum.

Varia fuit variis temporibus, ſive fidei profeſſio, ſive juramenti formula. Primùm quidem ab iis, quibus datum Pallium eſt, nihil aliud expetitum, quàm ut eam, quam profiterentur, fidem ſcriptâ ad Romanum Præſulem epiſtolâ exponerent; illiſque in primis commendata obſervatio canonum, morum ſanctitas, religioniſque & tuendæ & propagandæ ſtudium, quò ſacræ veſtis nitori virtutum ſplendor reſponderet. Id nos docent ubique paſſim Gregorii Magni Epiſtolæ, nihil ut opus ſit exempla hoc loco ſubtexere. Octavo ſæculo fidei profeſſioni à Bonifacio Moguntino nonnihil additum eſt: is enim omnium princeps, dum Zachariæ de miſſo ad ſe Pallio gratias agit, hanc epiſtolæ clauſulam inſeruit: *Sicut prædeceſſorum veſtrorum pro autoritate ſancti Petri ſervi devoti, & ſubditi obedientes, & ſubditi ſub jure canonico.* habitaque, uti diximus, anno DCCXLII Synodo, idem ut præſtarent alii, omnibus autor fuit, & omnium conſenſu, ut *per omnia præcepta Petri canonicè ſequerentur*, decretum eſt.

Ep. 132. ad Zachar.

Ep. 105. ad Cudbert.

VI. Nova ſacramenti formula.

Paulò pòſt tamen à Gallis ideo titubatum eſt, quòd vererentur nonnulli, ne quid ea formula è Metropolitanorum dignitate detereret: id ex ipſo Bonifacio diſcimus. Ubi verò perſuaſum eſt ſingulis, nihil eſſe cur ſibi à Romana Sede metuerent, hunc unum Pallii uſum fore, ut ipſis eſſet veluti inſigne quoddam, quo ab Epiſcoporum vulgo ſecernerentur: tum acceptum ab omnibus Pallium eſt, exhibitaque Summo Pontifici obedientia, quæ tamen ultra canonum modum, & ſtatutas à Patribus regulas non proceſſit. Ea verò quæ tum uſurpari cœpta eſt formula, & quæ tempore Caroli Calvi erat in uſu, eſt hujuſmodi: *Beato verò Petro & Vicario debitam ſubjectionem & obedientiam; Suffraganeis verò noſtris adjutorium me exhibiturum profiteor.*

Ep. ad Zachar.

PALLIUM. VII. Fidei ſacramentū ſub Gregorio VII.

Hæc ſacramenti illius ratio fuit uſque ad Gregorii VII tempora, cùm diſſidiis ob inveſtituras, ut loquuntur, belloque arderet Italia, & nonnulli à Gregorio ad Henricum tum Germaniæ, tum Italiæ Epiſcopi defeciſſent: è re Chriſtiana fore viſum eſt, ſi veteri formulæ adderetur nova, quâ Metropolitani Romanæ Sedi arctiori quaſi vinculo unirentur. In ſexta quæ Romæ habita eſt anno MCLXXIX Synodo, omnium primus, quod quidem memoriæ proditum ſit, eâ formulâ ſacramentum præſtitit Henricus Aquilegienſis Epiſcopus; ipſius verò formulæ partem, quæ ad rem noſtram pertinet, hoc loco appingere libitum eſt: *Ab hac hora, & in antea fidelis ero beato Petro, & Papæ Gregorio, ſuiſque ſucceſſoribus, qui per meliores Cardinales intraverint. Non ero in conſilio, neque in facto, ut vitam, aut membra, aut Papatum perdant, aut capti ſint mala captione. Ad Synodum, ad quam me vocabunt, vel per ſe, vel per ſuos nuncios, vel per ſuas literas, veniam, & canonicè obediam, aut, ſi non potero, Legatos meos mittam*, &c. Quæ formula vim juris communis ſenſim obtinuit, & in Decretalium libris deſcripta eſt: ab Hungaris tamen primùm repudiata; tum Legati induſtriâ vix quidem, at recepta tandem eſt.

VIII. Tertium onus Pallii, nullum obire Epiſcopi munus ante ſuſceptum Pallium. *Ad Conſult. Bulg. c. 73.*

Poſtquam in ea, cujus ſemel atque iterum meminimus, Synodo operâ Bonifacii decretum eſt, ut à Romana Sede Pallium Metropolitanis omnibus mitteretur; alia etiam inde manavit conſuetudo, ut ipſis nefas eſſet, vel ullum, quod Epiſcopi ſit, obire munus ante acceptum Pallium. Jamque ætate ſua morem illum per Gallias, Germaniam, aliaſque regiones propagatum teſtatur Nicolaus I, *ſicut Galliarum omnes, & Germaniæ, & aliarum regionum Archiepiſcopi agere comprobantur*. Hic etiam uſus in Oriente inductus eſt, ſive à Patriarchis, ſive Synodi VIII canone 17. Ea lex apud Græcos diú-ne ſervata ſit, an paulò pòſt neglecta, non eſt hujus loci diſputare pluribus: cùm multiplex ab iis pro Imperatorum arbitrio invecta ſit in eccleſiaſticam diſciplinam varietas. Apud Latinos certè, ne quis quid in eam peccaret, Romanis Præſulibus ſummæ curæ fuit. Rotomagenſem Archiepiſcopum admonet Gregorius VII, ne aut Epiſcopos conſecret, aut Eccleſias: Paſchalis II Poloniæ Metropolitam

tropolitani, ne advocet Synodum: omnes denique Metropolitanos Innocentius III, ne quis ullum epiſcopale munus obeat, ante ſuſceptum à Romano Antiſtite Pallium. Plura hîc exempla proferre, ut in re certa, nihil juvat. PALLIUM.

CAPUT VI.

Quando & ubi Pallio uti licuit.

CUM inſigne quoddam dignitatis ſit Pallium; pro diverſa Epiſcoporum, qui eo utuntur, ratione, vel in pauciores, vel in plures, ſive provincias, ſive diœceſes, poteſtatem indicat: ſi Summus Pontifex, in orbem univerſum; ſi Patriarcha, in unam pluréſve diœceſes; in multas provincias, ſi Primas; ſi Metropolita, in unam; in unius tantùm partem, ſi merus Epiſcopus. Unde pro poteſtatis modo, aut dignitate perſonæ, uſus Pallii aut rarior fuit, aut frequentior. Patriarchis, quòd non ab alio, ſed ab altari principis Baſilicæ Pallium ſumerent, & ubique, & ſemper, eo uti fas erat; vetitum aliis, quibus verò, & temporibus, & locis uti liceret, præſcriptum fuit à Patriarcha: unde in iis, quibus uſus Pallii permittitur Pontificum Epiſtolis, certi ſingulis, ſtatique, tum dies, tum loci definiti ſunt; nec iidem omnibus, ſed alii aliis. Qui verò cuique Metropolitano dies imperati ſint, hîc annotare non libuit: quia ea cognoſcere nihil habet voluptatis; legere verò moleſtiæ plurimùm. I. Patriarchis ſemper uti Pallio licuit; aliis non item.

Quamvis certis diebus permiſſus eſſet uſus Pallii, non continuò tamen licebat integris; ſed eo tantùm tempore, quo ſacra ſolemnia peragenda, quo conſecrandus Epiſcopus, aliáve religionis Chriſtianæ celebranda myſteria. Unde ortum illud eſt Gregorium inter & Joannem Ravennatem diſſidium, quòd is in precibus publicis, quas Litanias vulgò dicimus, Pallio etiam uteretur. Fuerunt tamen, quibus Pallium Summi Pontifices ad uſum quotidianum indulſerunt, ut Hincmaro Remenſi Leo IV; ut Agapetus II Brunoni Colonienſi; utrique ob eruditionis famam, & in gratiam Principum, Lotharii Imperatoris, & Othonis Germaniæ Re- II. Pallio uti certis diebus licuit, ſed iis non integris.

PALLIUM. gis. Ille enim Hincmaro; hic Brunoni, cujus frater erat, eum honorem impetraſſe perhibetur. Sunt qui dubitent, an apud Græcos uſus Pallii quotidianus permiſſus unquam fuerit; ego crediderim apud eos, dum floruit diſciplina, fuiſſe itidem, ut apud Latinos, prohibitum: id enim innuere videtur Synodi VIII canon 27, quo cautum eſt, ne Epiſcopi iis & temporibus & locis, quibus eo uti nefas eſt, ferant Pallium; néve *tanto ac tali abutantur amictu propter typhum.* Apud Græcos recentiores, an quotidie uti licuerit, an ſecus, nihil eſt, quod affirmare auſim. Hæc habui ferè de Pallio, quæ ſcriberem.

CRUX ARCHIEPISCOPORUM.

CAPUT VII.

De Cruce Archiepiſcoporum.

I. A quo inductus Crucis præferendæ uſus.

INTER Eruditos non convenit, unde ea manaverit conſuetudo, quâ Crucis inſigne Metropolitanis præferri ſolet. Sunt qui ab Imperatorum, ut vocant, *proceſſu* eam repetant: iis enim; ſiquando regio comitatu prodirent in publicum, ignem præferri moris erat, ut autor eſt Herodianus: quod, teſte Corippo, à Chriſtianis etiam Orientis Imperatoribus multò pòſt factitatum. Ipſis etiam Patriarchis, ſi Balſamoni & Codino credimus, eo apparatu per urbes incedere ſolemne fuit. Alii morem illum fluxiſſe volunt à Chryſoſtomo, quem ad publicas, quas indixerat, ſupplicationes, Cruces adhibuiſſe refert Socrates. Id cùm fuiſſet ab eo ſemel atque iterum, vel etiam ſæpius uſurpatum; is Crucis præferendæ ritus, primùm per Orientis, tum per Occidentis provincias ita propagatus eſt, ut ſiquando Clerus præeunte populo, exorandi Numinis causâ, ab una, ut loquuntur, *ſtatione* ad aliam procederet, religioni eſſet Crucem non præferre: unde à Juſtiniano ſancitum eſt, ut deinceps ſupplicationes abſque Cruce habere publicas nefas eſſet.

L. 6. c. 8.

Novel. 123.

II. Obviàm proditum eſt cum Crucibus Patriciis Legatis, &c.

Uſum igitur ferendæ Crucis in Chriſtianum orbem Chryſoſtomi exemplo inductum fuiſſe arbitror: an verò ad Im-

peratorum proceſſum ille reſpexerit; an ſecus, conjicere quis poſſit? Utut eſt, inde certè factum liquet, ut ſi vir illuſtris, ſi Patricius, ſi munere publico, aut legatione nobilis accederet ad urbem, huic cives extra muros cum Crucibus occurrerent. Ita Legatis Hormiſdæ anno DXIX à Græcis; ita Carolo Magno necdum Imperatori anno DCCLXXIV à Romanis obviàm proditum eſt. Viſum eſt etiam Summis Pontificibus è ſua dignitate fore, ſi ipſis, quocumque ire libitum eſſet, Crucis inſigne præferretur.

Ep. 34. Hormiſd. Anaſt. in vita Adrian.

III. Crux prælata Summo Pontifici.

Quare Crux, haud aliter ac purpura, annulus, tiara inter Summi Pontificis ornamenta haberi cœpit. Ubi Victor III anno MLXXXVI ſtatuit abdicare ſe Pontificatu, Crucem auferri voluit. Ut verò illius electionem ratam fore juſſerunt Patres, continuò Crux reſtituta eſt. In Concilio Claromontano, cui Metropolitæ aderant plurimi, Crux, tanquam ſummæ poteſtatis inſigne, uni Urbano prælata eſt, præterea nemini.

IV. Jus præferendæ Crucis datum Patriarchis Græcis & Legatis.

In Conc. Later.

Beda l. 1. c. 25.

Eundem ſibi vindicaſſe honorem Græcos Patriarchas mihi dubium non eſt: Latinis ſanè, qui illos exceperunt, ultrò delatus eſt; iiſque indulſit Innocentius III, ut non in ſua tantùm diœceſi, ſed ubique terrarum Crux ante ipſos deferretur; ne tamen in eo pares eſſent Romano Antiſtiti, una, alteráve addita cautio eſt, ne id ipſis liceret Romæ, ne ibi ubi erat Summus Pontifex, ipſiúſve Legatus, qui dignitatis inſignibus uteretur. Legatis enim id jam multò antè conceſſum fuiſſe manifeſti ſunt teſtes, & Auguſtinus, & Humbertus: quorum alter in Angliam fidei prædicandæ causâ, alter unionis conciliandæ gratiâ Conſtantinopolim prælata Cruce ingreſſus perhibetur. Idem anno M Hungariæ Regi Stephano ob fidei popagandæ ſtudium à Romano Præſule datum nemo neſcit. Cardinalibus, quòd ii nihil in quemquam habeant juris, is quidem negatus honor eſt: ne tamen id illis ægrè eſſet, vetitum à Gregorio XI, ne Crux ulla ſive Primatis, ſive Patriarchæ, ibi, ubi quis eſſet Cardinalis, ipſis præferatur.

V. Primatibus.

Primatibus etiam ferendæ Crucis poteſtas facta eſt, non ubique tamen; ſed plerumque in ſua cuique, ſive provincia, ſive diœceſi: alia tamen aliorum ratio; quod hîc an-

CRUX ARCHIEPISCOPORUM. notare breviter ingratum non erit, opinor, Eruditis: de ſingulis enim dicemus aliàs pluribus. Fuerunt quibus id licuit in diœceſi integra, ut in tota Anglia Cantuarienſi: idem ſibi tribuebat Eboracenſis: idem in univerſa Hiſpania permiſit Toletano anno MCCCCXXII Martinus V: Hiſpalenſi etiam, ut fertur, anno MCCLXIV Urbanus IV: in omni Græcia anno MCCIV Innocentius III Theſſalonicenſi, cui quidquid olim habuerat juris, indulſerat. Fuerunt alii, quibus non in integra quidem diœceſi, ſed & in ſua, & in aliena provincia Crucem deferre fas erat, ut Bituricenſi in Burdigalenſi, & Sclavoniæ Metropolitano in Dalmatia. Illi hoc conceſſit Eugenius III; huic Alexander II: cùm neutrum, ſive Burdigalenſi, ſive Dalmatico Archiepiſcopo liceret.

VI. Metropolitanis. Epiſcopo Bracarenſi & Compoſtellano jus idem ab Innocentio III datum eſt, ut uterque, & in ſua, & in alterius provincia Crucem deferret. Viennenſi verò illud fuit ſanè ſingulare, quòd à Callixto II Primatum habuerit in multas provincias; ſed in ſua tantùm ferendæ Crucis poteſtatem. Exinde mos ſenſim inductus eſt, ut meris etiam Metropolitanis is honos tribueretur. Salernitano, qui olim Primas fuerat, anno MCLXXVII conceſſit Alexander III: Gregorius IX Auſcitano anno MCCXXVIII: Burdigalenſi anno MCCXXXII; & anno MCCXXXVIII Meſſanenſi Innocentius IV; & alii deinceps aliis: donec Romani Pontificis indulgentiâ, ut eodem jure Metropolitani omnes uterentur, ſancitum eſt: à quo potiſſimùm, non liquet: ab Innocentio IV, plures ideo augurantur, quòd id fuiſſe Clementi V perſuaſum putent, dum in Decretali *Archiepiſcopo* tribuit Metropolitanis, ut in locis etiam provinciæ ſuæ liberis, ſive, ut vocant, *Exemptis*, ut & ſacra, ſi lubet, celebrent ſolemnia, & Crucem deferant.

VII. An Legato Crux præfertur coram Rege. Unum ſupereſt, quòd quis hoc loco quærere haud immeritò poſſit: an Legatis, Primatibus, Metropolitanis, coram Regibus Crucem adhibere liceat. Alia aliis fuit, & regionibus, & temporibus conſuetudo: in Anglia Cantuarienſi Archiepiſcopo, vel coram Rege Crux ſemper prælata eſt: idem factitatum à Bartholomæo de Martyribus tum, cùm

Philippus II Rex Luſitaniæ conſecratus eſt. Illo jure coram ſe uti Legato prohibuit Ludovicus XI Galliæ Rex, quod tamen haud multò pòſt permiſit Carolus VIII. Id unum quod affirmem, habeo, cùm lex nulla ſit, quæ id, aut jubeat, aut vetet, penes Reges eſſe eum honorem, aut concedere Legatis, aut prohibere.

CRUX ARCHIEPISCOPORUM.

DISSERTATIO QUARTA.

De Summi Pontificis Vicariis & Legatis.

IAM de Vicariis & Legatis Diſſertationem in quatuor capita tribuimus: primum erit de Vicariis & Legatis generatim; an illa & nomina & munera Romani Pontifices ab Imperio Romano mutuati ſint: alterum erit de Vicariis: tertium de Apocriſiariis: quartum denique de Legatis, quorum ſumma fuit olim in Gallia, Anglia, Hiſpania, &c. autoritas. De ſingulis quando, à quibus, qua potiſſimùm de cauſa vel inſtitui, vel mitti, & cœpti ſint & deſiti, dicemus breviter. De Legatis, quæ Synodis generalibus præfuerunt, agemus in cujuſque Synodi hiſtoria.

LEGATUS. VICARIUS.

CAPUT I.

An Legati & Vicarii nomina & munera ab Imperio mutuati ſint Romani Pontifices.

I. Eadem ferè in Eccleſia & Imperio nomina & munera.

SUNT, qui ad Imperii Romani exemplum inſtitutam Eccleſiæ regendæ rationem fuiſſe velint. Sicut enim in Imperio, ita in Eccleſia, & diœceſes fuerunt, & provinciæ, Legati, Vicarii, aliaque id genus, & nomina, & munera: inter quæ, ſi rem ipſam ſpectes, aut parum intereſt, aut nihil. Iis ego nec aſſentiar omnino, nec ab iis tamen planè diſſentiam: certum quidem eſt eadem fuiſſe interdum impoſita, tum Magiſtratibus, tum Epiſcopis, & munera, & nomina. At quis præſtare audeat, illos à quibus invecta in

Eccleſiam ea ſunt, ad Imperii formam potiſſimùm reſpexiſſe? **LEGATUS. VICARIUS.**

Neſcio quo pacto ſimilius vero mihi ſit, inſtituta primùm fuiſſe munera, non quidem ad umbram & typum Imperii; ſed quòd populorum utilitas, quòd religionis commodum, quòd res ipſa ita poſceret: deinde iis indita fuiſſe nomina, quæ uſus jam triverat, ut Vicarii, ut Legati, & alia hujuſmodi. Idque mihi verius eò videtur, quòd, nec omnia ſimul, ut in Imperium, ita in Eccleſiam inducta ſint; ſed alia aliis, & temporibus & locis: nec eadem fuerit apud Romanos, & apud Chriſtianos, ſive Legatorum, exempli causâ, ſive Vicariorum ratio. Apud illos enim ſemper fuit eorum poteſtas certis & legibus & terminis definita; apud Chriſtianos non item; ſed modò latiùs patuit, modò minùs pro Romani Præſulis arbitrio. At de his hoc loco multis diſſerere non eſt animus. Præſtat, qui apud Romanos olim, & Legati fuerint, & Vicarii, breviter exponere; tum qui Summorum poſtea Pontificum fuerint, paulò uberiùs.

II. In Eccleſia primùm munera inſtituta, quibus deinde nomina impoſita.

Auguſtus Cæſar devictis Antonii partibus Romanum orbem anno U. C. DCCXXVI duas in partes tribuit: alteram Senatui Populoque permiſit; ſibi retinuit alteram. Qui provinciis Senatûs nomine præerant, *Proconſules*; qui Auguſti, *Proprætores*, *Præfecti*, & *Legati* dicti ſunt. Proconſulibus, ſi conſulares eſſent, dati Legati tres; ſi prætorii, unus. Legatis, qui Proconſulibus ſuberant, conceſſa quidem eſt leviorum cauſarum cognitio; ſed negata, & de cauſis gravioribus cognoſcendi, & gladii poteſtas: quæ omnia Legatis Cæſaris ultro delata ſunt. Fuit & aliud Legatorum genus; qui, vel ab Imperatore, vel à Senatu, ad Reges exteros, ſociaſque civitates mittebântur; iis imperata negotii cujuſpiam conficiendi cura, prætereà nihil. A Conſtantino aliquantò pòſt ſublata, tum Proconſulum, tum Legatorum, & dignitas, & appellatio eſt; inductaque nova regendi Imperii forma: diviſum in quatuor Præfectos Prætorio Imperium; ſub iis inſtituti Vicarii pro diœceſeωn numero, vel pauciores, vel plures: attributæ Præfectis diœceſes multæ, Vicariis ſingulæ ſingulis, iiſque plena in ſua cuique diœceſi data juriſdictio eſt.

III. Varia apud Romanos Legatorũ genera.

Illis, tum Vicariis, tum Legatis, ut quidem multis viſum

IV. Varia item in Eccleſia.

LEGATUS. VICARIUS. eſt, reſpondent Romanorum Pontificum, & Legati, & Vicarii. Aliis enim nulla data eſt juriſdictio; aliis quidem aliqua: ſed certis, tum rebus adſtricta, tum finibus, ultra quos progredi nefas erat: data denique aliis & plena & integra. Fuerunt etiam Vicarii, quibus permiſſa ſæpe adminiſtratio diœceſis. Primi generis ſunt *Apocriſiarii*, quibus Romani Præſulis nomine apud Imperatorem tuendæ religionis munus impoſitum: ſecundi, *Legati*, qui præfuerunt Conciliis: tertii, ii, qui in remotiores ab Urbe regiones ſumma cum poteſtate miſſi ſunt: quarti denique, Epiſcopi ii, quibus conceſſæ vices apoſtolicæ, ut Arelatenſis, Hiſpalenſis, &c.

CAPUT II.

De Vicariis Summi Pontificis.

VICARIUS.

I. Vicarii quare inſtituti

CUR variis olim in provinciis inſtituti fuerint à Romanis Præſulibus Vicarii, triplex potiſſimùm fuiſſe cauſa perhibetur: una, quòd illæ provinciæ ab Urbe abeſſent longiùs, ut Anglia, ut Illyricum Orientale, &c. altera, quòd exteris parerent Regibus, ut Gallia, ut Hiſpania, &c. tertia, quòd è Regibus multi eſſent, aut idolorum cultui dediti, aut hæreſeos infecti labe, aut Anglorum & Wiſigothorum Reges. Ne igitur ea lues in populum etiam Catholicum graſſaretur, delecti à Romano Antiſtite è Metropolitanorum numero viri, tum pietate, tum doctrinâ nobiles, qui præeſſent cæteris.

II. Illorum jura & poteſtas.

Ne alii verò Metropolitani ferrent ægriùs Epiſcopo, cui paulò antè pares erant, ſe ſubjici, huic delatæ apoſtolicæ vices, quibus hæc, ut plurimùm, jura addita ſunt: electionem Epiſcoporum, antequam ordinentur, aut ratam jubere, aut nullam; de cauſis, quas in Conciliis provincialibus dirimi nefas erat, cognoſcere; generalem è tota diœceſi, ſi opus eſſet, vocare Synodum; in mores, fidem, doctrinam Epiſcoporum inquirere; ſi quid à quoquam peccatum eſſet, corrigere; Clericis, Preſbyteris, Epiſcopis, Metropolitanis, ſi cui quid extra diœceſim negotii eſſet, formatas dare literas; de iis omnibus identidem reſcribere ad Summum Pontificem,

ficem, ejuſque mandata diligenter exequi: ita ferè Leo Magnus. Ne quis tamen putet ea privilegia conceſſa eſſe omnia omnibus: alia enim aliis, aut plura, aut pauciora, pro Pontificum arbitrio; vel etiam diverſa pro rerum, & temporum ratione permiſſa ſunt, ut cuivis intelligere licet ex epiſtolis ſancti Leonis, Simplicii, Symmachi, Hormiſdæ, Vigilii, Gregorii Magni, &c. VICARIUS. *Epiſt.* 86.

Quænam verò in Patriarchatu Romano ſedes eâ fuerint olim dignitate inſignitæ, ſi quis avet ſcire; hæ ſunt præ cæteris nobiles: in Illyrico Theſſalonicenſis & Acridenſis: Hiſpalenſis & Tarraconenſis in Hiſpania: in Gallia Remenſis & Arelatenſis: Cantuarienſis in Anglia. De ſingulis hîc delibaſſe pauca ſatis erit: quæ poſtea nobis erunt diſputanda pluribus. De Moguntiaca, Meſſanenſi, aliiſque, quarum, aut recentior memoria eſt, aut obſcurior, aliàs viderimus. III. Qui & quot Vicarii.

Theſſalonicenſis & Acridenſis in Illyrico.

VICARIATUS Theſſalonicenſis initia ab Acholio & Anyſio profecta ſunt, quibus à Damaſo Papa de variis cauſis cognoſcendi facta poteſtas eſt. Ubi verò Illyricum Orientale ab Occidentali Imperio, Arcadii juſſu, abſtractum eſt; ut eſſet, qui Romani Præſulis jura adverſus Græcos tueretur, Innocentius I vices ſuas Rufo Theſſalonicenſi detulit, aliique deinceps Pontifices aliis: litem tamen paulò pôſt de Illyrico movit Theodoſius Junior, illudque Græcorum ut Imperio, ita Patriarchatui ſubeſſe voluit; ſed Honorii permotus literis univerſum Romano, ut antè, permiſit Epiſcopo. IV. Quando inſtitutus in Illyrico Vicarius.

Iiſdem, quibus Illyricum Orientale, terminis Theſſalonicenſis Vicarii autoritas definita uſque ad Juſtiniani Imperium: illius enim juſſu primæ Juſtinianæ Metropolitano (is Epiſcopus erat Acridæ, unde ipſe ortus erat Imperator) & Primatûs dignitas, & Apoſtolicæ delatæ vices; detractæque Theſſalonicenſi provinciæ ſex, & Acridenſi contributæ. Ita Illyrici duæ partes deinceps extiterunt hiſce duobus ſubditæ Epiſcopis, altera alteri: eaque fuit regendi Illyrici ratio, donec Leo Iſauricus provincias illas omnes à Romano abſtraxit Pontifice: quod illi tamen haud impune fuit, cùm V. Duo in Illyrico Vicarii.

VICARIUS. earum pars maxima Græcis haud multò pòſt à Bulgaris erepta ſit; converſis ad fidem aliquantò pòſt Bulgaris, hæ provinciæ à Nicolao I, Adriano II & aliis, ſæpe quidem, ſed fruſtra repetitæ; nec priùs ad Romanam Sedem redierunt, quàm everſum à Francis Græcorum Imperium eſt: tum ab Innocentio III jura omnia Epiſcopo Theſſalonicenſi reſtituta; ſed non multò pòſt poteſtas illius omnis unà cum Francorum Imperio concidit.

Hiſpalenſis in Hiſpania, & Tarraconenſis.

VI. Totidem in Hiſpania. HISPALENSIS Vicariatûs paulò recentior eſt memoria, cujus ante Simplicium nulla uſquam mentio fit. Ille enim omnium princeps vices ſuas in omni Hiſpania Saluſtio Hiſpalenſi conceſſit: duo tantùm illi imperata; unum, ut ſummâ incumbat curâ, ne quis quid peccet in canones; alterum, ut, quæ à Romano Præſule fuerint ipſi Ep. 16. præſcripta, perſequatur diligenter. Eadem illi jura Hormiſdas rata eſſe juſſit, ſed in Bœtica tantùm, & in Luſitania; Ep. 24. reliquam verò Hiſpaniam permiſit Epiſcopo Tarraconenſi: Leandro tamen Hiſpalenſi, cujus tum, & virtus illuſtris erat, & apud Reccaredum Regem autoritas ſumma, ſubjecta omnis Hiſpania eſt; eoque nomine illum Toletanæ Synodo tertiæ præſediſſe creditum eſt à multis. An Iſidorus, aliique deinceps Hiſpalenſes Epiſcopi eodem, quo Leander, jure uſi ſint, aliter aliis videtur. Hoc unum liquet apud omnes, quò plus Toletano poteſtatis datum eſt, eò plus detractum Hiſpalenſi: ubi verò Toletano ultrò delata eſt Primatûs dignitas, Hiſpalenſi nihil juris extra provinciæ ſuæ fines reliqui fuit.

Arelatenſis & Remenſis in Gallia.

VII Et in Gallia. NON eadem ſemper in Gallia fuit Epiſcopi Arelatenſis autoritas. Primùm de Metropolitani juribus cum Viennenſi diſceptatum eſt: incerta diu fuit & anceps victoria; palmam denique tulit Arelatenſis Sozimi judicio, qui in utramque Narbonenſem provinciam Patroclo vices

ſuas detulit. Sub hæc Hilarus anno CCCCLXII cùm Galliam in tria diſtractam imperia cerneret, indulſit Leontio Arelatenſi, ut ex omnibus, tum Galliæ, tum Hiſpaniæ etiam provinciis, ſi per Reges liceret, Epiſcopos vocaret ad Synodum. Ex ea tamen poteſtate haud multò pòſt detractum nonnihil à Symmacho, à quo ſancitum eſt, ut quæ Galliæ pars Francis parebat, Remigio Remenſi ſubeſſet; quæ Gothis, unà cum Hiſpania Cæſario Arelatenſi. An Remenſes poſt Remigium Epiſcopi iiſdem uſi ſint juribus, inter Eruditos non convenit. Arelatenſes certè vicaria poſt Cæſarium dignitate inſignitos conſtat; quæ modò latioribus, modò arctioribus deſcripta finibus eſt: Auxanio enim & Aureliano in Childeberti tantùm regno dedit Vigilius; Sapaudo Pelagius in omni Gallia; Gregorius in regno Childeberti II Virgilio, in quo ea dignitas deſiit. VICARIUS.

Cùm verò aliquantò pòſt armorum ſtrepitu negligi cœpta eſſet diſciplina, miſſus ab Urbe eſt, ſive Legati, ſive Vicarii nomine Bonifacius, qui languentem Epiſcoporum pietatem excitaret. Ab eo, uti dictum eſt antea, jus Pallii datum eſt Metropolitanis omnibus, omniumque ita temperata poteſtas eſt, ut alius præ alio nihil haberet præcipui; ſed qui honoris ævo aliis ſuperior erat, is Synodis, ſi quæ ex multis provinciis haberentur, præeſſet. Inde Vicarii nomen Galliæ Metropolitanis grave videri cœpit, & ii, quibus ea dignitas fuerat à Romano Præſule permiſſa, ab omnibus repudiati, ut Drogo Metenſis, ut Anſegiſus Senonenſis, ut Roſtagnus Arelatenſis: quamvis id indulſiſſet, & Drogoni Sergius II, & Joannes VIII aliis, ne tantulum quidem iis à quoquam de poteſtate & honore conceſſum eſt; adeo omnium in animis inſederat, illam non admittere dignitatem: nec poſtea in Gallia Vicarii nomen uſquam auditum eſt. VIII Quando deſierint in Gallia Vicarii.

Dorovernenſis in Anglia.

MIſſus eſt in Angliam anno DXCVI fidei prædicandæ causâ Auguſtinus, vir & ſanctitate vitæ, & apoſtolicis dotibus inſignis. Huic data eſt à Gregorio in omnem inſulam vicaria poteſtas: poſtquam verò, cùm ipſius, tum IX. Vicarius in Anglia.

VICARIUS. ſociorum labore ac ſtudio longè lateque religio propagata eſt, hanc naſcenti Eccleſiæ formam præſcripſit Gregorius, ut in Anglia duo eſſent Metropolitæ, Dorovernenſis & Eboracenſis; Epiſcopi viginti quatuor, quorum pars una Dorovernenſi pareret, Eboracenſi altera: dum viveret Auguſtinus, qui Dorovernenſis erat Metropolita, ipſi ſubeſſet Eboracenſis: ubi verò ceſſiſſet è vita, par eſſet utriuſque poteſtas; iſque præ altero, ſi unà eſſent, primas ferret, qui ſenior. Quæ utrique data privilegia, quæ nata inde diſſidia, non eſt hujus loci explicare pluribus: id unum annotare ſatis erit, unà cum Auguſtino vicariam in Anglia dignitatem deſiiſſe.

CAPUT III.

De Apocriſiariis Summi Pontificis.

APOCRISIARIUS.

I. Apocriſiarii unde nomen. Quæ poteſtas.

APOCRISIARII vocem idem valere apud Græcos, quod apud nos *Reſponſalis*, nemo neſcit; illis verò Legatis inditum nomen illud eſt, quòd nihil aliud iis impoſitum muneris erat, quàm ut, & Summi Pontificis mandata, quæ tum *Reſponſa* vulgò dicta ſunt, exequerentur; & ea quæ ſpectabant ad fidem, reſcriberent. Nulla enim iis data eſt juriſdictio, nulla poteſtas, niſi ut monerent Imperatorem, quid è re Chriſtiana eſſet; quid timendum ab hæreticis, quid contra illos decernendum: ne qua Sedi apoſtolicæ fieret injuria; ne quis in Italia Præfectus populos gravioribus, quàm par erat, vexaret tributis; ne quis collectos ex Romanæ Eccleſiæ patrimoniis fructus aliò averteret: ***ut nec Catholicis**, inquit Leo Magnus, **Imperatorum præſidium, nec Imperatoribus Romani Præſulis deeſſet obſequium.***

II. Nulla juriſdictio. Unde Apocriſiariis nefas erat aut præſidere Synodis; de quoquam ſententiam ferre; de cauſa, ſi gravior eſſet, cognoſcere. Ideo Pelagius Agapeti Apocriſiarius in ea, quæ ſub Menna habita eſt, Synodo poſt Epiſcopos ſubſcripſit. Ne quem verò moveat, quòd Liberatus in Pauli Alexandrini depoſitione ante Hieroſolymitanum & Antiochenum Patriarchas Pelagio primas deferat: id enim ab eo non ſua,

ſed accepta à Vigilio, qui tum erat Conſtantinopoli, poteſtate præſtitum ſcribit Procopius. Eſt tamen cur leviores cauſas illis permiſſas ſuſpicer; idque innuere videtur Gregorius Magnus, dum jubet, ut ſi quis quid negotii faceſſat Adriano Thebano, cauſa ab ipſius Reſponſalibus, ſi levis ſit; ſi gravior, ab ipſo Summo Pontifice judicetur.

APOCRISIARIUS. *In Amegdotis.* *L. 2. Ep. 7.*

III. Ante receptam de Gothis Italiam non missi Apocrisiarii.

Dum in Italia Occidentis Imperatores, Gothique rerum potiti ſunt, nullus Româ, quod memoriæ proditum ſit, miſſus eſt Conſtantinopolim Apocriſiarius. At ſi qua interdum oriretur cauſa, quæ vel ad fidem pertineret, vel ad diſciplinam; tum miſſi à Romano Antiſtite ad Imperatorem Legati, ut à Liberio ad Conſtantium, & Vincentius Capuanus Arelatem, & Lucifer Calaritanus, Euſebiuſque Vercellenſis Mediolanum. Unus Julianus Coënſis in Cycladibus Epiſcopus à Leone Magno juſſus eſt ab Imperatoris comitatu nunquam abeſſe, ut eſſet, qui in hæreticos, & Marciani acueret pietatem, & Anatolii Patriarchæ languorem excitaret. Unde quivis intelligat, quàm opinione ſua falſus ſit Hincmarus, dum ſcripſit hunc morem fuiſſe jam inde à Conſtantini temporibus uſurpatum: niſi fortè Conſtantinopolitanum Epiſcopum eo munere functum quis velit: quod erudito viro viſum eſt. At vereor, ut illi hac in parte aſſentiri poſſim: uſi quidem interdum Summi Pontifices in multis Patriarchæ operâ; non quò tamen id illi muneris eſſet impoſitum; ſed quòd apud Principem, plus, quàm cæteri, poterat.

Ep. 3. c. 25.

IV. Mitti cœpti ſunt poſt Romam à Beliſario captam.

Poſtquam Beliſarii fortitudine recepta de Gothis Italia eſt, Agapetus Conſtantinopolim miſit Pelagium Diaconum, qui apud Imperatorem res, & Eccleſiæ curaret, & Italiæ: miſſi deinceps ab aliis alii, delecti ut plurimùm ad munus illud viri, & prudentiâ, & in rebus gerendis induſtriâ inſignes. Eorum ſanè plerique ſummum poſtea Pontificatum adepti ſunt, ut Pelagius I, Gregorius Magnus, Sabinianus, Bonifacius III, Martinus I. Ob Monothelitârum hæreſim, cui, & Heraclius Ecthesi, & Typo Conſtans faverat, Apocriſiarii mitti deſiti ſunt: miſit quidem Vitalianus, qui de more ſuam electionem nunciaret Conſtanti; at is in urbem continuò redire juſſus eſt.

Apocrisiarius. V. Quando mitti deſierunt.

Ubi verò & Conſtantini Pogonati pietate, & ſextæ Synodi decretis peſtis illa extincta eſt, petiit Conſtantinus, ut Apocriſiarius in urbem regiam de more mitteretur, eique plena, ut dicitur, daretur poteſtas nullis reſtricta legibus. Primum conceſſit Leo II, negavit alterum: miſſus quidem eſt Conſtantinus Subdiaconus; at illi non major, quàm aliis, conceſſa autoritas: quod à Romanis Præſulibus prudenter ſanè cautum eſt. Si enim Apocriſiariis quidquam decernere abſque eorum conſenſu licuiſſet, erat ſanè, cur metuerent, ne quis quid aut Imperatorum, aut Patriarcharum, ſive muneribus, ſive minis corruptus, præter jus faſque attentaret: quod & paulò pòſt fraudi fuit Sedi Romanæ in Trullana Synodo, cui Legatos Pontificis adfuiſſe contendunt, cùm Græci omnes, tum in primis Balſamo; temere illud quidem: at locum tamen huic fabulæ dedit Baſilius Gortinæ Metropolita, qui cùm Apocriſiarii munere pro Sergio Papa tum fungeretur, præſens aderat. Poſtquam ineunte octavo ſæculo Imperatoris ſcelere cœpit Iconoclaſtarum hæreſis, Romam inter & Conſtantinopolim abrupta eſt ſocietas omnis, nullusque præterea miſſus Apocriſiarius: quamquam ſunt, qui anno DCCXLIII ſub Conſtantino Copronymo etiam tum fuiſſe velint.

VI. A Patriarchis tantùm miſſi.

Ne verò in urbe regia major eſſet Apocriſiariorum numerus, à Juſtiniano ſancitum eſt, ut ſolis Patriarchis Apocriſiarios mittere fas eſſet, præterea nemini. Si quis tamen Epiſcopus aliquid haberet negotii, cujus judicium ad Imperatorem pertineret, is aut Clericum mitteret, aut OEconomum; qui aut Patriarchæ Conſtantinopolitani, aut ſuæ diœceſeos Apocriſiarii operâ apud Imperatorem uteretur. Quatuor igitur fuerunt Apocriſiarii, aut non multò plures: Conſtantinopolitano enim nihil opus erat; ſuæ quiſque diœceſeos negotia curabat; Romanus, totius orbis Chriſtiani. Hunc (de aliis enim affirmare non auſim) in palatio Imperatoris habitaſſe teſtantur Gregorius Pontifex, & Phocas Imperator: quorum ille *in Conſtantinopolitanæ urbis palatio ſe reſponſis eccleſiaſticis deſerviſſe* profitetur; hic apud Gregorium queritur, quòd Apocriſiarius, ut aliàs, in palatio non habitet. Ad obeundum munus illud ab omnibus Patriarchis delecti ut plurimùm

Diaconi, ſive caſu id factum ſit, quod vix putem ; ſive ad Sardicenſe Concilium reſpexerint, à quo decretum eſt, ut ad perficienda negotia adhibeantur Diaconi. Si Papæ cum Patriarcha Græco conveniret, Apocriſiarium Romanæ Sedis moris erat Patriarchæ, dum ſolemne faceret ſacrum, aſſiſtere; ſin minùs, adeſſe nefas erat.

Unum ſupereſt, quod hoc loco ſubtexere abs re non erit: an miſſi ſint etiam ad Francos Imperatores Apocriſiarii. Pauca quidem extant exempla ; extant tamen aliqua, ut Carolo Magno, & corona Imperii, & Imperatoris appellatio à Leone III, tum ſuo, tum Populi Romani nomine delata eſt: idem illi, qui Græcis olim Imperatoribus, habitus honos ; idque potiori jure, quòd unus alterve Francorum Rex multò plura in Romanam Sedem contuliſſet beneficia, quàm Græci omnes, quotquot fuerunt, Imperatores. Miſſi itaque à Leone III ad Caroli Magni comitatum Apocriſiarii ; ſed paulò pòſt munus illud, ut aliàs Græcis interdum Epiſcopis, ita Francis ſemel atque iterum permiſſum eſt : primùm Angilramo Metenſi ſub Carolo Magno ; deinde Drogoni itidem Metenſi, ſub Ludovico Pio, ut in eodem, & Archicapellani, & Apocriſiarii dignitas eluceret. Id nos docet idoneus ſanè autor Carolus Calvus ſcriptâ ad Nicolaum Papam epiſtolâ, cujus verba, quia plura ſunt, hìc appingere non libuit. Ipſe tamen Carolus, ſive Apocriſiarius ipſi, ſive Sedi Romanæ oneri eſſet, Summum Pontificem, ut ſcribit Eutropius Preſbyter, *à mittendis deinceps ad comitatum Legatis abſolvit.* VII. Miſſi etiam ad Francos Imperatores.

CAPUT IV.

De Legatis ſummi Pontificis.

LEGATUS.

SUB initium ſæculi decimi pecuniæ cupido, & voluptatis contagio quædam Preſbyterorum animos invaſit: neglectæ pudoris leges : ſpreti canones : ut profana, ita ſacra ſæpe venalia habita : fœda ferè undique Eccleſiæ facies: Romani Præſules, quorum erat tantis mederi malis ; variis I. Legati cur miſſi, & quando.

identidem ſervire Principibus coacti, vix ſui juris erant, nedum imperare aliis liceret. Ubi verò Romana Sedes ex ea emerſit ſervitute, tum Pontifices vitia, in quæ multi deſciverant, coarguere, omnes hortari ad pietatem, Concilia celebrare, ſacras ſancire leges, quibus ad meliorem frugem Preſbyteri revocarentur. Quò verò fructus eſſet uberior, nihil è re Chriſtiana utilius fore viſum eſt, quàm ſi in varias orbis Chriſtiani provincias Legati mitterentur: qui & morum innocentiâ prælucerent cæteris, & quæ in Clerum irrepſerant vitia, canonum ſeveritate coërcerent.

II. In Galliam, Angliam, Hiſpaniã.

Miſſus itaque in Galliam anno MLV à Victore II Hildebrandus, à quo habita Turonenſis contra Berengarii impietatem Synodus: miſſi haud multò pòſt à Nicolao II anno MLIX Mediolanum Petrus Damiani, & Anſelmus Lucenſis, quorum operâ priſtinus Clero reſtitutus ſplendor: miſſus & ipſe Petrus Damiani ab eodem Anſelmo, qui tum Alexander II erat, anno MLXII in Galliam. Hæc verò, cur mittatur, cauſa affertur à Pontifice: cùm ad ipſum Eccleſiæ totius cura, fideique, atque pietatis, & tuendæ, & augendæ ſtudium pertineat; nec ipſi tamen liceat ſingulas inviſere regiones, mittere ſe virum, cujus incorrupta fides, mores illibati, ſingularis doctrina, omnes & contineret in officio, & ad pietatem revocaret. Miſſi deinceps in Galliam, Angliam, Germaniam & Hiſpaniam Legati à Summis Pontificibus, ab aliis alii, quos appellare infinitum fit.

III. Quæ loci prærogativa in Anglia.

Summo in honore apud omnes populos hi Legati fuerunt: nec certæ tamen erant, nec ſtatæ leges ullæ, quo cultu à Principibus eos excipi par eſſet: alius ab aliis delatus iis honor, pro cujuſque & in Deum pietate, & in Romanum Pontificem, cujus vices gerebant, obſervantiâ. Iis ubique, vel coram Primatibus, crucis inſigne præferri ſolemne fuit. In Anglia inter duos inſulæ Metropolitas Legatus medius erat, dexterâ datâ Cantuarienſi, Eboracenſi ſiniſtrâ. Henricus III Angliæ Rex ad littus uſque maris Legato proceſſit obviàm; eumque & regio comitatu in urbem deduxit, & uſque eo coluit, ut, & ſui, & regiæ majeſtatis oblitus, ut temere queritur Anglus neſcio quis, interdum diceret, abſque Legati conſenſu quidquam decernere ſibi nefas eſſe.

Alfonſus

Alfonſus etiam Aragonius anno MCCCCXXVII obvius Legato factus eſt, eumque perhonorificè ſalutatum oſculatus, tum dextra Legato data honoris ergò, ipſeque operto capite procedere permiſſus, dum aperto Rex ſequeretur, ferè idem anno MCCCCXXIX à Caſtellæ Rege, & anno MCCCCXCIV ab Alfonſo Neapolitano præſtitum eſt. In Hungaria vel ante Regem Legatus primas tulit, ita ut ibi, ubi erant unà, Legatus, aut prior eſſet, aut interior, aut dexter; Rex verò ipſius tegeret latus, quod inferioris eſt, & honorem deferentis: unde illa Leonis X plena querelarum epiſtola in Cardinalem Strigonienſem, qui tum ipſius in Hungaria Legatus erat, quòd loci prærogativam præter morem Regi concederet. LEGATUS. IV. In Hiſpania & Hungaria.

Præcipuo ſemper honore Legatos proſecuti ſunt Galliæ Reges: nullus tamen Legatorum, quod ſciam, uſque eò imprudens fuit, ut vel ſuperiorem, vel parem, ſive cum Rege, ſive cum Regum filiis locum ambiret: alia enim eſt Regum Galliæ dignitas, quàm cæterorum; ſatis illis erat, ſi alios, qui tum cum Gallo aderant, Reges, regiique ſtemmatis Principes præcederent. Unum exemplum, ut ab aliis abſtineam, attuliſſe ſufficiat. Carolus V Imperator Gandavenſium ulturus defectionem anno MDXXXIX per Galliam tranſiit; regiis exceptus eſt epulis: multi aderant, tum Principes, tum Proceres, Legatuſque Summi Pontificis. Hic accumbendi ordo fuit: primò loco conſedit Imperator; ſecundo Rex ipſe Franciſcus, tertio ipſius filii Delphinus, ejuſque frater, quarto Legatus, quinto Navarræ Rex; denique Cardinales Borbonius & Lotharingiæ; Duceſque, tum Vindocinenſis, tum Lotharingus, cæterique Proceres. V. In Gallia.

Eadem, quæ Vicariis olim, vel etiam major, Legatis data poteſtas: eorum enim erat, intra præſcriptos ſibi à Summo Pontifice limites, generales, quando libitum erat, vocare Synodos; iis, licèt Primates adeſſent, præſidere; novas ſancire leges; ſi quis quid gravius deliquiſſet, in eum animadvertere; cauſas, ſi ab ipſis Synodus diſſentiret, evocare Romam; Metropolitanos, niſi morem gererent, ad tempus ab officio removere; Synodi cujuſque decreta mittere ad Romanum Antiſtitem, ut ſi nihil in iis eſſet vitii, ipſius placita rata eſſent; ſi ſecus, irrita. VI. Jura & poteſtas.

LEGATUS.

VII. Comitatus.

Datus eſt Legatis comitatus ingens; adjunctique ut plurimùm viri, tum pietate, tum doctrinâ, nonnumquam etiam nobilitate inſignes, ut comitum, & numerus, & ſplendor majeſtatem iis conciliaret. Cùm tamen ea non eſſent id temporis Romano Pontifici opes, unde tot Legatos in remotis ab Urbe regionibus aleret, huic incommodo ita conſuluit Gregorius VII, ut Romano Epiſcopo ne minimo quidem eſſent ſumptui: ſacramento, quod à Metropolitanis, dum Pallium reciperent, emitti moris erat, hæc ipſius juſſu addita clauſula eſt: *Legatum Romanum eundo & redeundo honorificè tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo.* Inde ſumptus omnis, cùm ab Epiſcopis, tum à populo etiam Legatis ſuppeditari cœpit.

VIII. Legati delecti ex Epiſcopis provinciarum.

Inde natæ adverſus Legatos populorum querelæ, delatæque identidem ad Principes, iis legationibus plus in publicam rem incommodi, quàm utilitatis, derivari; ſæpius, quàm par eſſet, alios ſuccedere aliis; quæ ab ipſis definita erant, raro confirmata à Summo Pontifice, reſciſſa ſæpius. Hæc & alia hujuſmodi his temporibus ſparſa in vulgus, jure, an injuriâ, viderint alii. Ne his tamen querelis ullus deinceps locus eſſet, multiplex à Regibus adhibita cautio eſt, ſed alia alio tempore: primùm, legationis jura abrogata exteris, & Epiſcopis regni permiſſa, ut Hugoni Lugdunenſi in Gallia; in Hiſpania Bernardo Toletano, & Epiſcopo Cantuarienſi in Anglia, &c.

IX. Illorum poteſtati certi à Regibus præſcripti fines.

Deinde Legati, ſive Româ mitterentur, ſive legerentur in provinciis, non perpetui, ut priùs; ſed tum tantùm, aut miſſi, aut appellati, ſi qua cauſa exorta eſſet, quæ aut ad rem publicam pertineret, aut ad Chriſtianam: pòſt, ne tum quidem iis fas erat, abſque Regum conſenſu regni illius, quo mittebantur, fines ingredi, quod in Gallia ſemper obtinuit: tum, ſi quis quid, aut contra receptos antiquo uſu canones, aut contra jura regni moliretur, id continuò interceſſione regia reſciſſum. Is denique uſus inductus eſt, ut regius Magiſtratus inquireret diligenter, quid cuique Legato imperatum à Summo Pontifice, quo cujuſque poteſtas pertineret; quæ ſi pateret latiùs, quàm è re totius regni fore videretur, modus illi impoſitus, certique præ-

ſcripti fines, ultra quos progredi nefas erat: quod vel in ſchiſmate Clementis & Urbani, vel Ludovici XI tempore uſurpatum primò in Gallia multi ſuſpicantur: idem ſanè & in Hiſpania jamdiu factitatum liquet; &, ut ſervaretur in Belgio, à Carolo V imperatum. LEGATUS.

X. Legati à multis Regibus non recepti.

Quæ ne quis à me temere dicta putet, abs re non fuerit exempla hîc ſubtexere, perpauca illa quidem, ne longior ſim, ſed inſignia. Nemo eſt qui neſciat Rogerio Siciliæ Regi ab Urbano II datum anno MXCVII, nullus ut in Siciliam, niſi ipſe expeteret, Legatus mitteretur: idem & Calixtus II poſt Remenſem Synodum anno MCXIX Henrico I Angliæ Regi indulſit, & Guillelmo Scotiæ Regi anno MCLXXXVIII Clemens III. Unde cùm Alexandri III Legatus anno MCLXXVI appuliſſet in Angliam, quæſitum ab eo eſt, cur præter morem, juraque regni veniſſet in inſulam. Ille, ne ejiceretur, recepit contra voluntatem Regis facturum ſe nihil; tum in Scotiam perbenignè deductus eſt. Anno MCCLXV juſſus à Clemente IV Legatus trajicere in Angliam, Bononiæ ſubſtitit; ultrà progredi prohibitus ab Anglis, Epiſcopos Angliæ Bononiam evocat ad Synodum: nî pareant, ſacra intentat fulmina; ſed fruſtra fuit: nec ipſe in Anglia admiſſus eſt, nec miſſi ad Synodum Epiſcopi. Quod etiam anno MCCXXVII à Scoto Rege factitatum, cùm diceret Scotiæ nihil opus eſſe Legato, cùm in ea floreret Chriſtiana lex, nec à quoquam in canones peccaretur. Duriùs etiam multò in Luſitania Legatus habitus eſt anno MCLXXXVII: is naturâ paulò auſterior, Abbates plurimos jam gradu moverat; idemque minabatur Conimbricenſi Epiſcopo, cùm ab Alfonſo Rege è Luſitania abire juſſus eſt.

XI. Quibus nunc de cauſis Legati mitti ſoleant.

Summo ſemper honore, regioque apparatu excepti ſunt in Gallia Legati, niſi ſubeſſet cauſa, ne admitterentur. In ea, quæ inter Bonifacium VIII & Philippum IV exarſit, diſſenſione, cùm diceret interdum Pontifex, miſſurum ſe Legatos pro ſuo jure, quos, quando, quò libitum eſſet; Philippus reſpondiſſe fertur, liberum in Galliam Legatis patuiſſe hactenus, & patere etiamnunc aditum, ſi nihil ab iis, aut regno metuendum eſſet, aut ſibi;

LEGATUS.

ſi ſecus, ut Pontificis erat illos mittere, ita ſuum eſſe, ne reciperentur, prohibere. Jam uſu diuturno receptum eſt, ut ne mittantur Legati, niſi pax inter Chriſtianos Principes ſit concilianda; niſi bellum inferendum Turcis; niſi ſuborta ſit inter Principes Chriſtianos, vel inter ſe, vel cum Pontifice diſſenſio, &c. Nulla enim alia ratione faciliùs poſſunt ſopiri diſcordiæ, quàm, ſi quis ſummâ & dignitate, & prudentiâ vir, quid quiſque ſpectet potiſſimùm, quò cujuſque pertineant conſilia, perviderit; & ſuavitate morum, rationumque pondere leniat ſuboffenſos Principum animos.

XII. Legati dignitas data Epiſcopis, Cardinalibus, Regibus.

Si quis hoc loco ex me roget, quo potiſſimùm ex ordine delecti fuerint illius generis Legati, facilis reſponſio eſt; ſi Româ miſſi fuerunt, ut plurimùm Cardinales erant; ſin minùs, aut Metropolitani, aut meri Epiſcopi: tantuſque fuit his temporibus illius dignitatis ſplendor, ut vel Reges ipſi munus illud & datum à Pontificibus Romanis non repudiarint, & non oblatum ſibi expetierint. Teſtes ſunt, & antiqui Siciliæ Reges & etiamnunc Reges Hiſpaniæ, qui ſe Legatos in Sicilia perpetuos eſſe gloriantur; jure, an injuriâ, in Hiſtoria Eccleſiæ Siculæ viderimus. Teſtes etiam duo Hungariæ Reges, Stephanus & Bela, quorum alteri eam dignitatem indulſit anno M Silveſter II, alteri negavit anno MCCXXXVIII Gregorius IX, ne alii deinceps Reges illud ſibi munus, quaſi hereditario jure vindicarent. Teſtes denique & Ladiſlaus Poloniæ Rex, & Dux Lithuaniæ Vitoldus, quibus à Martino V in ſuis cuique provinciis legatio anno MCCCCXVIII permiſſa eſt.

XIII. Legati qui Synodis generalibus præfuerunt.

Animus erat hoc loco diſſerere de Legatis, quos Romani Præſulis nomine Conciliis generalibus præfuiſſe memoriæ proditum eſt; id enim ad rem, qua de agimus, nonnihil pertinet. Sed cùm ea jàm à viris doctiſſimis & eruditè diſputata ſint, & pluribus, noſque etiam nonnulla de his paulò pòſt dicturi ſimus, in ea, quam ſubjicimus, Concilii cujuſque generalis hiſtoria; qui avet ſcire, qui ſingulis Conciliis Legati præfuerint, quo & Pontifice, & Imperatore, quóve tempore & loco, is illam Diſputationem conſulat. An verò præſederint, quóve jure, diſputare multis, & quæ contrà faciunt, refellere, nec inſtituti noſtri eſt, nec otii.

Unum eſt tamen, quod hîc annotare non pigebit, præter Legaceos Legatos, de quibus actum à nobis eſt hactenùs, alios etiam fuiſſe, qui à Romanis Pontificibus in provincias miſſi ſunt, alii aliò, aliaque de cauſa; modò religionis, vel diſciplinæ, aut tuendæ gratiâ, aut reſtituendæ; ut Auguſtinus, ut Potentius, quorum uterque in Mauritaniam, alter à Zoſimo, alter à S. Leone miſſus eſt: modò ut nationalibus adeſſent Conciliis, aut præſiderent; ita Turibius Aſturicenſis Epiſcopus Synodo Gallæciæ, ſive ea provincialis fuerit, ſive nationalis, præeſſe à S. Leone juſſus eſt: modò iis demandata negotii cujuſpiam conficiendi cura, ut Fauſtino & Lucentio Epiſcopis, quorum ille à Zoſimo de Nicænis canonibus in Africam, hic de lapſis in Epheſino Latrocinio recipiendis à S. Leone Conſtantinopolim miſſus eſt. Fuerunt & alia Legatorum genera, quæ ſigillatim perſequi infinitum ſit.

LEGATUS. XIV. Alia Legatorum genera.

DISSERTATIO QUINTA.

HUjus Diſſertationis partes erunt omnino quatuor. Agimus enim primò, de variis Synodorum generibus: deinde de Synodis provincialibus: tum de nationalibus: denique de œcumenicis. Ut provinciali nationalis, ita nationali œcumenica latiùs patet, omneſque una complectitur.

CAPUT I.

De variis Synodorum generibus.

I. Quando, & qua de cauſa Synodi celebrari cœptæ ſint.

CELEBRANDI Concilii uſum ab Apoſtolis ad alios deinde Eccleſiæ Antiſtites profluxiſſe certum eſt: eos enim ſemel atque iterum, & etiam ſæpius unà conveniſſe docet S. Lucas, ut, quæ ad diſciplinam ſpectabant, remque Chriſtianam, communi conſenſu definirent. Ea primùm conſuetudo cùm in Oriente, tum in Africa etiam propagata eſt; aliquantò pòſt in Occidente. Hæ verò potiſſimùm, cur habita ſint Concilia, cauſæ vulgò perhibentur: exorta tum inter Aſianos Epiſcopos de Paſchate, tum inter Cyprianum & Stephanum Papam de Baptiſmo, controverſia; & Pauli Samoſateni adverſum Verbum incarnatum hæreſis: illis enim temporibus vel haud multò antè, & in Oriente & in Africa, haberi Synodi cœptæ ſunt; eaſque jam tum ſua ætate ſtatis anni diebus vocari ex more teſtatur Cypriano Firmilianus. Nationalia fuerint hæc omnia Concilia, an provincialia, non liquet; nationalia tamen pleraque fuiſſe conſtat.

Ubi verò Chriſtianus orbis in provincias & diœceſes certa lege tribui cœpit, pro diverſo Epiſcoporum ordine diverſa etiam fuerunt Conciliorum genera. Ut enim Epiſcoporum quinque ſunt veluti gradus, merus Epiſcopus, Metropolita, Primas, Patriarcha, Summus Pontifex, qui præeſt cæteris; ita Synodorum quinque claſſes numerare licet. Una *Epiſcopalis* eſt cujuſque Epiſcopi, quam ſoli parœciæ unius Presbyteri frequentent: altera, *Provincialis* Metropolitani, ad quam ex provincia Epiſcopi vocentur Suffraganei: tertia, *Primatis*, quæ ex integra diœceſi ſingularum provinciarum Metropolitanos habeat: quarta, *Patriarchæ*, ad quam ex diverſis diœceſibus, v. g. Occidentis, Primates conveniant, cui præſit is, qui diœceſes illas omnes præcipuo jure moderatur: quinta denique *OEcumenica*, quæ ut legitima ſit, duo requirit præ cæteris; alterum, ut ad eam ex omnibus orbis partibus vocentur Epiſcopi; alterum, ut illi præſideat Romanus Pontifex, penes quem ſumma ſemper fuit rei Chriſtianæ. Quòd verò ſingulorum Epiſcoporum Synodi nihil habeant ferè ad poſteritatis memoriam inſigne; Primatum verò & Patriarcharum ſæpius inter ſe confuſæ ſint à Scriptoribus: agemus primùm de provincialibus Synodis, tum de nationalibus, denique de œcumenicis.

SYNODUS. II. Varia Synodorum genera.

CAPUT II.

De Synodis provincialibus.

SYNODUS PROVINCIALIS.

SYNODORUM provincialium uſus priſcis temporibus multò fuit, quàm poſterioribus, frequentior. Primùm enim bis in quaque provincia ſingulis annis habitæ; deinde ſemel; tum dilatæ in biennium; pòſt in triennium: donec noſtra tandem ætate multis in provinciis celebrari deſierunt; quod, qua ratione factum ſit, paucis, quoad fieri poterit, exequar.

I. Quot ſingulis annis habitæ Synodi.

Canone apoſtolico 38, & Laodiceno 40 ſancitum eſt, ut Concilia unoquoque anno duo habeantur; nulla quidem provincialis Concilii mentio eſt; habeo tamen, cur illud de

II. Duæ.

SYNODUS PROVINCIALIS.

provinciali intelligam, cùm Nicænus canon quintus, qui idem imperat, ad canones illos reſpexiſſe videatur. Morem illum in omnes deinde orbis Chriſtiani provincias fuiſſe propagatum teſtantur eæ, quæ his propè temporibus habitæ ſunt, Synodi. Earum enim canonibus cautum eſt ſæpius, ea conſuetudo ne à quoquam violetur, & ſicubi, ſive bellorum tumultu, ſive Epiſcoporum vitio neglecta ſit, ſummo omnium ſtudio revocetur.

III. In Græcia, Gallia, Anglia, &c.

C. 19. Ep 84. c 7. C 5. C. 29. C. 8. C. 32. C. 4.

Synodos ipſas, quò res ſit teſtatior, appellare operæ pretium eſt. Id in Oriente decrevit primùm Antiochena, tum Calchedonenſis Synodus; in Illyrico ſanctus Leo ſcripta ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem epiſtola; in Italia multa Summorum Pontificum placita; omnes ferè Carthaginenſes Synodi in Africa; in Anglia Calcuthenſis; in Gallia & Regienſis anno CCCCXXXIX, & Arauſicana anno CCCCXLI. Cumque illæ celebrari Synodi multis annis deſitæ eſſent, ut mos ille renovetur, petit ab Imperatore Synodus Pariſienſis quinta anno DCCCXXIX, & aliquantò pòſt Synodi tum Vernenſis, tum Meldenſis. Obſervatum illud in Hiſpania olim fuiſſe, an ſecus, affirmare non auſim: nullum ſanè, quod ſciam, illius rei extat in Conciliis Hiſpaniæ veſtigium.

IV. Quo menſe habitæ.

Illud erat in Africa ſingulare, quòd non omnes provinciæ unius Epiſcopi, ut in aliis provinciis, ad Synodum unà vocarentur. Ex Synodi Carthaginenſis quintæ decreto in duas, tréſve, ut vocabant, turmas, ita tributi erant, ut ex ſingulis, qui irent ad Concilium, alii viciſſim poſt alios legerentur. Religio quidem erat Epiſcopis has omittere Synodos. Non ſtatus tamen, nec fixus ubique, quo haberentur, ſive dies, ſive menſis: alius enim à Nicæna Synodo imperatur; alius à Calchedonenſi: duplex enim, uti diximus, ſingulis annis Synodus erat; altera, vere ut plurimùm habita, autumno altera. De autumno, Conciliis tum Nicæno, tum Calchedonenſi, & inter ſe, & cum Carthaginenſibus Synodis convenit; de vere non item: primam enim Synodum Carthaginenſes ante Quadrageſimam haberi volunt, Nicæna in Quadrageſima; quartâ poſt diem Paſchati ſacrum ſeptimanâ Calchedonenſis.

Semel

Semel atque iterum habendæ quotannis Synodi conſue- **SYNODUS PROVINCIALIS.**
tudo eò ſenſim deſcivit, ſive temporum vitio, ſive Epiſco-
porum, ut non binæ ſingulis annis, ſicuti priùs mos erat
ſed una tantùm vocaretur; quæ etiam ne omitteretur, ſan-
citum eſt à pluribus Conciliis. Jubent alia, ut binæ unoquo- V.
que anno de more celebrentur Synodi, ſin minùs una, ut Una ſingulis annis.
Arauſicanum I, ut Turonenſe II: alia unius tantùm memi- C. 29.
nerunt, ut Agathenſe, ut Aurelianenſe I, II, & III in Gal- C. 1.
lia; in Hiſpania Toletana III & IV, Oſcenſe, & Hormiſ- C. 71. C. 2. C. 3.
das Pontifex. Idem in Anglia factitatum à tempore Theo-
dori Cantuarienſis Epiſcopi aútor eſt Beda. De Africa res L. 4. c. 5.
certior eſt, quàm ut teſtibus egeat. De Græcia verò, cùm
multa id nos docent veterum teſtimonia; tum Juſtinianus Novell. 123.
ipſe Imperator, Synodique Trullana, Nicæna II, & octava C. 6.
generalis. C. 17.

Summo quidem in Chriſtianam rem ſtudio hæ fuerunt ab VI. Quando & cur celebrari deſita.
Epiſcopis conſtitutæ leges: at à multis paulò pòſt neglectæ.
Multis enim in provinciis ne una quidem ſingulis annis habita
Synodus eſt: de quo jam tum ætate ſua queritur in Occiden-
te Avitus Viennenſis Epiſcopus, & aliquantò pòſt in Orien-
te Zonaras, Balſamon, Blaſtares. Illud tamen, quidquid eſt
vitii, Epiſcoporum negligentiæ adſcribere nolim, quibùs ve-
nire ad Synodos ſæpe non fuit integrum; alia aliis cur abeſſent
cauſa fuit: in Occidente exorta identidem inter Reges,
quibus ſuberant, bella; in Oriente Nicænæ II Synodi Con-
ſtitutio, quâ ſancitum eſt, ut duo ſingulis annis Concilia vo-
carentur: alterum à Patriarcha nationale; provinciale à Me-
tropolitano alterum: ſi utrumque tamen cogere haud lice-
ret, haberetur nationale, provinciale non item. Eò factum
eſt, ut provinciales Synodi primùm in biennium differri cœ-
ptæ ſint, tum in triennium, ac tandem variis in locis haberi
deſitæ.

Huic malo ut mederentur Romani Pontifices, Metropo- VII. Una tertio quoque anno coacta Synodus.
litanos ad Synodos cogendas ſæpius hortati ſunt: in quo
ſumma laus fuit Urbani V, Gregorii XI, & Martini V.
A Baſileenſi etiam Conventu haud multò pòſt decretum Seſſ. 15.
eſt, ut Metropolitani, in ſua quiſque provincia, unoquo-
que triennio Suffraganeos vocarent ad Synodum: quod

SYNODUS PROVINCIALIS. rarum deinceps fore mulra juſſerunt Concilia, Colonienſe anno MCCCCXLII in Germania; in Italia Lateranenſe V anno MDXV; & anno MDLXIII Tridentinum, & Conſtitutio Bleſenſis in Gallia. Unde poſt Tridenrinum Concilium multæ habitæ ſunt Synodi: Mediolanenſis à Cardinale Borromæo anno MDLXXVI; Roromagenſis à Borbonio anno MDLXXXI; Remenſis à Guiſio anno MDLXXXIII; & ab aliis aliæ, quas appellare nihil attinet. Moris tum erat, ur earum Synodorum decreta mitterentur Romam, quò probarenrur, ſi nihil in iis eſſet vitii; ſin minùs, ubi id in quo peccatum erat, aut correctum eſſet, aut deletum, in provincias remitrerentur.

VIII. Quæ pœnæ iis qui aberant, impoſitæ. C. 16. C. 33. C. 7. C. 6.

Ne quis verò abſque cauſa abeſſet à Synodo, pœnæ canonibus impoſitæ ſunr, aliæ aliis graviores: Jubet Calchedonenſis Synodus, ut, qui ſuâ culpâ abfuerit, *fraterno corripiatur affectu.* Meldenſis & Wormatienſis Epiſcopum ab officio epiſcopali prohibenr; illa, donec ab eo fratribus factum fuerit ſatis; hæc, ad proximam uſque Synodum. Tarraconenſis & Emerirenſis à communione removent, quæ pœna gravior cæteris. Cauſa verò, cur quis non adeſſet, alia juſta erat, alia non item: juſta fuir, & ægra valetudo, & mandatum Principis; ira Agarhenſis Synodus: Regis tamen imperium à Turonenſi II repudiatum. Si quis verò abeſſet juſta de cauſa, canone decimo Carthaginenſis III decretum eſt, ut cur abſit, rractoria ſcribat ad Primatis Concilium, & Arelatenſi, ut nomine ſuo mittat Vicarium, qui & ſuas gerat vices, & Synodi placita ad ipſum perferat. Pœnæ etiam aliis quàm Epiſcopis intentatæ. Metropolitanus, qui per biennium ſuo vitio Synodum non habuerir, decreto Palenrini Concilii à templi ingreſſu prohibitus eſt: Magiſtratus, qui, ne haberetur Synodus, obſtitit, canone 17 Concilii VIII generalis ejectus à fidelium conſortio.

IX. Cujus fuit vocare illas Synodos.

Vocandæ provincialis Synodi poteſtas penes Metropolitanum jure communi fuir: id tamen & ad Summum Pontificem, & ad Principes interdum perrinuit. Fuit enim Romani Præſulis, & Metropolitanos ad cogendas ſæpius Synodos cohortari, & de quibus cauſis cognoſcerent, Epiſcopis proponere: fuit & Principum, ſi è publica re fore videretur,

moneret Epiſcopos, ut ad Synodum convenirent. Unde legere eſt, tum in Concilio Pictavienſi anno DCCCCXCIX, *Guillelmo Pictavienſe Comite convocante Concilium*; tum in Nannetenſi ſub Hildeberto Turonenſi Archiepiſcopo, *Ex ſuggeſtione venerabilis Britannorum Comitis*; quod tamen in Synodis provincialibus rarò videris, in nationalibus ſæpiſſime: ubi enim Regis ſive conſenſûs, ſive mandati mentio eſt, erit hæc Synodus ut plurimùm nationalis. SYNODUS PROVINCIALIS.

Qua verò ratione, quo ritu hæ Synodi habitæ ſint, ex Toletana IV paucis accipe. Juſſi ab ea primùm Epiſcopi in eum locum, ubi celebranda Synodus erat, ingredi; deinde Preſbyteri; tum Diaconi; denique, quibus vel conſuetudine, vel Epiſcoporum aſſenſu fas erat, delecti tum è nobilibus, tum è plebe laïci. Ut alia aliorum dignitas erat, ita varia omnium in Synodo & munera & jura. Jus ſuffragii habebant Epiſcopi, cæteri non item; illudque Preſbyteros inter & Diaconos intererat, quòd Preſbyteri pone Epiſcopos ſederent, Diaconi ſtarent pone Preſbyteros. Ut convenerant, continuò omnes unà ad Deum preces fundere; tum Diaconus *albâ*, ut vocant, indutus, antiquos legere canones, contra quos, ſi quid à quoquam peccatum erat, alius alium ſceleris arguere. Illius erat, cui objectum crimen, facinus aut fateri, aut diluere; reúſne verò eſſet, an ſecus, judicare, Epiſcoporum; & quæ prolapſa fuerant in deterius, paulò ſeverioribus devincire legibus. X. Quo ritu celebratæ.

Ad has Synodos cùm multæ cauſæ deferri vulgò ſolebant, tum iſtæ potiſſimùm: ſi quid ſceleris admiſſum ab Epiſcopo, Preſbytero, Clericóve; ſi quid etiam laïcus graviùs deliquiſſet; ſi quis, ſive Clericus, ſive laïcus ab Epiſcopo è cœtu fidelium ejectus; ſi quæ mota de ceremoniis, de diſciplina, de juriſdictione controverſia; ſi ſuborta etiam inter Epiſcopos Preſbyteróſve contentio; de iis omnibus aliiſve id genus, dijudicare erat Synodi provincialis. Id erat in Gallia ſingulare, maximè tempore Caroli Magni, quòd in Synodis provincialibus tres eſſent, ut loquuntur, turmæ, una Epiſcoporum, Preſbyterorum altera, tertia Comitum. Si litem habebat Clericus cum Clerico, judicabant Epiſcopi; ſi laï- XI. Quæ illarum poteſtas.

SYNODUS PROVINCIALIS.

XII. Ab iis Synodis ad Sedem apoſtolicam appellatū.

cus cum laïco, Comites; ſi laïcus cum Clerico, Comes & Epiſcopus.

Canone tamen Sardicenſi III licuit Epiſcopis à Synodi ſententia appellare Sedem Apoſtolicam: an id etiam liceat Preſbyteris, multùm olim Zoſimum inter & Afros Epiſcopos fuit in cauſa Apiarii diſceptatum. In Gallia ſub Carolo Calvo ad Romanum Antiſtitem provocatum à Preſbyteris, reſciſſaque interdum Epiſcoporum ſententia: ſed monitus à Rege Joannes VIII de Preſbytero judicia permiſit Epiſcopis; illiuſque ſecutus exemplum Adrianus II, Herlefridum in Galliam remitti voluit ab Hincmaro judicandum. An verò in Gallia, an Romæ ferenda de Epiſcopis ſententia ſit, perdifficilis olim ſub Carolo Calvo, & perobſcura quæſtio fuit in Rothaldi Sueſſionenſis, & Hincmari Laudunenſis cauſa. Sed hæc ſingulatim perſequi gravioris eſt operæ.

CAPUT III.

De Synodis nationalibus.

SYNODUS NATIONALIS.

I. Quid nationalis Synodi nomine intelligitur.

NATIONALIUM Synodorum nomine, non eas modò complectimur, quas vel ex integra diœceſi convocavit Primas, vel ex pluribus Patriarcha; ſed eas etiam, quæ vel ex unius diœceſis parte, vel ex multis provinciis, aut Metropolitanorum conſenſu, aut Regum imperio habitæ ſunt. Suberant Conſtantinopolitano Patriarchæ diœceſes multæ; ſuberat una Primati Epheſino; Lugdunenſi unius pars tantùm. Suam ſinguli vocarint Synodum, ſingulæ mihi nationales erunt; omnium quidem nec eadem eſt dignitas, nec par autoritas: at qui alias ab aliis ſecernere ſtuduerit, & in ſuum quaſque tribuere ordinem, is & longior ſit neceſſum eſt, & legentibus, niſi falſus ſum, moleſtior.

II Synodi nationales multæ in Oriente celebratæ.

Antequam in diœceſes deſcriptus eſſet Romanus orbis, nationales Synodos jam tum habitas, memoriæ proditum eſt. Ejus enim generis fuere, quas in Aſia tum ſub Victore

Papa de Paſchate, tum aliquantò pòſt à Firmiliano de Baptiſmo vocatas memorat Euſebius. Nationalia etiam fuiſſe nemo neſcit, habita Antiochiæ duo adverſus Paulum Samoſatenum Concilia, quorum in uno damnatus eſt, depoſitus in altero. Ubi verò Romanum Imperium in diœceſes à Conſtantino tributum eſt, multò plures, quàm antè, nationales Synodi haberi cœptæ ſunt. Quot enim, & pro Arianis, & adverſus Arianos, in Ægypto, in Aſia, in Oriente, Illyrico, Italia, Gallia celebratas his temporibus legere eſt; ita Alexandrinæ, Antiochenæ, Sirmienſes, &c. nationales fuerunt: quanquam in iis, nec provinciarum, nec diœceſeωn habita ulla ratio eſt; ſed evocati è variis diœceſibus Epiſcopi pro Imperatorum arbitrio, ex aliis alii. SYNODUS NATIONALIS.

Ut repreſſa Arianorum audacia eſt, paxque Catholicis à Theodoſio reddita; tum nationalibus Synodis, & certæ leges, & ſtata tempora præſcribi cœperunt. Primùm, canone ſecundo Concilii II generalis, à quo confirmata tum Aſiæ, tum Orientis in ſuas diœceſes diviſio; deinde reſcripto Honorii & Theodoſii ad Præfectum Illyrici, quo licet Epiſcopis ex integra diœceſi convenire ad Synodum. Inde ſingulis ferè annis ad Primatis arbitrium abſque conſenſu Imperatoris haberi Synodi cœptæ ſunt. Si tamen è publica re eſſe videretur, cogere Synodum; tum Imperator ſcribebat, ſive ad Patriarcham, ſive ad Primatem: is ad Metropolitanos, Metropolitani ad Epiſcopos: vocata continuò provincialis Synodus; in ea lecti, qui cæterorum nomine ad nationalem mitterentur: quæ ibi, ubi juſſerat, vel Primas, vel Imperator, celebrata eſt. III. Cujus juſſu convocatæ.

Non ſumma, ut nonnullis viſum eſt, illarum Synodorum poteſtas erat, ſive in iis quæ ad fidem, ſive in iis quæ ad mores diſciplinámve pertinent: ſi quid in iis eſſet pro fide tuenda definitum, id, quò probaretur, referri ad Romanum Antiſtitem moris erat. Ita ab Antiochena Synodo contra Paulum Samoſatenum: ita ab Alexandrina, contra Arium, & ab aliis contra alios hæreticos factitatum perhibent. Si quid etiam ab iis contra canones peccatum eſſet; ſi quis injuriâ depoſitus, ad Romanum Præſulem provocatum eſt, ut ab Athanaſio, Paulo Conſtantinopolitano, Mar- IV. Quænam illarum autoritas.

SYNODUS NATIONALIS. cello Ancyrano, Joanne Chryſoſtomo, &c. eaque judicia Romæ reſciſſa, & Epiſcopi ſuis reſtituti ſedibus. Orientalium Synodorum fama, quàm Occidentalium, eò fuit illuſtrior, quòd in Oriente quæque diœceſis ſuum, ſive Primatem, ſive Patriarcham haberet; in Occidente, non item, ſi Africam & Italiam exceperis: paulò enim alia ratio Illyrici fuit.

V. Quando haberi cœptæ in Africa.

Celebris etiam Synodorum, ſive Africanarum, ſive Carthaginenſium memoria eſt. Prima ſub Grato paulò poſt Sardicenſem anno CCCXLVIII habita eſt; ſub Aurelio plurimæ, ſub aliis aliæ. Nullum Epiſcopis, ante Aurelii tempora, quo convenirent, præſcriptum tempus. Sub Aurelio primùm annis ſingulis ſingulæ ut plurimùm celebrari cœperunt: non omnes tamen ex omnibus provinciis venire juſſi; ſed duorum Epiſcoporum, qui vicini erant, alteruter, ut, dum alter iret ad Synodum, alter, & ſuam, & illius, qui aberat, curaret parœciam. Deinde, quòd iter Carthaginem uſque egenis propè Epiſcopis nimio eſſet ſumptui, in Concilio Carthaginenſi III ſancitum eſt, ut è ſingulis provinciis (C. 2.) mitterentur tantùm Legati, pro modo provinciarum vel pauciores, vel plures: è Tripolitana, ubi pauciores erant Epiſcopi, unus; ex aliis, terni.

VI. Quando celebrari deſitæ.

Denique, quòd unoquoque anno binæ provinciales Synodi ex more haberentur, vixque per tempus liceret Legatis venire Carthaginem, & à ſuis ſedibus abeſſent diutius, in Milevitano Concilio ſecundo cautum eſt, ne nationales deinceps Synodi ſingulis annis cogerentur (C. 9.); datúmque Epiſcopo Carthaginenſi, (is enim omnium Primas erat) ut Africæ totius Epiſcopos, quando è re Chriſtiana fore videretur, Carthaginem evocaret. Hæc Synodi nationalis habendæ ratio in Africa fuit, donec à Bonifacio Comite Vandali auxilio acciti, Chriſtianæ rei anno CCCCXXXI exitio fuerunt; Africa primùm populationibus vexata; deinde eorum ditionis facta; denique Arianâ corrupta hæreſi; pulſi Epiſcopi; fideſque Catholica proſcripta eſt.

VII. Quando cogi cœperunt in Gallia.

Ut in Africa, ita in Gallia, florente etiamtum Romano Imperio, Synodi nationales habitæ ſunt, ut Agrippinenſis anno CCCXLVI, ut Arelatenſis anno CCCLIII, & Pariſien-

ſis anno CCCLXII. In prima depoſitus Euphratas Colonienſis Epiſcopus; in ſecunda Fauſtinus Treverenſis; in tertia Saturninus Arelatenſis; jure Saturninus, Fauſtinus injuriâ: ille enim Arianæ hæreſis erat, hic & fidei Catholicæ, & Athanaſii propugnator acerrimus. His Conciliis præerat, ut multis quidem placet, Treverenſis Epiſcopus: ſed diruta aliquantò pòſt à Vandalis Treveri, illius jura, cùm ab Honorio Imperatore, tum à Romanis etiam Pontificibus Epiſcopo Arelatenſi delata ſunt; illeque juſſus eſt, modò ex Galliæ parte, modò ex Gallia univerſa, modò ex Hiſpania etiam, ſi per Reges liceret, convocare Synodos. Sed de his actum à nobis eſt ſuperiùs. SYNODUS NATIONALIS.

VIII. Quando in Hiſpania.

Sub hæc etiam tempora in aliis diœceſibus celebratas eſſe nationales Synodos certum eſt: duas in Hiſpania adverſus Priſcillianiſtas. Altera juſſu S. Leonis circa annum CCCCL vocata dicitur, cui Turibium Aſturicenſem, aut præſidere, aut ſua deferre mandata, voluit; ſub Anaſtaſio anno CCCC altera: huic à Toleto, ubi habita eſt, nomen inditum; illi, quia quo loco coacta ſit, incertum eſt, nullum. Multas etiam in Italia fuiſſe Synodos, penè omnes loquuntur Hiſtoriæ; tres ſub Julio; totidem ſub Damaſo; ſub aliis, prout res tempuſque poſcebat, modò plures, modò pauciores: quas omnes, ſi appellem, infinitus ego ſim. Fuere quidem in Illyrico nationales Synodi, ſed earum alia ratio fuit: nec enim licuit Theſſalonicenſi Epiſcopo, aut omnes, aut quos liberet, Epiſcopos evocare ad Synodum; ſed ſi quid occurreret gravius, ex ſingulis provinciis binos: deligere verò, qui præ aliis mitterentur, non Primatis fuit; ſed in ſua cujuſque provincia Metropolitani.

IX. Initio habita ex integra diœceſi, deinde ex parte diœceſeos, ut in Gallia ſub Clodovæo.

Dum ſtetit Romana res, uſus obtinuit, ut ex diœceſi integra Synodi ut plurimùm vocarentur: ubi verò divulſum in varia regna Imperium eſt, non ex univerſa, uti mos erat, diœceſi; ſed ex variis, quæ uni parerent Principi, provinciis haberi cœperunt. Unde quò plures uni Regi provinciæ ſuberant, eò plures etiam in Synodis fuerunt, tum Epiſcopi, tum Metropolitani: quod exemplis fiet illuſtrius. Ut erepta Romanis Gallia eſt, Francis pars una ceſſit, Burgundionibus altera, tertia Wiſigothis. Qui illis parebant Epiſcopi,

Synodus nationalis. varias eodem propè tempore habuerunt Synodos; qui Alarico Wiſigothorum Regi, anno DVI Agathenſem; qui Clodovæo Francorum, Aurelianenſem anno DXI; qui Sigiſmundo Burgundionum, anno DXVII Epaonenſem, & Lugdunenſem. Epaonenſi adfuerunt duo tantùm Metropolitani, Avitus Viennenſis, & ViventiolusLugdunenſis: Agathenſi quatuor, Cæſarius Arelatenſis, Cyprianus Burdigalenſis, Clarus Eluſanus, & Tetradius Bituricenſis: quinque Aurelianenſi, Burdigalenſis, (jam enim receptæ erant à Clodovæo multæ de Gothis provinciæ) Bituricenſis, Eluſanus, Turonenſis, Rotomagenſis.

X. Ut & in Hiſpania ſub Wiſigothis & Suevis.

Haud aliter in Hiſpania contigit, poſtquam Suevos inter & Wiſigothos diviſa eſt. Celebratæ ex Regum conſenſu ſub utraque gente Synodi: Toletana II ſub Gothis anno DXXXI: ſub Suevis tres, duæ Braccaræ, una Luci. Ad has convenerunt, qui Suevis ſuberant Epiſcopi; ad illam, qui Gothis. Ubi verò à Gothis & Suevi devicti, & ſubacta armis Hiſpania eſt; tum ad Toletanas Synodos, quæ nationales ut plurimùm erant, vocati, cùm ex Hiſpania univerſa, tum ex Gallia etiam Narbonenſi Antiſtites: non idem tamen in omnibus Epiſcoporum numerus fuit, quia alii alia de cauſa interdum aberant; nec certum his Synodis definitum tempus, ſed pro Regum arbitrio convocatæ ab uno Rege plures, ab aliis nullæ.

XI. Et in Galliis ſub Clodovæi & Clotharii filiis.

Longè alia in Galliis, ut regendi Imperii, ita & habendæ nationalis Synodi conſuetudo fuit. Pulſi quidem in Hiſpaniam Wiſigothi: extinctus Burgundionum dominatus, Galliaque omnis Francico nomini paruit; ſed poſt Clodovæi obitum quatuor in partes inter totidem illius filios, ut tum moris erat, ex æquo deſcripta eſt. Quare quot regna, tot nationales Synodi fuerunt; quod etiam ſub Clotharii filiis factum legere eſt: celebratæ enim plurimæ ſub Childeberto Aurelianenſes III, IV & V; ſub Guntramno Matiſconenſis, Lugdunenſis III, Valentina II, & multæ ſub Chilperico; ſub aliis aliæ, quas referre nihil opus eſt. Ad eas verò non omnes ex omni Gallia acciti Præſules; ſed ad ſingulas ii tantùm, qui Regi, à quo vocata Synodus, ſubditi erant. Poſtquam Regum illorum virtus conſenuit, poteſtaſque omnis

Præfectis

Præfectis Palatio, ut vocabant, permiſſa eſt, neglecta primùm diſciplina eſt; tum quòd Epiſcopis, ſive ob bella civilia, ſive alia de cauſa, convenire haud liceret, Synodi ſub extrema primæ ſtirpis tempora haberi deſitæ ſunt.

SYNODUS NATIONALIS.

XII. Sub Pippino binæ ſingulis annis habitæ, eccleſiaſtica & regia.

Quare miſſus in Galliam eſt & in Germaniam à Gregorio II Bonifacius, vir apoſtolicis dotibus inſignis, qui collapſam in his regionibus diſciplinam reſtitueret. Cùm plures ipſius monitis convocatæ Synodi, tum potiſſimùm duæ: altera Liptinis anno DCCXLIII juſſu Carolomanni; à Pippino altera Sueſſione anno DCCXLIV: in quibus multa, quæ & ad fidem, & ad mores pertinent, decreta ſunt. At Pippinus rerum in Gallia, Germaniaque ſolus paulò pòſt potitus, Vernum (Regum palatium erat) Epiſcopos venire juſſit: ab iis conſtitutum eſt, ut binæ unoquoque anno in poſterum cogerentur Synodi; una Kalendis Martiis, Kalendis Octobris altera: hæc, quòd à ſolis Epiſcopis, Abbatibus, Preſbyteris haberetur, *Eccleſiaſtica*; illa, quòd à Proceribus regni & Epiſcopis coram Rege, *Regia* dicta eſt. Erat *regiæ* Synodi decernere, quæ ad diſciplinam ſpectant, tum civilem, tum eccleſiaſticam. Erat *eccleſiaſticæ* cavere, ne quis adverſus antiquos peccaret canones; novos enim condere vetitum erat: ſi qui tamen ſanciti interdum, eorum ut major eſſet autoritas, regio paulò pòſt edicto firmari uſus fuit.

XIII. Totidem ſub Carolo Magno, particularis, & univerſalis.

Ratione haud multùm diſpari binæ ſingulis annis ſub Carolo Magno vocatæ ſunt Synodi; altera generalis, particularis altera: illi aderant Epiſcopi, Abbates, Comites; huic delecti, ſive à Rege, ſive à generali Conventu, & Comites & Epiſcopi, quos ætas, prudentia, uſuſque diuturnus ad publicam rem gerendam erudierat. Horum fuit, quæ in Synodo generali erant proponenda, unà inquirere: ita tamen, ut quæ ad fidem pertinerent, ſoli ſtatuerent Epiſcopi; quæ ad civilem regni adminiſtrationem, Comites; quæ verò ad diſciplinam, cùm ex utraque temperata ſit, & Comites, & Epiſcopi: deinde, ſi quæ decreta erant, è re, aut publica, aut Chriſtiana fore viderentur, moris erat ea probari à Rege; ſin minùs, repudiari.

XIV. Sub Carolo Magno quinque ſimul habitæ; quatuor ſub Ludovico Pio.

Unum eſt, quod hoc loco addere non pigebit, anno

SYNODUS NATIONALIS. DCCCXIII omnes propè Germaniæ Galliæque Epiſcopos in urbes quinque à Carolo Magno convenire juſſos, Arelatem, Turonas, Remos, Cabilonum, & Moguntiam; illudque fuiſſe in Moguntiaca Synodo ſingulare, quòd, qui aderant, in tres eſſent veluti claſſes deſcripti: in primam Epiſcopi, Abbates in ſecundam, in tertiam Comites. Epiſcopi legebant Scripturam, & antiquos canones; Abbates regulam S. Benedicti; Comites Regum præcepta, legeſque civiles, ut Clericorum, Monachorum, Francorumque omnium mores, inſtituta, diſciplinam ſeverioribus legibus devincirent. Haud aliter aliquantò pòſt anno DCCCXXIX. celebratæ ſimul Ludovici Pii juſſu Synodi quatuor. Pariſiis, Moguntiæ, Lugduni, Toloſæ. Sub hæc, ut jam aliàs ſemel atque iterum inter Clodovæi & Clotharii liberos, ita inter Ludovici Pii filios diſtracta multas in partes Gallia eſt, diſtractaque in plures nationalis Synodus; quòd Epiſcoporum alii parerent Carolo Calvo, alii Lothario Imperatori: tantaque fuit inter eos, ſive animorum, ſive verborum potiùs diſſenſio, ut contraria & pugnantia inter ſeſe, in iis etiam, quæ ad fidem ſpectant, in Conciliis Cariſiaço & Valentino definiviſſe nonnullis viſi ſint: temere illud quidem & injuriâ, cùm verbis, non reipſa inter ſe diſſentiant.

XV. Sub Capetiis Regibus ex univerſa Gallia celebratæ. Sub poſtremis ſecundæ ſtirpis Regibus neglectæ Synodi: earum tamen uſus ſub Hugone Capetio, aliiſque deinceps revocatus eſt; ſed iis nec ullum præfixum eſt tempus, nec ad eas omnes vocati è provinciis, ſive Metropolitani, ſive Epiſcopi; ſed pro Regum, aut Summorum Pontificum arbitrio, modò pauciores, modò plures: fuit tamen aliquantò pòſt, cur ex univerſa Gallia, ſive Concilia, ſive Conventus haberentur. Ita factum ſemel atque iterum anno MCCCCIII à Philippo Pulcro legimus, in ea, quæ cum Bonifacio VIII exarſit, contentione; factum etiam illud ſæpius, dum Chriſtiana res Urbani & Clementis ſchiſmate diviſa eſt: bis enim acciti Pariſios Epiſcopi & Proceres, eorumque ſuffragio decretum eſt: primum, nihil ad pacem utilius fore, quàm ſi uterque Pontifex Pontificatu excederet: deinde Benedicto XIII, quòd ceſſurum ſe negaret, negata obedientia eſt: denique ſancitum, quòd neuter mo-

rem gereret, ne quis adhæreret alterutri. Biturigibus etiam duo hujuſmodi Conventus habiti ſunt: in primo nonnulla Baſileenſis Synodi placita à Gallis recepta ſunt; in altero confirmata Eugenii IV autoritas, Felicis repudiata. SYNODUS NATIONALIS.

His, ſive Conciliis, ſive Conventibus, alia aliis temporibus nomina indita ſunt. Sub prima Regum familia, dum ſoli aderant Epiſcopi, dicta ſunt vulgò, aut *Concilia*, aut *Synodi*: ſub ſecunda, cùm adſciti ſunt etiam Comites, *Synodus*, *Conventus*, *Placitum*, *Concilium*, *Colloquium*: ſub tertia verò *Curia*, *Concilium generale*, *Parlamentum*. Nam ſub Philippo Pulcro, aut non multò antè, plebs etiam admiſſa eſt: unde extiterunt tres illi regni totius Ordines, qui à Regibus convocari identidem ſoliti ſunt. Primas in iis tulerunt Epiſcopi; ſecundas nobiles; plebs tertias. Ad typum verò & formam Synodorum, quarum uſus ſub ſecunda Regum ſtirpe frequens erat, inſtitutæ ſunt Curiæ, quas vulgò dicimus *Parlamenta*, in quibus admixti laïcis Clerici de plebis, nobilium, Principum, Clericorum litibus judicium exercerent. Eò longior fui in deſcribendis Galliæ Synodis, quòd eadem propè fuerit apud gentes cæteras Synodorum ratio; apud Germanos, Polonos, Anglos, à quibus itidem, ut à Gallis, adſciti ad Synodos, unà cum Epiſcopis, viri nobiles. XVI Varia harum Synodorum nomina. Inde vocati regni Ordines.

CAPUT IV.

Cujus fuerit convocare illas Synodos.

SUNT qui cogendæ Synodi nationalis poteſtatem penes Reges olim fuiſſe velint; deinde ſenſim uſurpatam à Legatis, à Primatibus, à Metropolitanis. Ii argumento, quod ſciam, utuntur unico, quòd in pluribus Synodis hæ voces adſcriptæ ſint, non omnes quidem in omnibus, ſed aliæ in aliis, *Ex Regis præcepto, imperio, juſſu, mandato*; deinde quòd earum loco iſtæ ſuppoſitæ ſint, *Ex Regis conſenſu, indulgentia, conniventia*; quibus nonnihil de regia poteſtate I. An Summi Pontificis, Regis, Primatis vocare has Synodos.

SYNODUS NATIONALIS. detractum eſt; quòd denique aliæ Synodi Regis nec *mandati*, nec *conſenſus* meminerint: qui quàm falſi ſint opinione ſua, vel una nos docet Agathenſis Synodus, in qua, licèt antiquior ſit cæteris, regii mandati nulla mentio eſt. Sunt alii, qui vocatas quidem à Regibus Synodos conſentiant: illud verò quidquid fuit juris, nunquam aut à Legatis, aut à Primatibus uſurpatum putent, quòd apud Marculfum vetereſque Scriptores vis eadem, eademque poteſtas ſubſit his vocibus, *præceptio*, *juſſus*, *imperium*, *conſenſus*, *indulgentia*, &c. quæ ſono quidem & appellatione aliquid differunt, reipſa nihil.

II. Et à Summo Pontifice & à Regibus vocatæ. Neutra mihi ſententia omnino probatur: mea cujuſmodi ſit, paucis dabo. Ea fuit priſcis temporibus inter Summum Pontificem & Imperatorem animorum conſenſio, nihil ut utrique eſſet antiquius, quàm ut in Chriſtiana religione propaganda alter juvaret alterum. Quid verò è jure Pontificis eſſet, quid ex Imperatoris, laborabant minùs: quid cuique ſequendum eſſet in iis, quæ ad fidem pertinent, definire fuit Summi Pontificis; promulgare leges, quibus & ethnici in officio, & Chriſtiani continerentur, Imperatoris: vocare verò Synodos, quæ diſciplinam ſpectant eccleſiaſticam, utriuſque. Vocata fuerit ab alterutro Synodus, ſancitique ab ea canones, continuo probata ab altero, ſi quid inde utilitatis in Chriſtianam rem ſperaretur: acciti interdum à Principe ad Synodum Epiſcopi, aliàs petita ab eo conveniendi facultas; aliquando ne petita quidem: unde factum, ut Synodorum aliæ *regii mandati*, aliæ *conſenſus* tantùm meminerint, aliæ neutrius: in quam rem aliquot exempla proferre alienum non erit.

III. Ab Imperatoribus & Regibus Galliæ primæ ſtirpis. Dum Romanum floruit Imperium, nemo, opinor, habitas juſſu Imperatorum Synodos negaverit. Ita vocatam à Conſtantino contra Donatiſtas Arelatenſem legimus; ita à Gratiano adverſus Arianos Aquilegienſem; ita Burdigalenſem à Maximo contra Priſcillianiſtas, & ab aliis alias. Ut verò Romani nominis gloria concidit, jus idem tribuerunt ſibi, nec injuriâ in ſuis quiſque provinciis, Chriſtiani Principes: Franci in Gallia; in Hiſpania Gothi, & in aliis alii. Unde ſi evocati à Principe ad Synodum Epiſcopi, *regiæ*, ut loquuntur, *juſſionis* facta in actis Concilii mentio eſt, ut in Aure-

lianenſi I ſub Clodovæo anno DXI, *Sacerdotes quos ad Concilium venire juſſiſti*; ut in Aurelianenſi II anno DXXXIII ſub Childeberto & illius fratribus, *Ex præceptione glorioſiſſimorum Regum*; quod etiam in quinta anno DXLIX diſtinctiùs expreſſum eſt, *Clementiſſimus Princeps.·. Domnus Childebertus Rex in urbe Aurelianenſi congregavit in unum Domini Sacerdotes*; quod factum itidem eſt in ſecunda, tum Pariſienſi, tum Valentina, quarum in altera legere eſt, *Cùm ad invitationem Childeberti Regis conveniſſemus*; in altera verò, *juxta imperium Regis Guntramni.* Sed ab exemplis jam abſtineo. Quod adeo ægrè non erat Romanis Pontificibus, ut Gregorius ipſe Magnus ad Brunichildem ipſiuſque filios ſemel atque iterum ſcripſerit, *Synodum fieri juſſio regia præcipiat. Synodum congregari præcipite.* SYNODUS NATIONALIS.

Si verò de cogenda Synodo nihil curaret Princeps, ſive quòd hæreſis eſſet infectus labe, ſive quòd gravi bello, aliiſve diſtrictus curis; habendæ Synodi facultatem interdum petierunt à Rege Epiſcopi. Ita celebrata Agathenſis anno DVI, *Ex permiſſu glorioſiſſimi piiſſimique Regis Alarici, qui nobis congregationis permiſerat poteſtatem.* Ita Arvernenſis anno DXXXV, *Cùm in nomine Domini, congregante ſancto Spiritu, conſentiente Domno noſtro glorioſiſſimo piiſſimoque noſtro Rege Theodeberto in urbe Arverna ſancta Synodus conveniſſet.* Quòd verò in nonnullis nec mandati, nec conſenſûs Regum mentio ulla ſit, ut in tertia & quarta Aurelianenſi, Pariſienſi tertia, & ſecunda Lugdunenſi; id vel Epiſcoporum negligentiâ factum eſt, vel Principum, qui ipſorum nomen in actis Synodorum adſcriberetur, an ſecus, non laborabant. Reſciſſa etiam interdum à Regibus Conciliorum decreta, ut Pariſienſis quintæ anno DCXV à Clothario: duo fuerant à Synodo ſancita, ut jus tum eligendi Epiſcopi; tum cognoſcendi de Clericorum cauſis, quæ erant capitis, penes ſolos Clericos eſſet: utrumque repudiatum à Clothario: electio Epiſcoporum & Clero & populo; cauſæ verò Clericorum & Clericis & laïcis permiſſæ ſunt. IV. Ex conſenſu Regum.

Plus etiam multò ſub ſecunda Regum ſtirpe Regibus ab Epiſcopis datum eſt: vocata enim ab iis Concilia: datus iis locus honoris, qui Præſidis eſt: decreta & ipſorum edita V. Vocatæ à Regibus ſecundæ ſtirpis in Gallia.

SYNODUS NATIONALIS. nomine, & ab iis confirmata. Unum alterúmve exemplum hîc apponere ſufficiat, ut de cæteris conjectura fieri poſſit. Carolus Magnus Francofordienſe coëgiſſe Concilium canone primo dicitur, *Ex Domni noſtri Caroli juſſione*. In epiſtola ſynodica præſediſſe, *Præcipiente & præſidente Domno* ∴. *noſtro Carolo*. Et in decretis, *Definitum eſt à Domno Rege, & à ſanctâ Synodo*. Si Rex aberat, miſſi ad eum conditi à Synodo canones, quos pro arbitrio vel probaret, vel rejiceret. Ita ex canonibus 79, quos tulerat Meldenſis Synodus, 19 tantùm recepti à Carolo Calvo, repudiati cæteri. Sunt tamen, ne quid diſſimulem, qui jus illud præter morem à Carolo nonnulliſque antea Regibus uſurpatum velint. Ea verò regiæ dignitatis privilegia Præſulis Romani juribus nihil oberant. Si quid eſſet, cur Concilium haberi juberet Pontifex, primùm ipſe ſcribebat ad Regem; deinde Rex ad Epiſcopos: tumque coacta Synodus, & autoritate apoſtolica, & juſſione regia: ita in cauſa Wulfadi. Is ab Ebbone Remenſi ordinatus fuerat. Nicolaus I Sueſſione haberi Synodum juſſit, *Præcipimus vos unà cum cæteris Archiepiſcopis & Epiſcopis Galliarum*, &c. *apud Sueſſionem urbem convenire*; eamque Synodum juſſu Pontificis celebratam nec Synodus diffitetur, *Synodus Sueſſionenſis habita juſſu & autoritate ſanctiſſimi Apoſtolatûs veſtri*; nec Rex ipſe Carolus, *A Synodo præceptione veſtra congregata*.

Ep. ad Herard. Tur.

VI. A Regibus Gothis in Hiſpania.

Ne quis verò Regibus Galliæ ſingulare illud fuiſſe putet, ut ipſi vocarent Synodos; alii Reges non item: juvat hîc etiam ex Hiſpaniæ Conciliis exempla proferre, pauca illa quidem, ſed inſignia. Coactæ ſint à Regibus, an ſecus, nos docent Synodi, tum Braccarenſes ſub Suevis, tum ſub Gothis Toletanæ. Habet enim Braccarenſis utraque, *Ex præcepto Regis*; altera, *Ariamiri*; altera, *Myronis*; & Lucenſis, *Theodemirus Concilium fieri præcepit*. Haud aliter etiam Toletanæ, quarum tertia anno DLXXXIX ita de Reccaredo loquitur, *Cùm glorioſiſſimus Princeps omnes regiminis ſui Pontifices in unum convenire mandaſſet*. De Chindaſuindo ſeptima anno DCXLVI, *Cùm tam noſtra devotione, quàm ſtudio ſereniſſimi Regis Conventus adeſſet*. Octava de Recceſuintho, *Cùm nos omnes divinæ ordinatio voluntatis Recceſuinthi Regis juſſu ad Synodi coëgiſſet aggregari conventum*; qui-

bus cæteræ propè Toletanæ conſentiunt. Idem propè uſurpatum in Anglia cuivis intelligere licet è Conciliis Becanceldenſi anno DCXCIII, Cloveshovienſi anno DCCXLVII, & Celechytenſi, anno DCCCXVI, quibus Reges ipſi Withredus, Ædibaldus, Kenulphus adfuiſſe perhibentur. SYNODUS NATIONALIS.

VII. Sub tertia Regum ſtirpe in Gallia à Summis Pontificibus, Regibus, Legatis.

Sub initium undecimi ſæculi, quo Legati Româ in provincias mitti cœpti ſunt, cogendæ nationalis Synodi paululum immutata ratio eſt; jus quidem penes Reges, ut antea, & Primates fuit: uſus tamen obtinuit ſenſim, ut Synodi perſæpe, vel à Legatis, vel ab ipſis Summis Pontificibus, potiſſimùm in Gallia vocarentur. Ita habitæ ab Hildebrando anno MLV, & Lugdunenſis, & Turonenſis, in quarum altera convictus ſimoniæ crimine Epiſcopus; in altera Berengarius ſuam proſcripſit hæreſim. Ita etiam habitæ Remis à Romanis Antiſtitibus duæ: prima anno MXLIX à Leone IX; altera anno MCXIX à Calixto II: duæ etiam ab Urbano II, anno MXCV, Claromontana & Lemovicenſis. Vocatas etiam à Legatis Londonienſes in Anglia, & in aliis regionibus alias, cuique obvium eſt, ut hîc plura attexere exempla fruſtra ſit. Quænam verò nationalis Synodi poteſtas fuerit; quibus definita terminis, pronunciare, nec eſt inſtituti mei, nec hujus temporis.

CAPUT V.

SYNODI OECUMENICÆ.

De Synodis œcumenicis.

Cur Synodorum generalium hiſtoria hoc loco appoſita ſit.

NEc inutile, nec injucundum ſtudioſis fore mihi viſum eſt, ſi Concilia, quorum alia ab aliis, & temporibus maximè disjuncta ſunt, & locis, ſub oculos ſimul omnia ſubjiciam: animus quidem fuerat illorum hiſtoriam hiſtoriæ urbis, in qua peractum quodque eſt, ſubtexere; ſed habebit, opinor, plus utilitatis uno quaſi intuitu cernere, quo, & Summo Pontifice, & Imperatore habita ſint ſingula; quo & anno & loco; qua de cauſa; qui Legati præfuerint; quot ſanciti canones; quot adfuerint Epiſcopi; & alia hujuſmodi: quæ, qui de his ſcripſerunt hactenus, aut breviùs, quàm par ſit, ut mihi quidem videtur, explicuerunt,

aut pluribus; unde ut plurimùm aliquid habent obſcuritatis, aut faſtidii. Ego aliis longior, brevior aliis, omnia accuratè, quoad potero, perſequar: quàm bene, viderint alii.

Synodus Nicæna.

I. Vocata Synodus Nicæna tribus de cauſis

INter Synodos œcumenicas Nicæna, ut ordine, ita dignitate, principem locum obtinet. Ab urbe in qua habita eſt, huic Synodo, ut aliis, nomen inditum; & Silveſtri Pontificis juſſu & Conſtantini Imperatoris anno Chriſti CCCXXV coacta eſt, Paulino & Juliano Conſulibus. Illius vocandæ triplex cauſa fuiſſe perhibetur, hæreſis Ariana, Meletianum ſchiſma, Quartadecimanorum error.

II. Ob Arii hæreſim.

Fuit Arius è Libya, quæ Ægypto vicina eſt. A Petro Alexandrino factus eſt Diaconus, & aliquantò pòſt ab Alexandro Preſbyter, & Eccleſiæ, ſive Parœciæ, cui Baucalis nomen erat, præfectus. Ab utroque ter communione interdictus eſt, ſemel atque iterum à Petro ob ſchiſma Meletianum; tertiùm ab Alexandro ob eam, quam anno CCCXVII profiteri inſtituit, hæreſim, cujus hæc ſumma fuit: Dei Filium primò creaturam eſſe factum ex nihilo; ſecundò ex natura ſua mutabilem; tertiò Patri ſubſtantiâ diſſimilem. Ejectus Eccleſiâ multos ſibi cùm in Ægypto, tum in Aſia ſcriptis literis patronos quæſivit; ſed præcipuè Euſebios duos, Nicomedienſem & Cæſarienſem, quorum ille nobilitate, hic ingenio & doctrinâ, uterque ſummâ apud Imperatorem gratiâ florebat. Inde dum aliis Alexandri factum probatur, aliis Arii blaſphemia, ingens exarſit incendium; quod fruſtra, & Silveſter, & Conſtantinus, tum per literas, tum per Legatum Oſium reſtinguere conati ſunt.

III. Ob ſchiſma tum Meletii, tum Quartadecimanorum

Schiſmati Meletiano Meletius nomen fecit Lycopoleos in Thebaïde Epiſcopus, qui dum in Chriſtianos à Maximino ſævitum eſt, unà cum Petro Alexandrino conjectus eſt in carcerem. Ab eo primùm de lapſis recipiendis diſſenſit, dum ille ad communionem continuò recipiendos diceret; negaret Meletius: deinde cùm ob varia crimina, tum quòd ſacrificaſſet idolis, à Petro exautoratus ab eo deſcivit. Mota jam diu fuerat in Aſia de Paſchatis celebrandi die controverſia,

troverſia, quòd alii dominica die poſt decimam-quartam lunam primi menſis illud peragerent; alii Judaïco more decimâ-quartâ lunâ in quemlibet hebdomadæ diem incidiſſet. Sopita utcumque eſt à Victore Papa; ſed paulò pòſt recruduit. SYNODI OECUMENICÆ.

IV. Quot Epiſcopi. Quis Præſes.

Convenerunt Epiſcopi CCCXVIII, è quibus inſigni complures pietate, multi doctrinâ nobiles, nonnulli etiam gravia ſub Licinio, vel ſub Maximino pro fide tormenta perpeſſi. Aderant Alexander Alexandriæ Epiſcopus, Euſtathius Antiochiæ, Macarius Hieroſolymorum, Jacobus Niſibis, Nicolaus Myræ, Spiridion, Potamon, Paphnutius, & alii, quos appellare longum ſit; non par tamen omnium ſanctitas: erant enim qui Arii favebant erroribus, ut Theognis Nicænus, ut Maris Calchedonenſis, ut Euſebii duo, & alii, quorum memoria apud poſteros Ariana contagione infamis. His omnibus præerant Oſius Cordubenſis Epiſcopus, Victor ſive Vitus, & Vincentius Preſbyteri; non Julii, ut Sozomeno viſum eſt, ſed Silveſtri nomine. De Victore & Vincentio conſentiunt plerique omnes; de Oſio magna inter eruditos controverſia. Eum præſediſſe liquet: quo nomine, aliter placet aliis; non ſuo certè. Cur enim mero Epiſcopo & Hiſpano ab Orientalibus & Ægyptiis is haberetur honos? An precibus Synodi, an Conſtantini juſſu, nullum extat uſquam hujus rei veſtigium: unde Silveſtri nomine Synodo præfuiſſe cuivis intelligere licet; quod à Scriptoribus etiam primæ claſſis memoriæ proditum eſt.

V. Proſcripta Arii hæreſis. Sopitum utcumque ſchiſma.

Proſcripta eſt à Synodo Arii impietas, Filiumque Patri *ὁμοούσιον*, hoc eſt, conſubſtantialem, ſancitum eſt; eaque vox addita Symbolo. Qui ſubſcribere recuſarunt, iis exilii pœna intentata. Paruerunt quidem omnes, alii tamen poſt alios; Arius, Theonas Marmaricæ, Secundus Ptolemaïdis ab Eccleſiæ communione rejecti: ſed Arius oblato paulò pòſt Patribus libello, quo hæreſim abdicabat ſuam, receptus in gratiam eſt; eâ tamen lege, ut ne Alexandriam rediret. Conſtantinus, & illius cremari libros, & ipſius dogmatis fautores *Porphyrianos* dici voluit. Meletius ſolo Epiſcopi nomine contentus in urbe ſua manere juſſus eſt; qui verò ordinati ab illo erant, ſancitum eos manuum impoſitione expiatos ſecundo

SYNODI OECUMENICÆ. gradu cenſeri ab iis, quos Alexander conſecraverat. Paſcha Judaïco more decima-quarta die menſis primi fieri vetitum; ſed ut uno ab omnibus ubique die, id eſt, dominica poſt decimam-quartam menſis Martii lunam celebretur, decretum eſt: quódque Ægyptii aſtronomiæ periti id temporis haberentur, cura cyclorum paſchalium Epiſcopo Alexandino demandata, quos ſingulis annis ad alios Epiſcopos mitteret.

VI. Numerus canonum. Quot ſanciti ab ea Synodo canones, jam inde à Zoſimi Papæ temporibus quæſitum eſt. Dum inter ipſum & Afros Epiſcopos mota eſt de appellationibus controverſia, diſputatum etiam eſt inter utrumque Hincmarum, Remenſem & Laudunenſem: dum ille viginti tantùm eſſe, hic multò plures aſſereret. Viginti quidem vulgò feruntur; Rufinus tamen 22 numerat, 23 Iſidorus; alii etiam plures. Sunt qui Arabicos Nicænæ eſſe Synodi velint; ſed ab eruditis ea jam diu exploſa ſententia eſt. Alius verò ab aliis numerus proditur, quòd canon unicus diſtractus ſit in plures, & Sardicenſes cum Nicænis à multis confuſi ſint.

Synodus Sardicenſis.

I. Quare cõvocata. POST Conſtantini Magni obitum tres illius filii Romanum orbem inter ſe partiti ſunt. Conſtantinus natu maximus Gallias & quidquid trans Alpes erat, ſortitus eſt: Conſtans natu minimus Africam & Italiam cum reliqua Europa; Conſtantius Ægyptum, Aſiam & Orientem. Conſtantinus dum in Conſtantem fratrem bellum movet, ad Aquileiam necatur. Conſtans Nicænæ fidei fautor fuit; impietatis Arianæ Conſtantius: unde illius in Athanaſium amor, hujus odium extitit. Is ab Arianis è ſede pulſus Romam ſe receperat; Paulus item Conſtantinopolitanus, Marcellus Ancyranus, Aſclepas Gazenſis, &c. Horum in cauſa Sardicæ (Daciæ mediterraneæ metropolis erat, & utriuſque Imperii limes) generalis Synodus anno CCCXLVII, ex Conſtantis Conſtantiique conſenſu habita eſt.

II. Numerus Epiſcoporum & Præſides. Epiſcopi, qui convenerunt, ab aliis plures, pauciores ab aliis numerantur. A Baronio ex Occidente CCC, ex Orien-

te LXXVI, Catholici omnes: à Petro de Marca Occidentales LXXX, Orientales aliquot, qui ab Arianis defecerant. Scribit quidem Athanaſius ſe à CCCXLIV Epiſcopis reſtitutum; at illius mens non erat, eos omnes adfuiſſe Synodo, ſed ſynodicæ epiſtolæ in ſua quemque provincia poſtea ſubſcripſiſſe. Idem, qui Nicæno Concilio, præſedit Oſius Cordubenſis, cui adjuncti Archidamus & Philoxenus Presbyteri, omnes nomine Julii Romani Præſulis. Ne verò te moveat, quòd alia Oſii fuerit, alia illorum ſubſcribendi ratio. Subſcriptiones verò ſunt hujuſmodi: *Oſius ab Hiſpania: Julius Romæ per Archidamum & Philoxenum.* In ſecunda ſubſcriptione Julii Papæ mentio fit; in prima non item. Unde illius diſcriminis ratio? In promptu eſt. Solemne fuit initio Concilii cujuſque, ut Legati, ſive Epiſcopi eſſent, ſive Presbyteri, legationis ſuæ teſtes proferrent literas: deinde ſuo tantùm nomine ſubſcriberent Legati, qui Epiſcopi, quia ferendi ſuffragii jus illis erat; qui Presbyteri, alieno, quòd illis ſuffragii poteſtas nulla. SYNODI OECUMENICÆ.

Ab his abſolutus Athanaſius, Marcellus Ancyranus, cujus necdum innotuerat error, Aſclepas Gazenſis, & Urſacius, Valens, Maris in gratiam recepti; damnati, qui Philippopolim receſſerant, Ariani; comprobata Nicæna fides; conditi canones 21 de jure Romani Pontificis, de Epiſcoporum muneribus, judiciis, electionibus, &c. quos Afris Epiſcopis aliquantò pòſt ignotos fuiſſe mirum multis, nec immeritò, viſum eſt. Aderat enim Gratus Carthaginenſis Primas, & Epiſcopi ex univerſa Africa XXXVII. Eſt tamen cur id Arianorum crimine factum ſuſpicemur: quo enim tempore Catholici Sardicæ, hi Philippis (Thraciæ oppidum erat) Synodum habuerunt; cui etiam, quò facilius incautis objiceretur error, Sardicenſis nomen fecerunt. Ab iis vox *Conſubſtantialis* proſcripta eſt: Julius, Oſius, Maximinus Treverenſis, ſedibus dejecti, miſſaque ad Gregorium Alexandrinum, & Donatum Carthaginenſem Donatiſtarum principem, pſeudo-Synodi decreta. Idque Africanis poſtea Epiſcopis, fraudi fuit: decretis enim affictæ temere Sardicenſis Synodi appellatio, illis errorem objecit; unde iis nulla fuit nota Synodus Sardicenſis, niſi Ariana.

III. Arianorum alii damnati, alii recepti. Cur ignota Afris hæc Synodus.

SYNODI OECUMENICÆ.

Synodus Conſtantinopolitana I.

I. Cur habita.

UT Nicænæ, ita Conſtantinopolitanæ Synodi cogendæ triplex cauſa fuiſſe perhibetur. Theodoſius Gratiani ſuffragio adeptus Imperium, adverſus ſectas omnes ſanctionem ediderat, omnibuſque repudiatis obtinere juſſit Catholicam fidem: Eunomii tamen artibus & eloquentiâ ſe quoquo modo tuebatur Ariana perfidia; ſerpebat etiam latiùs in dies contra Spiritus ſancti divinitatem Macedonii impietas: quibus acceſſit orta inter Gregorium Nazianzenum & Maximum Cynicum contentio. Gregorius Synodi Antiochenæ decreto Conſtantinopolim venerat. Ob morum innocentiam, præſtantiamque doctrinæ charus cùm eſſet omnibus, multos è plebe, è Proceribus allexit ad fidem, & paulò pòſt omnium penè ſuffragiis in Epiſcopum eligitur. Sub hæc Maximus ſubmiſſus à Petro Alexandrino in urbem appulit; & clam ordinatus ab Epiſcopis Ægyptiis per fraudem ſedem occupat: inde ingens animorum diſſenſio, dum Maximum tuentur Ægyptii; cæteri, & numero, & causâ ſuperiores, Gregorium.

II. Numerus Epiſcoporum. Proſcripti hæretici.

His malis ut mederetur, Theodoſius Conſtantinopolim Epiſcopos ad Synodum evocat anno CCCLXXXI: venerunt Epiſcopi CL, è quibus tum pietatis, tum doctrinæ famâ præſtabant Meletius Antiochenus, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyſſenus, Amphilochius Iconienſis, Acacius Beræenſis, Diodorus Tarſenſis, &c. Ab iis aſſerta contra Macedonium Spiritus ſancti divinitas, damnati Eunomiani, Photiniani, Apollinariſtæ, Sabelliani; & multa Symbolo Nicæno addita: ejectus Maximus, factæque ab eo ordinationes repudiatæ: ſanciti canones omnino ſex. Secundùm hæc mortuo Meletio ſublectus eſt ab Aſianis Flavianus præter Gregorii Nazianzeni ſententiam, & contra pactum, quo convenerat, ut cùm duo eſſent Antiochiæ Epiſcopi, Meletius & Paulinus, utervis priùs vivere deſiiſſet, ſuperſtiti diœceſis cederet integra: inde Occidentales inter & Orientales Epiſcopos natum eſt diſſidium, & Antiochenum ſchiſma in multos annos propagatum eſt.

Interim advenit Timotheus Alexandrinus: iſ Conſtantinopoli injuſſu ſuo creari Epiſcopum nefas eſſe cùm diceret, Gregorius pacis ſtudio ſponte ſe abdicat: illi Nectarius homo quidem nobilis, & ſenatorio ſtemmate, ſed etiam tum laïcus, & diſciplinæ eccleſiaſticæ omnino rudis, ſuffectus eſt: deinde ſingulis ſedibus ſui, aut præſcripti fines, aut confirmati, ſedique Conſtantinopolitanæ eadem, quæ Romanæ, ſecundo tamen ab ea loco, jura permiſſa: quod tamen ratum eſſe vetuit Damaſi Pontificis autoritas, à quo probatum eſt Symbolum. Canones verò cæteri, an recepti, an ſecus, incertum eſt.

SYNODI OECUMENICÆ. III. Nectarius Gregorio ſuffectus. Canones non probati.

Synodus Epheſina.

NESTORIUS Germaniciâ (Syriæ oppidulum eſt) oriundus, primùm apud S. Euprepii ad Antiochiam Monachus, deinde ex Monacho Preſbyter, & ex Preſbytero Epiſcopus Conſtantinopolitanus, novam procudit hæreſim: ſive eam à Paulo Samoſateno mutuatus ſit, ſive potiùs à Theodoro Mopſueſteno. Erroris illius duo potiſſimùm fuerunt capita: primum, quo Chriſtum in duas dividebat perſonas, totidemque filios, quorum alter Deus eſſet ex Deo genitus, alter homo ex homine; alterum, quod ex primo conſequens erat, beatam Virginem non eſſe θεοτόκον, id eſt, Deiparam. Hæc cùm Dorotheus & Anaſtaſius, deinde Neſtorius ipſe pro concione dixiſſet ad populum, in multorum offenſionem incurrit, multique huic blaſphemiæ obſtiterunt; ſed in primis Conſtantinopoli Proclus & Euſebius, Alexandriæ Cyrillus, qui & Neſtorium, ut reſipiſceret, admonuit, & Cæleſtinum Papam, ut naſcentem confoderet hæreſim: deinde duodecim anathematiſmos adverſus Neſtorium edidit; totidem Neſtorius illis oppoſitos. I. Neſtorii hæreſis.

Cùm inde major eſſet contentio, nec interim à prædicanda impietate deſiſteret Neſtorius, ſcriptæ ab Imperatore Theodoſio ad Epiſcopos omnes literæ, juſſique ex conſenſu Cæleſtini convenire Epheſum ad diem ſacrum Pentecoſtes, eóque miſſi Comites duo, Candidianus & Irenæus, ne quid tumultûs fieret. Sed cùm uterque Neſtorii ſtudioſus eſſet, II. Epiſcoporum numerus. Qui Præſides.

SYNODI OECUMENICÆ.

Cyrillo infenſi viſi ſunt; quique Catholicæ rei præſidio eſſe debuerant, exitio penè fuerunt. Venerunt Epiſcopi plus minùs ducenti, præter Orientales, quorum princeps Joannes Antiochenus, ne popularem ſuum damnaret, de induſtria, ut tum creditum eſt à multis, in itinere morabatur; Africanis, quòd barbarorum incurſionibus tum infeſta erat Africa, venire haud licuit. Synodo Cæleſtini nomine præfuit Cyrillus, cui adjuncti ſunt Epiſcopi duo, Arcadius & Projectus, & Philippus Preſbyter.

III. Damnatus à Synodo Neſtorius: ab Orientalibus Cyrillus & Memnon

Cœpta igitur Synodus eſt anno CCCCXXXI, Junii 22 die, ac ſeptem actionibus explicata. In prima citatus ſecundò ac tertiò Neſtorius; lectum Nicænum fidei Symbolum, tum Cyrilli ad Neſtorium, tum Neſtorii ad Cyrillum epiſtolæ: ad extremum ex præſcripto Cæleſtini Papæ damnatus eſt Neſtorius, omnique ſacerdotali dignitate privatus: quinto pòſt die Joannes Antiochenus cum ſuis advenit: præſtò illi fuerunt miſſi à Synodo Epiſcopi, quos ille ſuperbè rejecit; tum tumultuariam in diverſorio habuit Synodum: ab ea Synodi legitimæ acta reſciſſa: Cyrillus & Memnon Epheſinus depoſiti: cæteri verò Patres communione prohibiti, donec latam in Neſtorium ſententiam revocarent: Cyrillus præterea Notatus ob capitula duodecim, tanquam Apollinaris & Eunomii erroribus affinis.

IV. Pulſus è ſede Neſtorius: abſoluti Cyrillus & Memnon.

Sub hæc Legati Cæleſtini, Arcadius, Projectus & Philippus veniunt Epheſum, à quibus acta in Neſtorium probata ſunt; tum vocatus ad Synodum Joannes Antiochenus, & Orientales Epiſcopi, qui, quòd non obtemperarent, communione & omni ſacerdotali gradu dejecti; quæque in Cyrillum & Memnonem geſta fuerant, irrita fore decretum eſt. Interea miſſæ ab Orientalibus ad Imperatorem literæ calumniarum plenæ; Catholicorum verò interceptæ fraude Comitum Candidiani & Irenæi: quare deceptus Imperator jubet, ut omnia, quæ ſancita fuerant hactenus, nulla eſſent: tandem per fidum hominem, qui mendici habitu Catholicorum literas detulerat, certior factus, Legatos ad ſe mitti imperat: miſſi ſemel atque iterum ab utraque parte, ac denique annitentibus Monachis & allaborante Pulcheriâ acta

Concilii comprobata ſunt, pulſuſque è ſede Neſtorius primùm in Monaſterium S. Euprepii ad Antiochiam, deinde in Oaſim deportatus: in ejus locum Maximianus ſubleƈtus eſt: Cyrillus & Memnon ſuis in ſedibus manere juſſi: ab ea etiam Synodo proſcripta eſt Cæleſtii hæreſis, & ſex conditi canones. SYNODI OECUMENICÆ.

Synodus Calchedonenſis.

NECDUM excitata à Neſtorio de Chriſto & beata Virgine contentio penitus ſopita erat, cùm Eutyches Preſbyter & Abbas, ſive odio Neſtorianæ hæreſis, ſive perperam intelleƈtis Cyrilli vocibus, in errorem cum Neſtorio ex adverſo pugnantem incidit, quo docebat duas quidem in Chriſto ante adunationem fuiſſe naturas, poſtea verò unicam, ſive humana in divinam, ſive divina in humanam murata ſit, ſive ex utraque tertia quædam extiterit. Quid enim ſibi vellet, nec alii, nec ipſe fortè novit, ut à multis creditum eſt; adeo inepta fuit & ſtolida illius hæreſis. Hæc inter familiares dum ſæpe agitaret domi, ab Euſebio Dorylæi Epiſcopo pro mutua inter ipſos amicitia, ne talia loqueretur, primùm monitus; tum quòd non abſiſteret, judicio poſtulatus apud Flavianum Epiſcopum, à cujus Synodo hæreſim ſuam cùm eſſet coràm profeſſus, damnatus eſt, & omni honore ſacerdotali privatus. I. Eutychetis hæreſis.

Operâ Chryſaphii, cujus ſumma tum erat apud Imperatorem gratia, quémque Euthyches è baptiſmo ſuſceperat, juſſu Imperatoris Synodus indicitur Epheſi: acciti literis undique Epiſcopi, quibus Dioſcorus Alexandrinus præſidere juſſus eſt. In ea Synodo præter fas juſque geſta ſunt omnia: negleƈtæ Leonis Summi Pontificis literæ: vexati ipſius Legati: Ibas, Theodoretus, Domnus etiam Antiochenus pulſi ſedibus: Euſebius Dorilæi Eutychetis accuſator ne admiſſus quidem, abſolutus Eutyches: Flavianus primùm, ut reus, adeſſe coaƈtus; deinde quòd Eutychem damnaſſet, damnatus & ipſe: denique, dum Romanum appellat Antiſtitem, ſive à Dioſcoro, ſive juſſu Barſumæ, (Syrus erat Archimandrita) & pugnis & calcibus appetitus, triduo pòſt interiit. Ut de his Romam allatum eſt, Leo Pontifex II. Latrocinium Epheſinum.

SYNODI OECUMENICÆ. reprobat hanc Synodum, ejuſque acta reſcindit, contra quem etiam auſu temerario Dioſcorus paulò pòſt apud Alexandriam excommunicationis tulit ſententiam.

II. Synodus Calchedonenſis.

Secundùm hæc Theodoſius moritur: Marcianus, cui Pulcheria nupſerat, precibus Leonis Romani Præſulis permotus, Synodum Calchedonenſem haberi permittit anno CCCCLI. Adfuerunt Epiſcopi DCXXX, ſi Liberato credimus; DXX, ſi epiſtolæ ſynodicæ. Legati eò miſſi ſunt à Leone Paſchaſinus Lilybetanus, Lucentius Aſculanus Epiſcopi, Bonifacius & Baſilius Preſbyteri. Adfuerunt & Imperator, & Pulcheria, & Senatores plurimi: ſeſſiones duodecim numerat Liberatus, actiones verò ſexdecim, quòd in eadem ſeſſione plures interdum actiones haberentur. Dioſcorus judicis locum obtinere prohibitus; ſed ut reus ſtare juſſus eſt: deinde dignitate & gradu dejectus, Gangram Paphlagoniæ amandatus eſt; Theodoretus & Ibas admiſſi: hic ob ſenium; ille, quòd jam Leonis ſuffragio ſedem receperat. Admiſſi etiam in priſtinum ordinem & Juvenalis Hieroſolymitanus, & Thalaſſius Cæſarienſis, cæterique, qui Epheſino Latrocinio interfuerant. De Eutyche, quòd jam à Flaviano damnatus erat, nihil ſtatuit Synodus.

IV. Illius decreta & canones.

Duabus de cauſis collecta Synodus erat: altera fuit, ut Epheſinæ Latrocinalis acta reſcinderet; altera, ut certa fidei formula ſcriberetur: utrumque rite præſtitit. In condendo tamen fidei decreto orta eſt Legatos inter & Orientales Epiſcopos contentio propter has S. Leonis voces: *In duabus naturis immutabiliter, inconfuſè, indiviſè;* ſed tandem recitata palam fidei formula eſt, & omnium ſubſcriptione firmata. Poſt actionem decimam quintam Anatolius Epiſcopos Aſianos & Orientales convocat: ab iis ſanciti XXVIII canones, quorum poſtremo eadem propè Epiſcopo Conſtantinopolitano, quæ Romano, jura conceſſa; ſecunduſque ab eo locus, & tres diœceſes, Aſiana, Thracica & Pontica, illi permiſſæ: quod ubi audierunt Legati, actionem decimam ſextam haberi jubent, Nicæna decreta ab iis violata queruntur, eoſque canones reprobant. Ita ſoluta eſt Synodus, cujus fidei profeſſio à S. Leone probata eſt, canon 28 repudiatus, cæteri nec admiſſi, nec rejecti; deinde tamen, quia utiles erant, ab Eccleſia uſu recepti. *Synodus*

Synodus quinta ſive Conſtantinopolitana ſecunda.

CELEBRIS illa de tribus Capitulis controverſia in quinta Synodo definita eſt, quæ cujuſmodi fuerit, ut quivis intelligat, operæ pretium eſt, quinque explicare paucis. 1. Unde orta illa quæſtio. 2. Quid vocemus potiſſimùm tria Capitula. 3. Quibus artibus inductus ſit Vigilius ad ea damnanda. 4. Quid de his ſtatuerit Synodus. 5. Decretum Synodi Vigiliúſne probaverit, an ſecus. I. Cur coacta Synodus.

Dum Pelagius Agapeti Pontificis nomine in urbe regia Apocriſiarii munere fungeretur, è Palæſtina veniunt Monachi, illumque rogant, ut ab Imperatore Juſtiniano pro ea, quâ pollebat apud ipſum, autoritate, damnationem Origenis obtineret. Conſenſit Imperator, & damnationi Origenis ſubſcripſerunt Mennas Patriarcha & Pelagius anno DXXXVII: quæ res Theodorum Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopum vehementer pupugit. Is Origenis ſtudioſus erat, & Acephalorum patronus: quare ut Mennæ & Pelagio ægrè faceret, nomine verò ut Acephalos conciliaret Catholicis, Imperatori autor eſt, ut tria Capitula, quæ in Synodo Calchedonenſi probata fuerant, damnarentur. Quæ verò fuerint hæc Capitula, paucis accipe. II. Unde orta quæſtio de tribus Capitulis.

Ubi Epheſi damnatus eſt Neſtorius, ab ejus fautoribus vulgati ſunt libri Theodori Mopſueſteni, quibus ita naturas in Chriſto diſtinguebat, ut Neſtorianæ hæreſi affinis videretur. Erant enim multa impiè & hæreticè ab eo edita: inde inter Monachos Armenos & Joannem Antiochenum, alioſque orta contentio; dum illi Theodori ſcripta oppugnant, alii tueri conantur. Ad hæc acceſſit Ibæ Edeſſeni ad Marim Perſam epiſtola, quâ Cyrillum perinde ac Neſtorium reprehendit, Theodorum ſummis ornat laudibus, & in Rabulam, cui ipſe ſucceſſerat, invehitur, quòd Theodoro publicè dixiſſet anathema. Ob hæc judicio poſtulatus Ibas, ab Epheſino Latrocinio depoſitus eſt; deinde in Berytenſi Synodo abſolutus, tum receptus in Calchedonenſi, poſtquam dixit anathema Neſtorio, lectaque in Synodo ejus epiſtola eatenus approbata eſt, quatenus nullum dogma à Catholica fide alie- III. Tria Capitula. V.

SYNODI OECUMENICÆ. num contineret. Duo erant, cur Theodoretus Neſtorio faviſſe crederetur: alterum, quòd in Concilio Epheſino Joanni Antiocheno adhæſerat; alterum, quòd flagrante Joannis & Cyrilli ſimultate, contra Cyrilli Anathematiſmos ſcripſerat. Quare à Dioſcoro è ſede pulſus eſt, à Leone paulò pòſt reſtitutus, & itidem, ut Ibas, receptus à Calchedonenſi Synodo. Tria igitur Capitula hæc ſunt: Theodori Mopſueſteni perſona; ad Marim Perſam epiſtola Ibæ, & Theodoreti contra Cyrilli Anathematiſmos commentarii.

IV. Illa damnat primū Vigilius. A Theodoro Cæſareenſi deceptus Imperator, ſpe pacis & concordiæ, & ad talia tentanda præceps, reſcriptum edidit anno DXLVI, quo tria hæc proſcribit Capitula, & à quatuor Patriarchis conſenſum exprimit. Cui tamen edicto ut ſua conſtaret autoritas, Vigilium Papam Româ accivit Conſtantinopolim, vimque adhibuit omnem, ut trium Capitulorum damnationem extorqueret: ſed nihil promovit, donec Vigilius anno DXLVIII habita Synodo LXXX Epiſcoporum edictum fecit, cui *Iudicatum* nomen eſt, quo tria damnat Capitula, *ſalvâ Synodi Calchedonenſis reverentiâ:* unde major quàm antè contentio extitit. Epiſcopi enim Dalmatæ, Afri, & duo Vigilii Diaconi *Iudicatum*, & verbis, & ſcriptis oppugnant, quaſi Synodo Calchedonenſi contrarium: alia parte Imperator inſtat apud Vigilium, ut tria proſcribat Capitula, abſque ulla Concilii Calchedonenſis mentione. Abnuit Vigilius, Conciliumque univerſale poſtulat, ſuumque *Iudicatum* reddi ſibi jubet, & Epiſcoporum chirographa, quibus damnata erant tria Capitula, ut de integro cauſæ totius diſceptatio fieret.

V. Deinde Imperator. Interim miſſi ab Imperatore Mopſueſtiam Legati, qui quæ de Theodori doctrina, pietate, fide opinio eſſet, inquirerent. Ut verò audivit Theodorum ex Epiſcoporum albo eraſum fuiſſe, & pro eo poſitum Cyrilli nomen; continuò contra datam Vigilio fidem anno DLI edictum proponit adverſus tria Capitula: reclamat Vigilius, ſibique ab Imperatore metuens primùm in S. Petri Baſilicam ſe recipit, unde abſtractus à militibus, fugit Calchedonem in S. Euphemiæ ædes: miſſi viri principes qui eum reducerent: rediturum ſe negavit, niſi edicta tollerentur; indeque in Mennam, Theo-

dorum, alioſque, qui Imperatori conſentiebant, ſententiam protulit: victus tandem Vigilii conſtantiâ Juſtinianus, edicta ſuſtulit: Mennas, Theodorus & alii, oblatis pœnitentiæ libellis à Vigilio in gratiam recepti, ipſeque in urbem rediit, ubi ut aliàs ſæpe, enituit Romanæ Sedis autoritas: dum Epiſcopi in Græcia principes, Patriarcha, Imperator ipſe vel Conſtantinopoli à fugitivo & captivo Romano Pontifice veniam petere coacti ſunt. SYNODI OECUMENICÆ.

Anno DLIII quinta Synodus Conſtantinopoli haberi cœpta eſt ab Epiſcopis CLX. Huic Vigilius intereſſe noluit, cauſatus Epiſcoporum Occidentalium paucitatem, cùm frequentes adeſſent Orientales: deinde edidit *Conſtitutum*, in quo quid de tribus ſentiret Capitulis, expoſuit; damnatiſque ſexaginta capitibus, quæ ex Theodori Mopſueſteni ſcriptis excerpſerat, adverſus Theodorum ipſum, Theodoreti ſcripta, & epiſtolam Ibæ quidquam decerni vetat, cui decreto ſubſcripſerunt, & Africani, & Illyriciani Epiſcopi. Interea Synodus collationibus octo abſolvitur à Græcis: ab ea ſine ulla Concilii Calchedonenſis mentione proſcripta ſunt tria Capitula. Præterea Origenes, Didymus, Evagrius anathemati ſubjecti. Vigilius, quòd Synodo aſſentiri nollet, primùm in carcerem, tum in exilium conjectus eſt; vexatique Afri & Illyriciani Epiſcopi, qui in defenſione trium Capitulorum hæſerunt pertinaciùs: Narſetis tandem precibus, ut fertur, qui bellum in Italia contra Gothos feliciter geſſerat, dimiſſus eſt Vigilius, qui dum Romam redit, in Sicilia calculi morbo extinguitur. VI. Tum Synodus quinta.

Synodo Vigilium ſubſcripſiſſe à Græcis memoriæ proditum eſt; multumque ſuper hac re ab eruditis viris diſputatum. Inter Petrum de Marca & Garnerium noſtrum non convenit: ille edictum ſub Vigilii nomine edidit, quo quintam ille approbat Synodum; Vigilii eſſe negat Garnerius: uter vicerit, viderint alii. Si tamen Vigilii eſt, mirum ſanè videri debet, nec Pelagium Pontificem, nec Gregorium Magnum illius ſubſcriptionis uſquam meminiſſe. Huic tandem Synodo robur & autoritas à Romanis Pontificibus data, quòd in ea nihil contra Calchedonenſis decreta ſancitum eſſet; ſed de perſonis tantùm diſputatum, nec eum tamen VII. Denique cæteri Romani Pontifices.

SYNODI OECUMENICÆ. quem ex illa Synodo ſperabat, fructum Imperator conſecutus eſt: major enim, quàm antea, fuit Acephalos inter & Catholicos diſſenſio, cui acceſſit Iſtrianum ſchiſma ſeptuaginta annorum; quod tandem anno DCXXVI Romanorum Antiſtitum vigilantiâ ſub Honorio extinctum eſt.

Synodus ſexta, ſive Conſtantinopolitana tertia.

I. Unde ortus Monothelitarum error. LEVI ex re Monothelitarum hæreſi datum initium eſt. Victor de Perſis Heraclius Hierapolim Syriæ forte venerat, cùm ibi illum convenit Athanaſius Jacobitarum Patriarcha, cui Heraclius Antiochenam ſedem pollicetur, ſi Calchedonenſe Concilium recipiat: tum ab eo quærit aſturè Athanaſius, duplicémne in Chriſto, tum voluntatem, tum actionem credere oporteat, an unicam. Hæſit Imperator, & quid ſuper hac re ſentiendum eſſet, Sergium Conſtantinopolitanum, qui aberat, literis conſulit; deinde Cyrum Phaſidis Epiſcopum. Ab iis inductus in fraudem, unicam voluntatem profiteri inſtituit; ipſeque Cyrus paulò pòſt Patriarchatum Alexandrinum adeptus, ut Acephalos ad ſuam communionem reduceret, novem propoſuit Capitula, quorum ſeptimo unam in Chriſto theandricam operationem aſſeruit.

II. Propugnatus primùm ab Heraclio. Sophronius vir peræquè doctus & ſanctus, apud Cyrum inſtitit, ne unam operationem decerneret: ſed cùm fruſtra eſſet, ad Sergium advolat, rem omnem edocet; inter illos convenit, ne major inde tumultus fieret, ut nec una, nec duæ, ſive voluntates, ſive operationes nominarentur. Sub hæc Sergius Honorio Pontifici, quæ à Cyro & Sophronio, & geſta fuerant, & ſcripta, expoſuit; ſibique conſultius videri, ſi nec duæ, nec una voluntas diceretur. Retinendæ concordiæ gratiâ Sergio aſſenſus eſt Honorius, alioqui non duas eſſe voluntates profeſſus contrarias inter ſe, ſed unam tantùm. Moritur paulò pòſt Honorius, illique ſufficitur Severinus, ſub quo Heraclius anno DCXXXIX *Ecthesim* promulgat, quâ unicam, quaſi aliud agendo, voluntatem & operationem adſtruit: ſed conſtituit palam, ne quis unam aut duas voluntates aſſerat. A Joanne IV, qui Severinum

exceperat, repudiatur Ecthesis: quare Heraclius omne illud dedecus in Sergium, quaſi illius autorem, rejicit. SYNODI OECUMENICÆ. III.

Heraclio Conſtantinus, huic Heracleonas, quo pulſo, Conſtans Conſtantini filius ſucceſſit; Joanni IV Theodorus; Pyrrho, qui Conſtantinopoli ejectus eſt, Paulus; tum Conſtans *Typum* edidit, quo prohibuit, ne quis, ſive unam, ſive duas voluntates uſurparet. Profugus interim in Africa Pyrrhus à Maximo Monacho convictus, Catholicæ fidei Romæ ſubſcribit: ſed paulò pòſt ab Olympio ad profitendam hæreſim adductus à Theodoro notatur anathemate. Anno DCXLIX Martinus Pontifex Theodori ſucceſſor Romæ Synodum CV Epiſcoporum celebrat, in qua Heraclii damnat Ecthesim, & Typum Conſtantis, prætetea Sergium, Pyrrhum, Cyrum, Paulum, & Theodorum Pharanitam: quibus commotus Imperator, Martinum per Theodorum Calliopam vi abductum anno DCLV mittit in Cherſonam, ubi haud multò pòſt moritur, & ipſe Imperator Syracuſis tribus annis pòſt, anno DCLVIII. Deinde à Conſtante.

IV. Epiſcoporum in Synodo numerus & Præſides. Conſtantem Conſtantinus Pogonatus excepit veritatis Catholicæ propugnator acerrimus. Is ubi Imperii tranquillitatem conſtituit, Synodum ex conſenſu Agathonis Papæ anno DCLXXX haberi jubet in ſecreto palatii, cui *Trullus* nomen erat: Agatho priùs Romam evocat CXX Epiſcopos, à quibus, quæ ad Chriſti voluntatem vel unicam, vel duas pertinent, diſcuſſa ſunt diligenter: tum miſſi Conſtantinopolim Legati octo, quatuor nomine Pontificis, Theodorus & Gregorius Preſbyteri, Joannes Diaconus, & Conſtantius Hypodiaconus; nomine Concilii totidem, Epiſcopi omnes. Quot Epiſcopi ad œcumenicam Synodum convenerint, non liquet: Nilus CLXX numerat, Balſamon CLXXI, Cedrenus & Theophanes CCLXXXIX: ſubſcripſerunt tantùm CLXVI. Adfuit ſemper Imperator, Synoduſque omnis ſeptemdecim ſeſſionibus continetur.

V. Damnatur hæreſis. Primùm quidem quinque priores Synodi œcumenicæ omnium ſuffragio comprobatæ: deinde qui docuerant unicam in Chriſto voluntatem eſſe, pro hæreticis damnati, & appellati ſectæ totius principes Theodorus Pharanita, Cyrus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Honorius etiam Papa: ſive Theo-

SYNODI OECUMENICÆ. dori Epiſcopi fraude id factum ſit, ut Baronio viſum eſt, qui deleto ſuo nomine Honorii nomen appoſuerit; ſive, quod ſimilius vero videtur, damnatus quidem fuerit Honorius: non eo tamen nomine, quaſi, aut docuerit, aut profeſſus ipſe fuerit hæreſim; ſed quòd, ut ſcribit ad Epiſcopos Hiſpaniæ Leo II, *flammam hæretici dogmatis, non, ut decuit Apoſtolicam autoritatem, incipientem extinxit, ſed negligentiâ confovit.* Nec enim alio nomine damnari potuit Honorius, qui nihil in ſuis ad Sergium literis ſcripſerit, niſi veritati Catholicæ conſonum. Aderant etiam in Synodo pravi illius dogmatis aſſertores Macarius Antiochenus Patriarcha, Stephanus Abbas, & Polychronius Monachus: ii etiam itidem ut alii damnati ſunt à Synodo: Macarius præterea epiſcopali dignitate mulctatus: nulli conditi canones: miſſa Romam Concilii acta à Leone II approbata vim Concilii generalis habuerunt.

Synodus ſeptima, ſive Nicæna ſecunda.

I. Iconoclaſtarum error. OBSCURO, ut fertur, loco natus in Iſauria Leo Imperator, à patria cognomento Iſauricus, primus apertè bellum indixit ſacris imaginibus, & Chriſti, beatæ Virginis, & Sanctorum effigies, quod Judæis impoſtoribus receperat, anno DCCXXVI abolere inſtituit; dejectâque Salvatoris, quæ ſupra portam æneam erat, imagine, edictum anno DCCXXX de tollendis imaginibus propoſuit, cui fruſtra conatus intercedere Germanus Patriarcha Epiſcopatu ſe abdicat. Gregorius verò II Summus Pontifex cùm Leonem ab hac impietate deterrere haud valeret, illum eademque contactos hæreſi perculit anathemate. Leoni ſucceſſit anno DCCXLI Conſtantinus Copronymus, patre deterior, à quo & in cultores imaginum dirè ſævitum eſt; & anno DCCLIV habita Synodus CCCXXXVIII Epiſcoporum, à quibus ſacrarum imaginum cultus proſcriptus eſt.

II. Synodus cœpta Cõſtantinopoli. Hunc excepit Leo paternæ impietatis heres anno DCCLXXV, qui moriens anno DCCLXXX filium reliquit Conſtantinum, ſub quo, cùm Irenes matris pietate, tum Stauratii Patricii prudentiâ, imaginum cultus revocatus eſt. Multùm etiam

contulit Taraſii conſtantia, qui è laïco electus Patriarcha negavit ſe acceptururum eam dignitatem, niſi Synodus generalis haberetur. Conſenſit Imperator, miſſique ab Hadriano Papa Legati duo, qui Synodo præſiderent; utrique *Petrus* nomen erat: alter fuit Archipreſbyter, alter Abbas ſancti Sabæ: ii ſummo cum honore Conſtantinopoli excepti ſunt, quò tum Epiſcopi CCCL convenerant, & Patriarcharum Vicarii. Ibi Synodus anno DCCLXXXVI celebrari cœpta eſt; ſed ab Hæreticis conflata militari ſeditione, nihil ultrà perfici potuit. SYNODI OECUMENICÆ.

III. Tranſlata Nicæam proſcribit hæreſim.

Ne quid tumultûs iterum fieret, Nicæam Bithyniæ tranſlati Patres numero plus minùs CC, ab iis anno DCCLXXXVIII habita Synodus Nicæna ſecunda generalis, ordine ſeptima, quæ ſeptem etiam ſeſſiones habuit. Sancitum in ea eſt ſacras imagines cultu & adoratione dignandas eſſe, damnatique ſunt, qui eas aut reſpuere auderent, aut frangere: quibus *Iconoclaſtæ* nomen inditum eſt, dictumque anathema in *Anaſtaſium*, *Conſtantinum* & *Nicetam* pſeudo-Patriarchas: deinde ſtatuti canones 22: denique Taraſius, penes quem poſt Legatos ſumma rerum erat, quod geſtum fuerat in Synodo, perſcripſit Adriano Papæ, qui Synodi decreta rata eſſe juſſit. De cultu tamen imaginum haud multò pòſt in Galliis acriter diſceptatum eſt: at non eſt noſtri inſtituti de his diſſerere pluribus; unum monuiſſe ſatis erit, Romanorum Antiſtitum prudentiâ, & Gallis Epiſcopis ademptum ſenſim fuiſſe de imaginibus ſcrupulum, & eam Synodum, ut in Oriente & Italia, ita in Hiſpania, Gallia, univerſoque Occidente uſu receptam.

Synodus octava, ſive Conſtantinopolitana quarta.

I. Photius intruſus & ejectus.

IGNATIUS Michaëlis Curopalatæ filius poſt Methodium anno DCCCXLVII Patriarchatum Conſtantinopolitanum adeptus erat, cùm aliquot annis pòſt à Barda Cæſare, quem ob ſcelus admiſſum à communione repulerat, ſede dejicitur; & in ejus locum ſuffectus eſt Photius homo laïcus, ſed genere nobilis, ingenio & eruditione clariſſimus. Is coacta Synodo, & in Ignatium, & in Nicolaum Papam,

SYNODI OECUMENICÆ. à quo jam damnatus ipſe fuerat, ferre ſententiam non erubuit: occiſo Barda Cæſare, & ſublato paulò pòſt Michaële Imperatore, Baſilius Macedo anno DCCCLXXVI rerum ſolus potitur: ab eo pellitur Photius, Ignatius revocatur, qui ſummo cum honore ab univerſa civitate exceptus eſt.

II. Damnatur à Synodo. Ignatii cauſâ, ut quæ in ipſum Photius decreverat, eſſent irrita, habita eſt Conſtantinopoli generalis Synodus anno DCCCLXIX, ordine octava: miſit Adrianus II, qui nomine ſuo præeſſent Synodo, Donatum & Stephanum Epiſcopos, & Marinum Diaconum. Aderant Epiſcopi CII: ab iis rejecti Epiſcopi omnes, qui à Photio fuerant ordinati; qui verò, ſive à Methodio, ſive ab Ignatio, Photio tamen adhæſerant, in gratiam recepti: adductus coràm ipſe Photius, peccatum à ſe quidquam ſilentio negavit: nihil enim ab eo exprimi aliud potuit, quàm Davidicum illud: *Poſui ori meo cuſtodiam*; tum: *Neque Jeſus tacendo evaſit damnationem*; denique: *Juſtificationes meæ non ſunt de hoc mundo.* Quare ut jam ſemel ab Nicolao, & iterum ab Adriano II, ita tertiùm à Synodo univerſa anathemate percuſſus eſt: ſanciti ab ea Synodo canones; Græci 14 numerant, Anaſtaſius 27. Nullus tamen huic Synodo locus eſt apud Græcos recentiores, qui nomine octavæ Synodi pſeudo-Synodum à Photio poſt obitum Ignatii collectam intelligunt. Is enim mortuo Ignatio à Baſilio Imperatore Santabareni Monachi præſtigiis illuſo revocatus eſt: ſed eum Leo Sapiens paulò pòſt è ſede iterum depulit.

Synodus Lateranenſis I.

I. Diſſidium ortum inter Gregorium VII & Henricum III. HENRICUS III Imperator, quòd præter jus faſque Epiſcopos & Abbates, partim pretio, partim privata autoritate conſtitueret, opima cœnobiorum ædiumque ſacrarum prædia aſſeclis ſuis largiretur, decimas à Sacerdotibus exigeret; Romam ab Alexandro II citatus ad cauſam dicendam non paruit. Igitur à Gregorio VII, quicum præcipuum illi certamen fuit, piorum cœtu prohibitus eſt: inde varii tum in Germania, tum in Italia populorum motus, dum alii Imperatoris, Pontificis alii partes tuentur. Ad

meliorem frugem ubi rediit Henricus, à Gregorio abſolutus eſt; ſed ad priſtinos mores ſubinde reverſus, iterum perculſus eſt anathemate: unde graviora, quàm antè, diſſidia extiterunt. Urbs Leonina ab Henrico occupata, Clemens Antipapa in Petri ſede conſtitutus, urbſque ipſa capta eſt: ſed advolantis Roberti Viſcardi famâ Henricus conjectus in fugam eſt, deductuſque à Roberto Salernum Gregorius; ibi obiit. Eum excepit Victor III, Victorem Urbanus II, à quo Henricus ignominiâ tertiò notatus eſt, victuſque tandem prælio, Germanis ludibrio fuit, & mœrore abſumptus cum dedecore moritur. SYNODI OECUMENICÆ.

II. Propagatū ſub Henrico V.

Henricus IV vel V, aliter enim ab aliis dicitur, paternorum ſcelerum, quorum ultor fuerat, æmulator extitit. Romam ut advenit, Paſchali II injicit manum, & per vim Imperii titulum, juſque deferendi Epiſcopatus, aliaque eccleſiaſtica munera extorſit anno MCXI. Igitur ubi ille diſceſſit, Pontifex ipſe, tum cæteri Patres hæc omnia per vim expreſſa irrita fore decreverunt: quòd cùm ægrè eſſet Henrico, Burdinum fugitivum ex Hiſpania hominem, Gelaſio rite electo anno MCXVIII obtrudit: diris ob hæc Calixti Papæ ſententiâ devotus, ſive conſcientiæ ſtimulis territus, ſive paternæ calamitatis exemplo, ad officium rediit, reſciſſis omnibus, quæ per vim expreſſerat.

III. Extinctum à Synodo Lateraneſi.

Pacis itaque revocandæ ſtudio Synodus generalis à Calixto convocata eſt, habitaque anno MCXXII in Lateranenſi palatio, quo CCC & ampliùs, ut autor eſt Sugerius, convenerunt Epiſcopi. De reſtituenda veteri diſciplina conditi canones 17: remiſſio peccatorum conceſſa iis, qui Chriſtianis adverſus Saracenos irent auxilio: miſſique in Germaniam Legati, quorum induſtria ita cum Imperatore convenit, ut jus Epiſcopatus & Abbatias dandi per baculum & annulum, de quo tandiu pugnatum erat, remitteret; libera eſſet Præſulum & electio & conſecratio; bonaque ſive Monachis, ſive Clericis ablata reſtituerentur, datumque Imperatori, ut quemquam in Præſulem eligi in Germania abſque illius conſenſu nefas eſſet: deinde ut regalia tum regni Germanici, tum Imperii totius per ſceptrum concederet.

SYNODI OECUMENICÆ.

Synodus Lateranenſis I I.

I. Schiſma Petri Leonis.

CUM multa, tum duo potiſſimùm moverunt Innocentium I I, ut hanc Synodum indiceret: conflatum à Petro Leonis ſchiſma, & Petri de Bruis, Arnaldique Brixienſis errores. Poſt obitum Honorii I I Gregorius à majori Cardinalium parte ſublectus erat, cùm ab aliis eligitur Petrus Leonis filius, nobilitate atque opibus pollens: illi Innocentio I I; huic Anacleto nomen factum. Fovebat Anacleti partes unus Rogerius Siciliæ Comes, qui Siciliæ Rex, Duxque Apuliæ & Calabriæ ab Anacleto appellatus eſt: Innocentio orbis Chriſtiani pars maxima parebat operâ ſancti Bernardi, Ludovicus Galliæ, Henricus Angliæ, & Lotharius Germaniæ Reges. Lotharius robuſto ſtipatus exercitu anno MCXXXIII Romam petit, urbeque recepta Innocentium in ſedem Lateranenſem reſtituit: ipſe Imperii diademate & titulo inſignitur.

II. Petri de Bruis & Arnaldi errores.

Petrus de Bruis jam multos tum in Arelatenſi provincia, tum in Novempopulania, ſua infecerat hæreſi, cùm admiſſa ſcelera ipſe in oppido Sancti Ægidii igne luit: errorum verò hæc ferè ſumma fuit. Baptiſmum nihil prodeſſe parvulis; templa & baſilicas diruendas; cruces nec cultu nec veneratione dignandas, ſed odio & execratione; Euchariſtiæ ſacrificium figmentum merum eſſe; oblationes, ſacrificia, preces, mortuis nihil opis afferre. Arnaldus de Brixia, Abailardi, ut fertur, diſcipulus, hæc ſolebat palam effutire: Clericis, qui fundi cujuſpiam, ut vocant, dominium; Epiſcopis, qui regalia; Monachis, qui poſſeſſiones, ut loquuntur, retinerent, nihil ſpei ad ſalutem eſſe reliquum, cùm ad Principum jura hæc pertineant: nec rectè de Euchariſtia & de Baptiſmo ſenſiſſe creditur.

III. Proſcripti à Synodo.

His malis, ut quoad poſſet, mederetur Innocentius I I, Romæ celebrare Synodum conſtituit anno MCXXXIX. Adfuerunt Epiſcopi, quod vix quiſquam ſibi perſuadeat, circiter mille, ut autor eſt Otho Friſingenſis: ab iis damnati ſunt Schiſmatici, & inprimis Rogerius Comes Siciliæ: reſciſſa omnia Petri Leonis acta: proſcripti tum Petri de Bruis,

O

tum Arnaldi errores; ipſeque Arnaldus ejectus Italiâ; ſan- citique ad diſciplinam reſtituendam canones vel 26, vel 30, aliter enim ab aliis numerantur. SYNODI OECUMENICÆ.

Synodus Lateranenſis III.

I. Diſſidium inter Alexandrum III & Fridericum.

MORTUO Adriano IV anno MCLX, Rolandus Cardinalis jam omnium penè ſuffragiis electus erat Pontifex, cùm ecce à Joanne & Guidone Octavianus ex nobili Tuſculanorum Comitum ſtemmate illi obducitur: huic Victoris nomen datum, Rolando Alexandri III. Fridericus OEnobarbus adverſus Alexandrum, cui jam tum Cardinali infenſus erat, in Papienſi Conciliabulo Victorem tuetur, & Alexandro Pontificatum abrogat: is fugit in Galliam: venienti Reges Galliæ & Angliæ præſtò fuerunt: inde atrox per totam Italiam orta diſſenſio: Gibellinorum Guelphorumque ex veteri Germaniæ diſcordia repetita nomina, univerſæ Italiæ penè excidio fuerunt: ſubinde multæ urbes deficiunt à Friderico: Alexander Romanam ditionem recipit, victuſque ab Italis Imperator facit Venetiis cum Alexandro pacem: inde anno MCLXXVII priſtinum decus Italiæ redditum eſt. Eò accedebant & Patarenorum ſive Albienſium in Gallia hæreſis, & furor Brabantionum, Aragoniorum, Navarrorum, Baſculorum, &c. qui ſumma crudelitate, haud aliter ac pagani, in Chriſtianos graſſabantur.

II. A Synodo damnati Hæretici. Acta pſeudo-Pontificum reſciſſa.

E publica re fore viſum eſt Alexandro, ſi Synodus haberetur: vocati non ex Occidente ſolùm, ſed ex Oriente etiam Latini Epiſcopi anno MCLXXIX; numerat Epiſcopos CCC, qui aderat, Guillelmus Tyrius: invitati etiam Græci, miſſuſque ab Imperatore Georgius Corcyræ Metropolita, qui cùm Brundiſii in morbum incidiſſet, miſit ſuo nomine Abbatem Nectarium, quicum in Concilio multùm diſputatum eſt; ſed profectum nihil. Ne quod deinde ſchiſma oriretur, ſancitum eſt, ut Pontifex ratus non eſſet, niſi minimùm duas tertias ſuffragiorum partes tuliſſet: repudiatæ ordinationes factæ à tribus pſeudo-Pontificibus, Octaviano, Guidone & Joanne, damnatique Hæretici in Vaſconia Patareni, iiſdemque ſubjecti pœnis Brabantiones, Aragonii, Navarri, Baſcu-

SYNODI OECUMENICÆ. li, &c. recepti verò in gratiam, qui Friderico adhæſerant, Epiſcopi; denique ſtatuti 17 canones.

Synodus Lateranenſis IV.

I. Syria de Saracenis recepta.

POSTQUAM Urbanus II in Concilio Claromontano Chriſtianis Principibus autor fuit belli Saracenis inferendi, crucem, militiæ inſigne ſumpſerunt multi, Hugo Regis frater, Gotefridus Dux Bullionius, unà cum fratribus, Robertus Dux Normanniæ, Boëmundus, Tancredus Normanni, aliique rebus in bello geſtis inclyti. Horum fortitudine primùm Antiochia de Saracenis capta eſt, deinde belli caput Hieroſolyma. Regia poteſtas nomenque regium Gotefrido omnium conſenſu ultro delatum eſt: regnum ipſe quoad vixit, magna virtute; alii deinceps, qui illum exceperunt, Reges, adverſus Saracenos quoquo modo tutati ſunt, donec Saladinus Chriſtiani nominis terror, Guidone Rege capto, urbem etiam recepit.

II. In Synodo Epiſcoporum numerus.

Igitur Innocentius III, vir & doctrinâ & pietate ſingulari, ut Principes Chriſtianos ad bellum Saracenis inferendum hortaretur anno MCCXV generale Concilium Romæ habuit. Illorum qui adfuerunt, numerus nuſquam major: Abbates & Priores, ut vocant, plus minus DCCC: Epiſcopi CCCCXII, è quibus præſtabant Patriarchæ duo, Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus; aliorumque Legati, tum Primates & Metropolitani; LXXI Præſules ſive Epiſcopi, ſive ſecus, MCCXV, vel eo plures. Aderant etiam Legati Imperatoris utriuſque, Orientis & Occidentis, Regum Galliæ, Angliæ, Siciliæ, Hungariæ, Hieroſolymæ, Cypri, Aragoniæ, & aliorum, quos appellare longum ſit.

III. Decreta Synodi.

Multa hac in Synodo, quæ & ad fidem & ad diſciplinam pertinent, conſtituta: cùm multi errores damnati ſunt, tum præcipuè proſcriptum impium Almarici dogma; proſcriptus itidem Joachimi Abbatis liber, quem de unitate ſanctiſſimæ Trinitatis adverſus Petrum Lombardum ediderat: *Tranſubſtantiationis* vocabulo, quo priùs uſi fuerant, & Petrus Bleſenſis & Stephanus Æduenſis, Catholicum de Euchariſtiæ dogma firmatum eſt: multa de Hæreticis & coërcendis, &

puniendis ſancita : conceſſa privilegia pro bello contra Saracenos ſuſcipiendo ; paxque per quadriennium Chriſtianis Principibus imperata : Patriarchis, qui Latini tum omnes erant, ſuus cuique præſcriptus locus eſt : primas tulit, ut par erat, Romana Sedes, ſecundas Conſtantinopolitana, tertias Alexandrina, tum Antiochena, denique Hieroſolymitana : ditio Comitis Toloſani Simoni Montfortio permiſſa : initum denique de inſtituendo Dominicanorum Ordine conſilium eſt. SYNODI OECUMENICÆ.

Synodus Lugdunenſis I.

FRIDERICUS II, qui Friderici OEnobarbi nepos, & Henrici filius erat, à Romanis Pontificibus piorum congreſſu ſacriſque bis prohibitus eſt, ſemel ab Honorio III, quòd in ditionem pontificiam impetum feciſſet ; iterum à Gregorio IX, quòd ex pacto & jurejurando in Palæſtinam proficiſci cunctaretur : eò tamen aliquantò pòſt navigavit ; ſed turpi cum Sultano pactione, ut tum ferebatur, Chriſtianam rem prodidit : inde reverſus in Germaniam, cùm nihil de odio in Romanam Sedem remitteret, & inſidias domi foriſque ſtrueret Pontifici, Innocentius IV fugit in Galliam : ibi Epiſcopos ad Synodum Lugdunum evocat. Multæ enim & graves, cur haberetur Synodus, cauſæ ſuberant : Friderici Imperatoris pervicacia ; Imperio Conſtantinopolitano imminens, cùm à Barbaris, tum à Græcis excidium ; illata multis, & in Aſia, & in Europa provinciis à Tartaris vaſtitas ; collapſa Eccleſiæ diſciplina, morumque perverſitas. I. Adverſus Fridericum II vocata Synodus.

Adfuerunt Concilio Epiſcopi CXL, Cardinales multi, duo Patriarchæ, Conſtantinopolitanus & Antiochenus ; illi data dextera, huic ſiniſtra : inter eos medius conſedit Pontifex ; adfuit etiam Græcus Imperator : vocatus ad cauſam dicendam Fridericus ire renuit ; miſit tamen, qui objecta ſibi purgarent crimina : illius cauſa pluribus diſceptata eſt : in quo eluxit Thadæi, qui partes Imperatoris tuebatur, & ingenium & induſtria : damnatus tandem eſt Fridericus : deinde innovata adverſus Saracenos militia eſt : S. Ludovicus II. Illius decreta.

SYNODI OECUMENICÆ. omnium conſenſu belli dux appellatus, ſuppetiæ Græco Imperatori deſtinatæ: Cardinalibus, quò plus majeſtatis huic Ordini accederet, datum rubei galeri inſigne: multa denique ad mores & diſciplinam perutilia conſtituta ſunt; totaque Synodus tribus actionibus concluſa eſt.

Synodus Lugdunenſis II.

I. Conſtantinopolis capta à Francis & amiſſa.

MICHAELIS Cerularii crimine nonnulli Græcorum ab Eccleſia Romana jamdiu deſciverant: ab Humberto tamen Cardinale paulò pòſt pax & concordia utcumque ſancita eſt, donec anno MCCIV à Francis expugnata eſt Conſtantinopolis, Imperium Balduino Flandriæ Comiti delatum, avulſæque ſchiſmatis reliquiæ. Interim Theodorus Laſcaris Imperator à Græcis appellatus, Nicææ in Bithynia ſedem habebat: hunc Joannes Ducas excepit, à quo pleraque de Latinis recepta. Illi ſucceſſit Theodorus filius: is quarto Imperii anno moritur, relicto filiolo, cui Michaël Palæologus oculos effodi jubet; invaditque Imperium. Illius artibus Conſtantinopolis cum DCCC, non ampliùs, militibus proditione capitur, pulſuſque Balduinus: ſicque Imperium rediit ad Græcos anno ferme LX quàm ad Latinos abierat. Continuò res ad ſchiſma priſtinum ſpectare viſa eſt: ſubinde tamen imminentem Conſtantinopoli Carolum Siciliæ Regem veritus Michaël ad Sedis Romanæ concordiam reſpexit: eò accedebat Chriſtianorum in Syria calamitas, prolapſi in deterius mores, modus fineſque electioni Summi Pontificis præſcribendi, quòd multum in Chriſtianam rem damni ex interregnis oriretur.

II. Cum Græcis pacis ineundæ causâ Synodus habita.

Igitur his de cauſis, ſed præcipuè cum Græcis ineundæ concordiæ causâ à Gregorio X Lugduni indicta Synodus: ſcriptum ad Imperatores, tum Orientis, tum Occidentis; ad Reges, ad Principes, viroſque, aut doctrinâ, aut virtute inſignes, ut venirent ipſi, ſi liceret; ſin minùs, ſuo nomine Legatos mitterent: venit Gregorius ipſe Pontifex, Jacobus Aragoniæ Rex, Patriarchæ duo, Conſtantinopolitanus & Antiochenus, multi Cardinales, Epiſcopi D, Abbatum & aliorum ingens, at incertus numerus: aderant etiam Prin-

cipum penè omnium Legati, in primis Græci Imperatoris, & Abaghæ Regis Tartarorum; non fidei tamen ſuſcipiendæ, ſed pangendi fœderis gratiâ: quanquam eorum unus Lugduni ſacro expiatus eſt baptiſmate. SYNODI OECUMENICÆ.

III. Inita concordia.

Habita Synodus anno MCCLXXIV. In ea Græcum Imperium, ſi Pachymeri & Nicephoro Gregoræ credimus, Michaëli Palæologo adjudicatum eſt: Græci autore Michaële de Spiritu ſancto Latinis aſſenſi ſunt, decretumque eſt eum, ut à Patre, ita à Filio procedere, fidei Symbolum cum additamento, *Filioque*, ter Græcè decantatum, admiſſique à Latinis ad communionem Græci. Ne quis tamen fraudi locus ſubeſſet, triplex adhibita cautio eſt: prima, ut à Græcis Romani Pontificis mentio fieret in Miſſarum ſolemniis; altera, ut Græcis omnibus liceret ad Papam appellare; tertia denique, ut Romanus Antiſtes ſummum in omnibus obtineret principatum. Qua ratione, quóve ritu eligendus eſſet Summus Pontifex, definitum: multa, quæ ad diſciplinam pertinent, inſtituta: Aragoniæ Regi, quòd cenſum Romanæ Sedi ſolvere recuſaret, negatum à Gregorio diadema: S. Bonaventura in Concilio, S. Thomas in itinere, duo duarum familiarum lumina, extincta ſunt.

Synodus Viennenſis.

I. Objecta Templariis crimina.

CUM multa fuerunt, cur hæc vocaretur Synodus, tum objecta potiſſimùm his temporibus Templariis crimina: vera, an falſa, ingens diſputandi materies. Iis à Templo Hieroſolymitano, propter quod habitabant, nomen inditum: illorum erat tueri fines ac vias, & inſidias hoſtium prohibere; ſed divitiæ, quibus aucti in immenſum erant, malo fuerunt, ſive virtutum indole nimiis opibus ſenſim extinctâ; ſive ex ea re invidiâ, tum apud populum, tum apud Principes conflatâ ſpe lucri. Erant prætcrea id temporis, qui hæreſes in populos ſpargerent, ut Petrus Joannis, qui animam rationalem eſſe corporis humani formam; gratiam & virtutes in Baptiſmo infundi negabat. Erant & in Germania Beguardi & Beguinæ, quorum ut nomina, ita dogmata perabſurda. Palæſtina etiam de Saracenis reci-

SYNODI OECUMENICÆ. pienda; depravati hominum mores ad meliorem frugem revocandi.

II. Damnati Templarii & Beguardi. Viennam Galliæ, quæ Delphinatûs caput eſt, Epiſcopi à Clemente V venire juſſi; invitati etiam Principes. Interfuit ipſe Pontifex, Patriarchæ duo, Alexandrinus & Antiochenus; Cardinales plurimi; Epiſcopi CCC; Philippus Galliæ Rex; filii ejus tres; Carolus Valeſius ejus frater; cæterorum Principum Legati. De Templariis decretum eſt, ut eorum & nomen & Ordo penitus aboleretur. In nonnullos etiam magni nominis Equites flammis ſævitum; eorum bona Hoſpitalariis addicta, qui tum Rhodum eripuerunt Saracenis: Petri Joannis, Beguardorum & Beguinarum errores exploſi: de bello contra Saracenos inſtaurando magna contentione actum: renovata, quæ de Palæſtina recuperanda ab aliis Pontificibus conſtituta erant: memoriam Bonifacii VIII lacerare, eique hæreſis crimen imponere nefas judicatum: multa denique ſancita ad diſciplinam eccleſiaſticam perutilia, quæ à Joanne XXII aliquantò pòſt edita in lucem *Clementinæ* vulgò dicuntur.

Synodus Piſana.

I. Schiſma Clementis & Urbani. CUM multæ in Italia urbes, aliæ poſt alias, à Summo Pontifice deficerent, Gregorius XI ratus ea mala ex abſentia Pontificum oriri, Catharinæ Senenſis impulſu tandem Romam revertitur anno MCCCLXXVI, anno poſt tranſlatam à Clemente V Sedem in Gallias ſeptuageſimo primo. At is Romani Antiſtitis reditus in Urbem, qui Italiæ ſaluti fore putabatur, rei Chriſtianæ exitio penè fuit: mortuo enim Gregorio dirum ſchiſma, & ad quadraginta uſque annos propagatum Chriſtianos diſtraxit omnes: Romanorum metu electus primùm à Cardinalibus Urbanus VI: tum mores illius paulò auſteriores veriti Cardinales Româ diſcedunt: denique in prioribus Conciliis illatam ſibi vim conqueſti, Clementem VII Pontificem eligunt: huic, ubi ſeceſſit Avenionem, Gallia & Hiſpania paruerûnt; Urbano cæteri omnes. Urbanum Bonifacius IX, hunc Gregorius XII excepit; Clementem verò Benedictus XIII.

Cum

Cùm multi Principes, tum Rex potiſſimùm Galliæ autor eſſet Gregorio & Benedicto, ut ſchiſmatis tollendi causâ venirent ad colloquium, primùm pollicetur uterque, tum ire detrectat: quare de ambobus in ordinem cogendis initum conſilium eſt. Indicta Piſis Synodus anno MCCCCIX: conveniunt partis utriuſque Cardinales XXIII, Epiſcoporum incertus numerus: ab his vocatus ad cauſam dicendam uterque Pontifex: cùm neuter obtemperaret, (jam enim Benedictus in Hiſpaniam, unde oriundus erat, ſeceſſerat, Gregorius hærebat in Æmilia) iis abrogatus eſt Pontificatus, & ex Minorum Ordine ſublectus Petrus Philatgus, tum Mediolanenſis Præſul, vir liberalitate in pauperes inſignis, cui Alexander V nomen fuit: cujus, cùm pauperibus boniſque viris largiendo nihil penè ſibi reliqui faceret, fertur illa vox, ſe divitem fuiſſe Epiſcopum, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem. Cæterum Synodo Piſana nihil factum aliud eſt, quàm ut duobus Pontificibus tertius adderetur.

SYNODI OECUMENICÆ.

II. Duobus Summis Pontificibus à Synodo tertius additus.

Synodus Conſtantienſis.

I. Epiſcoporum numerus.

CONCILIO Piſano, unde pacis ineundæ ſpes affulſerat, major contentio extitit, dum quiſque ſe legibus creatum Pontificem, alius alium vitio, contendit, orbiſque Chriſtianus tres in factiones diſtractus eſt: quare Sigiſmundus Imperator pietate & religionis ſtudio clariſſimus ad Principes cæteros Legatos mittit. Galliam ipſe adit, Hiſpaniam, Italiam, Angliam; Joannem XXIII, qui Alexandro V ſuffectus erat, ad cogendam Synodum hortatur. Conſtantia, quæ urbs eſt Germaniæ propter Helvetios, locus Synodo dictus: eò ſe contulit Joannes Pontifex, Cardinales XXIX, quatuor Patriarchæ, Epiſcopi CCC, Abbates & alii multò plures; tantaque omnis generis hominum multitudo, ut ſexaginta equorum millia Conſtantiæ unà fuiſſe dixerit neſcio quis. Adfuit etiam Imperator Sigiſmundus, Dux Bavariæ Galliæ Regis nomine, & alii aliorum Principum Legati.

II. Gregorius & Joannes ſe abdicat.

Cœpta itaque Synodus eſt anno MCCCCXIV, 5 Novem-

SYNODI OECUMENICÆ. bris, feriâ 2. Nulla neque commodior, neque tutior revocandæ pacis via ſeſe obtulit, quàm ſi Pontificatûs & nomine, & inſignibus ſponte ſe exuerent Joannes, Gregorius, Benedictus. Joanni ægrè quidem, ſed perſuaſum tandem eſt, ut morem gereret: quare ſacra veſte depoſitâ ſe Pontificatu deceſſurum pronunciavit. Simulatio tamen nonnullis viſa eſt, cùm poſt dies aliquot clam ſe Conſtantiâ ſubduxerit Schafuſiam, inde Friburgum, dumque in Burgundiam cogitat, retractus è fuga detruditur in carcerem: gravia tum illi objecta crimina, & Pontificis abrogata dignitas: Concilii decretum, ſive diuturni carceris metu, ſive pacis ſtudio ipſe comprobat. Sub hæc Carolus Malateſta Gregorii Legatus, ſe illius nomine Pontificatu exuit, dum Gregorius ipſe Arimini depoſuit dignitatis inſignia: quam ob cauſam Piceni Legatus à Synodo conſtituitur, permiſſuſque, quoad viveret, uti purpurâ.

III. Benedictus deponitur. Eligitur Martinus V. Unus Benedictus verum ſe Pontificem eſſe contendebat: ad eum Imperator primùm Nicæam, deinde Perpinianum profectus eſt: ibi habito colloquio cùm tempus altercationibus duceretur, Sigiſmundus re infecta diſceſſit; quod Ferdinando Aragoniæ Regi adeo ægrè fuit, ut relictis Benedicti partibus, quas tutatus fuerat hactenus, Conſtantiam Legatos miſerit: inde in nationes quinque, quaſi in totidem claſſes deſcripta tota Synodus, in Gallicam, Germanicam, Italicam, Anglicam, Hiſpanicam: ab iis Petro de Luna Pontificatûs nomen abolitum: deinde Cardinalibus XXII, quibus erat jus ſuffragii, adjuncti è Patrum numero Epiſcopi XXX. Ab iis Odo Columna creatur Pontifex anno MCCCCXVII qui Martinus V dictus eſt. Ita poſt annos quadraginta ſublatum eſt ſchiſma, repugnante licèt Benedicto, qui anno MCCCCXXIV in Hiſpania deceſſit, illique ſuffectus eſt Clemens VIII quarto anno pòſt redactus in Ordinem, hinc eſt quod annis quinquaginta perduraſſe ſchiſma à nonnullis proditum eſt.

IV. Damnatur Huſſii hæreſis. In ea etiam Synodo damnata eſt Wicleffi & Joannis Huſſ hæreſis, cujus hæc ſumma erat: in Euchariſtia merum eſſe panem; ſpeciem unicam ſumere nefas eſſe; Sacerdoti peccata confiteri, hominum figmentum eſſe; Papam eſſe

Antichriſtum; Regibus, Principibus, & ſi quid in ſe admiſerint ſceleris, nihil juris eſſe in ſubditos, & alia hujuſmodi. Huſſius, qui aderat, cùm ſe clam tentaſſet ſubducere, ex fuga ad ignis ſupplicium retractus eſt: reus ille quidem, jure tamen, an injuriâ damnatus ſit, à nonnullis temere dubitatum, quòd fide Imperatoris veniſſet: admiſiſſe enim conſtabat, ut hoſtis loco haberetur: cùm hæreſim Conſtantiæ contra fas datamque fidem docuiſſet. Hieronymus Pragenſis eadem de cauſa par ſupplicium tulit. Mos jamdiu uſu receptus communicandi ſub ſpecie unica approbatus: decretum denique, ut decimo quoque anno generalia deinceps Concilia haberentur. Anno MCCCCXVIII, Aprilis 22, feriâ 6, ſeſſione 45 Synodo finis factus eſt.

SYNODI OECUMENICÆ.

Synodus Baſileenſis.

I. Diſſidet à Pontifice.

BASILEENSIS Synodi longè diſpar exitus fuit, ac Conſtantienſis: hæc enim extincto ſchiſmate nobilitata; illa excitato infamis. Eam Martinus V anno MCCCCXXXI indixit, ad hominum mores, qui collapſi à veteri ſanctitate erant, caſtigandos; & ad Bohemos, ſi quid ſpei affulgeret, ad fidem officiumque revocandos: miſſus, qui Synodo nomine Pontificis præeſſet, Julianus Cæſarinus Cardinalis, vir prudentiâ & eruditione longè clariſſimus. Sub hæc mortuo Martino ſufficitur Eugenius IV. Concilium Vicecomitis operâ, ut fama tum erat, corruptum laſcivire in Pontificem cœpit: plerique Patrum tum Piſani, tum Conſtantienſis Concilii memores, rei Chriſtianæ ſummam à Pontifice ad Synodum transferre inſtituerunt.

II. Eugenio abrogat Pontificatum, & Felicem eligit.

De quo ſimul ut ad Eugenium allatum eſt, ne quod monſtrum Conventus ille pareret: primùm ſingulos officii admonet; tum Epiſcopos, & in primis Legatum Cæſarinum in Italiam revocat, Synodumque transfert Ferrariam, deinde Bononiam ratus loci propinquitate minus illis fore ad res novandas audaciæ; eâ injuriâ provocati Baſileenſes denunciant Eugenio, niſi ad Concilium ipſe veniat, ſe in eum, quod in deſertores ſolet, conſtituturos: deinde deponendum fremunt. Obſtitit pacis ſtudio Imperator; ſed cùm ſub id

SYNODI OECUMENICÆ. tempus deceſſiſſet, Pontificatus abrogatus Eugenio eſt, delatuſque Amedeo, qui ex Comite Sabaudiæ Dux fuerat, ex Duce Eremita, denique ex Eremita pſeudo-Pontifex extitit; Felici nomen inditum, omine infelici, quippe Baſilea baſiliſcum peperiſſe vulgò ferebatur.

III. A Ludovico Galliæ Delphino disjecta. Continuò Baſileenſes ab Eugenio percuſſi anathemate, ſic de novo conflatum ſchiſma; ſed brevis ævi fuit: quamvis enim Principum plerique alienati ab Eugenio, alii alia de cauſa, ne vel unus quidem adhæſit Felici, prioris, opinor, ſchiſmatis memoriâ: unde tot extiterant diſſidia, tantæque calamitates. Baſileenſes tamen ab anno MCCCCXXXI ad annum MCCCCXLVIII Baſileæ ſubſtiterunt: tum enim Eugenii induſtriâ, cùm decretis non poſſent, armis disjecti; primùm Friderici III Imperatoris præcepto ibi hærere diutius prohibiti; deinde à Ludovici Galliæ Delphini militibus diſturbati ſoluto Conventu, alius aliò in ſuam quiſque patriam fugit, Felix ipſe Cæſaris autoritate victus, cæterorumque Principum conſenſu pontificalem depoſuit ornatum.

IV. Multa prudenter ſancivit. Poſt Eugenii obitum Felix à Nicolao V anno MCCCCXLIX in Cardinalium aſcriptus eſt Ordinem, relicta ipſi uſurpatæ dignitatis inſignia, præter annulum, crucem, & umbraculum, permiſſaque Sabaudiæ Legatio: recepti itidem illius Cardinales, & inter eos Ludovicus Alemannus, vir pietate illuſtris; futurus tamen multò illuſtrior, ſi Felici non adhæſiſſet. Laudi datum eſt Baſileenſibus, quòd à peccati, ut loquuntur, originis macula illibatæ Virgini ab iis aſſertus honos, & Clericorum mores, diſciplina, Beneficia & dandi & curandi ratio ſeverioribus adſtricta legibus: peccatum tamen eſt in iis, quæ in Eugenium contra jus decreverunt. Seſſiones 45, quæ per annos XVII habitæ ſunt, hæc Synodus complectitur.

Synodus Florentina.

I. Inchoata Ferrariæ. EUGENIUS IV, quò Baſileenſis Conventûs audaciæ iret obviàm, Synodum, uti dictum eſt, Ferrariam tranſtulit; continuò Cæſarinus Legatus, & cum eo quinque è

ſeptem qui aderant, Cardinales Ferrariam abeunt: nec deerat mutandi loci, ſive ſpecies, ſive cauſa, adventus Joannis Palæologi Græci Imperatoris, & Joſephi Patriarchæ, ad ſanciendam inter Occidentis & Orientis Eccleſias concordiam. Cœpta eſt Synodus anno MCCCCXXXVIII Ferrariæ, Præſide Nicolao Albergato Cardinale: ſancitum primò Synodum Baſileâ Ferrariam jure tranſlatam, tum Baſileenſis prohibita. Sub hæc Græcus Imperator Venetias appulit; erant in comitatu Patriarcha Conſtantinopolitanus, aliorum Legati, Primates, Archiepiſcopi, ſelecti ex omni Ordine doctiſſimi quique, Imperatoris frater, aliique ſive nobiles, ſive Clerici DCC. SYNODI OECUMENICÆ.

Venetiis Ferrariam perductus Imperator à Cardinalibus ſummo honore exceptus eſt. Habendæ verò Synodi hæc ratio fuit; in ſolio ante altare Evangelii codex poſitus: Pontifici Eugenio, qui aderat, data dextera: deinde juxta ipſum ſedes erat Occidentis Imperatoris, qui aberat; tum ſederunt Cardinales: denique cæteri Latini Præſules: ſiniſtram habuit Græcus Imperator cum ſuis, qui eodem propè, quo Latini, ordine conſederunt: tum diſputandi factum initium eſt. Præcipua verò, quibus Græci diſſentiebant à Latinis, hæc erant: Spiritum ſanctum ut à Patre, ita à Filio non procedere: Primatum Eccleſiæ non eſſe penes Romanum Pontificem: azymo ad conficiendam Euchariſtiam uti nefas eſſe: nullum eſſe, ubi disjunctæ à corporibus animæ purgentur, locum, animas, quibus nihil vel ſceleris eluendum, vel pœnarum ſolvendum ſupereſt, beatas tamen non eſſe, nec Dei conſpectu frui, donec extrema judicii dies advenerit, & alia levioris momenti. II. Ordo confidendi, & Græcorum dogmata.

De his, qui in Concilio diſceptarent, ſelecti ſex è Latinis, è Græcis totidem, omnes præſtanti ingenio & doctrina. E Latinis principes erant Nicolaus Albergatus, Julianus Cæſarinus Cardinales, & Andreas Rhodius Epiſcopus; è Græcis Marcus Epheſinus, Iſidorus Ruthenus, Beſſarion Nicænus, omnes Archiepiſcopi. Magna utrinque contentione de Spiritu ſancto diſputatum eſt; primùm Ferrariæ, deinde Florentiæ, quò Synodus poſt ſeſſionem decimam-ſeptimam tranſlata eſt; à peſte enim, quæ jam graſſari cœperat, ſibi III. Convicti Græci.

SYNODI OECUMENICÆ. tum Græci, tum Latini, metuebant. Actum deinde de purgatorio, de animabus, de viſione Dei, de azymo: convicti tandem Græci ad Latinæ Eccleſiæ religionem Romanique Pontificis autoritatem ſummâ gentium omnium lætitiâ rediere.

IV. Ratio initæ concordiæ. Omnium princeps Palæologus, tum Beſſarion, Iſidorus, Georgius Scholarius, cæteris Græcis autores ſunt, ut unio ſanciatur: conſenſit Patriarcha, qui paulò pòſt obiit. Concilii ſententia Latino dogmati omni ex parte conſentiens, Latinè à Juliano Cardinale, Græcè à Beſſarione perlecta eſt, in qua permiſſum eſt Græcis, ut & in Baptiſmo ritu ſuo uterentur, & in fermentato pane ſacra peragerent. Subſcripſerunt è Latinis Eugenius Papa, octoque Cardinales; è Græcis Imperator & Patriarcharum Legati, præter Marcum Epheſinum, qui, ut Synodo aſſentiretur, adduci non potuit: poſtremò aliæ quæſtiones agitari cœptæ; ſed iis needum diſcuſſis, abiit cum ſuis Græcus Imperator. Hæc quidem geſta ſunt Florentiæ cum Græcis, majori in præſenti, quàm in futurum, proventu: ubi enim reverſi ſunt in Græciam, Marco Epheſino potiſſimùm agente à Romana ſocietate iterum deſciverunt.

V. Armenorũ adventus. Synodus Romam transfertur. Vix Florentiâ abierant Græci, cùm Armenorum Legati adveniunt: qui amplexi paulò pòſt Concilii autoritatem: iis Eugenius dedit reſponſa, quibus circa Sacramenta pleniùs inſtruerentur. Idem à Jacobitis & Abyſſinis, quod ab Armenis, præſtitum eſt: denique Synodus, quò ad frangendam Baſileenſis audaciam uſui eſſet, Romam eſt traducta anno MCCCCXLII: Beſſarioni Nicæno Metropolitæ, & Iſidoro Ruthenorum Patriarchæ, navatæ in pace concilianda operæ, purpura præmium fuit.

Synodus Lateranenſis V.

I. Piſanum Conciliabulum. JULIUS II à Ludovico XII Galliæ Rege multis affectus muneribus, ſocietatem cum eo & Maximiliano Cæſare iniit adverſus Venetos: Veneti à Ludovico magna clade victi: Ravenna, Ariminum, & Æmilia omnis Romanæ Sedi reſtituta; ſed Julius ex ſocio hoſtis repentè factus eſt:

quod Ludovicus adeo impatienter tulit, ut continuò victorem exercitum fœderatis, Julio Synodum oppoſuerit: juſſi Piſas ſe conferre Epiſcopi: quò etiam venerunt infeſti Julio Cardinales. Horum audaciam, ut retunderet Julius, Lateranenſe indicit Concilium anno MDXI. Adfuerunt Cardinales XV, duo Patriarchæ, Epiſcopi LXXVII, Abbates multi. Primò quidem proſcriptum, quod tum habebatur Piſis, Conciliabulum; tum omnes, qui in eo aderant, dignitate mulctati. SYNODI OECUMENICÆ.

Sub hæc ad Ravennam vincunt Franci; ſed duce Gaſtone Foxio ſub prælii exitum occiſo, hoſtibus impares ſe recipiunt: inſtant hoſtes, & tandem Ducatus Mediolanenſis Francis ademptus: fugæ ſocii, qui Piſis erant, tum Cardinales, tum Epiſcopi, qui Piſis Mediolanum, Mediolano Taurinum, Taurino Lugdunum receſſerunt. Interim Julius pulſis Italiâ Francis, disjectaque Piſana Synodo, ſive lætitiâ, ſive ſenio moritur; illique ſublectus eſt, qui paulò antè in prælio captus à Francis erat, è gente Medicea Leo X. Is pacis & otii, quàm belli, ſtudioſior, cum Franciſco Rege, qui de Helvetiis ad Marinianum victor Mediolanum receperat, de pace tranſegit. Bononiæ, quò uterque venerat, ſancitæ fœderis leges: venia data Cardinalibus, qui Piſanæ Synodo interfuerunt, modò depoſitâ purpurâ ſupplicum more Romam peterent: Pragmatica Sanctio abolita: facta de Sacerdotiis, tum à Rege, tum à Pontifice concedendis *Concordata*, quæ ſeſſione duodecima Lateranenſi Patrum omnium conſenſu firmata ſunt: tum Synodo, anno, poſtquam cœperat, quinto, finem impoſuit Pontifex, omnes qui aderant, cùm ad pacem inter ſe tuendam, tum ad bellum contra Turcas gerendum, cohortatus. II. Synodi Lateranenſis decreta.

Synodus Tridentina.

DE Synodo Tridentina eò brevior ero, quò recentior illius memoria eſt; quæque in ea geſta ſunt, nota pluribus. Fuit illud in ea ſingulare, quòd nec ſimplex eſt, nec ferè una ut cæteræ; ſed in tres diſtincta partes, quarum ſingulæ alio, & tempore, & Pontifice; ab aliis, tum Legatis, I. Tres illius partes ſunt.

SYNODI OECUMENICÆ. ſum etiam Epiſcopis peractæ ſunt: quod qua ratione factum ſit, perſtringo paucis. Dum per Galliam, Germaniam, omneſque propè Septemtrionis regiones graſſatur veluti contagione quadam Lutheri, Calvini, Zwinglii & aliorum varia & multiplex hæreſis; injecta ſæpe a Chriſtianis Principibus generalis Concilii mentio eſt; ſed ob bella his temporibus alia ex aliis nata cogere Synodum haud licuit.

II Prima ſub Paulo III. Anno tandem MDXLV Tridentum in Italiæ Germaniæque confiniis omnium conſenſu delectum eſt: miſſi continuò à Paulo III Legati tres, Joannes Maria de Monte, Marcellus Cervinus, & Reginaldus Polus Cardinales; ab Imperatore Carolo Didacus Mendoza; à Galliæ Rege Franciſco Claudius *d'urfé*; à Ferdinando Romanorum Rege Wolphangus Epiſcopus Patavienſis; aderant præterea Cardinales duo, decem Archiepiſcopi, Epiſcopi LII, Generales quinque; non par tamen in omnibus ſeſſionibus numerus: ſancita ab iis multa ſunt de Libris Canonicis; de peccato originis; de juſtificatione; de Sacramentis, tum generatim, atque univerſè; tum ſingulatim de Baptiſmo & de Confirmatione. Bellè & ex votis procedebat res Concilii, cùm ecce morbus peſtilens urbem invadit: tum ſibi quiſque timere, etiam multi de ſuo in patriam reditu cogitare: quare Legatis è publica re fore viſum eſt, ſi Synodus aliò transferretur. Bononia potiori parti probata, eòque traducti Concilii Patres repugnante Cæſaris Legato, qui unà cum Germanis & Hiſpanis Epiſcopis Tridenti ſubſtitit. Sub hæc Petrus Farneſius Pauli III filius, Placentiæ occiditur, unde ingens Pontifici mœror, & differri in dies Synodi ſeſſiones cœptæ ſunt, quoad vixit Paulus III. Prima hæc Concilii pars decem ſeſſionibus continetur, quarum octo habitæ ſunt Tridenti, duæ Bononiæ anno MDXLVII.

III. Secunda ſub Julio III. Julius III, qui Cardinalis de Monte, Synodo præfuerat, eam Tridenti anno MDLI inſtaurari jubet. Pontificis Legati fuerunt Marcellus Creſcentius Cardinalis, Sebaſtianus Pighinus, & Aloyſius Lipomanus Epiſcopi; Imperatoris, Hugo Comes Montfortius; Romanorum Regis, Paulus de Gregorianis Epiſcopus. Henricus Galliæ Rex negavit ſe miſſurum Legatos, niſi Octavio Farneſio Parma, unde ejectus

ctus erat, reſtitueretur: cœpta nihilominus Synodus ab Epiſcopis plus minus L, Archiepiſcopis ſex, à quibus dogma Catholicum de Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, Extremæ-Unctionis Sacramentis aſſertum eſt: *ſalvus* etiam *conductus*, ut loquuntur, datus eſt Hæreticis: venerunt eorum nomine Legati: cum iis diſceptatum eſt; nihil tamen inde fructûs perceptum eſt: auditus enim paulò pòſt è Germania armorum ſtrepitus, oppreſſum penè à Mauritio Saxoniæ Duce Imperatorem, actum illum in fugam, inſtare hoſtes, nec procul Tridento abeſſe. Continuò prorogata iterum Synodus, & habita ſeſſione decima-ſexta anno MDLII alius aliò dilapſus eſt SYNODI OECUMENICÆ.

Julio III ſuffectus eſt Marcellus II, magna tum pietate, tum doctrinâ, ſed paucorum dierum Pontifex. Hunc excepit Paulus IV: natus ille quidem ad corruptos hominum mores caſtigandos; ſed ob varia, quibus diſtrictus eſt, bella, cogendæ Synodi aut voluntas illi defuit, aut facultas. Sed illi ſublectus è Mediceis Mediolanenſibus Pius IV, ſive ſua ſponte, ſive Borromæi nepotis conſilio, in annum MDLXII Tridenti Synodum indixit: miſit ipſe Legatos Cardinales tres, Herculem Gonzagam, Hieronymum Seripandum, Staniſlaum Hoſium; Imperator Ferdinandus Antonium de Muglețio Archiepiſcopum Pragenſem; Galliæ Rex Ludovicum Sangelaſium, unà cum Ferrerio & Pibracio; Philippus Hiſpaniæ Rex Comitem Lunenſem; qui cùm Gallis præter morem antiquum loco decedere recuſaret, mota eſt inter eos controverſia de loci prærogativa, de quo poſtea viderimus. Tribus Pontificis Legatis quartus ſubinde additus Ludovicus Simoneta; & mortuis aliquantò pòſt Gonzaga & Seripando, ſubmiſſi ſunt Joannes Moronus & Bernardus Navagerius. IV. Tertia ſub Pio IV.

Celebratæ ſub Pio IV ſeſſiones novem, in quibus actum eſt de communione ſub utraque ſpecie, de ſacrificio Miſſæ, de Sacramentis, tum Ordinis, tum Matrimonii; de Sanctorum reliquiis, indulgentiis, jejuniis, diebus feſtis, &c. Secundùm hæc venit in mentem Pontifici prorogare Synodum; ſed Cardinales Borromæus & Lotharingius, qui cum Gallis Epiſcopis non multò antè Tridentum venerat, illi vehementer autores fuerunt, ut finem tandem faceret huic V. Synodo finis impoſitus.

Synodo. Pius, qui jam morbo tentari cœperat, aſſenſus eſt, finiſque Concilio Tridentino impoſitus. Subſcripſerunt Cardinales ſex, tres Patriarchæ, Archiepiſcopi XXV, Epiſcopi CLXXXVIII, Abbates VII, eorum, qui aberant, Procuratores XXXIX, Generales Ordinum Vicarii VII: cæteris benedixit, qui honoris ævo præerat, Legatorum princeps Joannes Moronus: Principibus multos annos apprecatus eſt Lotharingius Cardinalis, qui Gallis in eo peccaſſe viſus eſt, nec immeritò, quòd, ut Imperatorem, ita Regem Galliæ nominatim non appellaſſet.

DISSERTATIO SEXTA.

De ſubſcribendi & conſidendi ratione in Synodis.

RELIQUA, quæ ad Synodorum hiſtoriam pertinent, hac Diſſertatione complexi ſumus. Ea verò ſunt hujuſmodi: quorum ſit intereſſe Synodis: quænam fuerit tum ſubſcribendi, tum conſidendi ratio, ſive inter Epiſcopos, ſive inter Principes; ubi paucis exponitur ea, quæ inter Francos Hiſpanoſque Reges orta eſt de loci prærogativa contentio.

CAPUT I.

Quorum ſit intereſſe Synodis.

SYNODIS alii alio jure adfuerunt: alii enim ſuo nomine, alii alieno. Suo adfuiſſe Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, res ipſa per ſe loquitur: de Preſbyteris & Diaconis idem, cùm multæ nos docent Synodi, tum præcipuè Romana ſub Silveſtro, Eliberitana, Arelatenſis prima, & Toletana prima; non eadem tamen illis data jura, quæ Epiſcopis. Hi jus, tum ſuffragii, tum ſubſcriptionis habuerunt; cæteri non item. Datum Preſbyteris, ut ponè Epiſcopos ſederent, præterea nihil. Erat Diaconorum, Præſules & Proceres, ut quiſque veniebat, in conſeſſum honoris ergò deducere: acta publica, ſi opus eſſet, coram Patribus recitare: quæ à Synodo decreta eſſent, indicere aliis: præterea, ſi & ingenio valerent & doctrinâ, ad convincendos erroris Hæreticos interdum adhibiti, ut in Nicæna

I. Quorum fuerit venire ad Synodos.

SUBSCRIBENDI RATIO.

Athanaſius. Abbates etiam aliquantò pòſt admiſſos ex Conciliis, tum Galliæ, tum Hiſpaniæ diſcimus; de Cardinalibus nihil attinet hoc loco quidquam addere; nemo enim neſcit, multis illos Synodis & nationalibus, & generalibus præſediſſe.

II. Qui miſſi abſentium nomine.

Erat interdum, cur Patriarchis, Primatibus, &c. ad Synodos venire non liceret, ſive ægra valetudo cauſa eſſet, ſive imperium Principis, ſive orta inter Principes bella, ſive alia id genus: tum fas erat, qui eorum nomine Synodis adeſſent, mittere. Miſſos & Epiſcopos & Preſbyteros, ita notum omnibus eſt, ut hìc exempla proferre nihil opus ſit. Allectos etiam ad id muneris Diaconos, Hiſtoria teſtatur omnis: ita juſſu Romani Præſulis Joannes Diaconus ſextæ Synodo præfuit, & Marinus octavæ: ita Beſſula Capreoli Carthaginenſis nomine Epheſinæ adfuit, & alii aliis Synodis, quos appellare, & operoſum ſit, & inutile. Quod tamen de ſacerdotali dignitate detrahi nonnihil videretur, quòd in Synodis Diaconorum potior erat autoritas, quàm Preſbyterorum; ne deinceps mitterentur Diaconi, canone 5 Emeritenſi cautum eſt: at ille canon cùm in Gallia, tum in Hiſpania paulò pòſt neglectus, & conſuetudo jam diu inducta canone 7 Trullano firmata eſt. An Subdiaconi, aliique inferioris notæ Clerici miſſi ſint, ſunt qui dubitent, pauca quidem extant exempla; ſunt tamen aliqua, ut lectoris, cui Cylo nomen erat: is enim in Synodo Conſtantinopolitana nomine Atarbii adfuiſſe perhibetur: memini etiam legere me de exorciſta neſcio quo; ſed & Synodus & nomen memoriâ excidit.

CAPUT II.

De ſubſcriptionibus Epiſcoporum.

I. Ratio ſubſcribendi apud Græcos & Latinos.

NEc Græcis, nec Latinis eadem ſemper fuit ſubſcribendi ratio, ſed alia alio tempore. De Græcis agemus primùm, tum de Latinis, quò, quid hac in parte inter eos interſit, quivis intelligat. De Synodis, quæ ante Nicænam, tum in Aſia, tum in Africa habitæ ſunt, certi quod dicam, nihil habeo: cùm eorum, ſi quæ tamen aliquando fuerint,

& ſubſcriptiones perierint, & plerumque nomina. Appellantur ii quidem, qui & Ancyrano & Neocæſarienſi interfuerunt; ſed non eo, ut mihi quidem videtur, quo ſubſcripſerunt, ordine, præter Vitalem Antiochenum, qui utrique, ut par erat, præfuit. Satis erit, opinor, quis in Synodis generalibus obtinuerit uſus, paucis annotare, ut de cæteris conjectura fieri poſſit. SUBSCRIBENDI RATIO.

II. Modò dignitatis, modò provinciæ habita ratio; Legati Romanæ Sedis ſemper primo loco ſubſcripſerunt.

In ſubſcriptionibus, vel provinciarum habita ratio eſt, vel dignitatis Epiſcoporum: provinciarum, in Nicæna & Conſtantinopolitana prima; dignitatis, in Epheſina, in quinta, ſexta, ſeptima & octava Synodis; utriuſque in Calchedonenſi. Cùm in aliis omnibus, tum in ſubſcriptionibus primas ſemper tulerunt Romani Præſulis Legati. Eſt tamen in Epheſina Synodo, quòd cuipiam injiciat ſcrupulum, in qua duo quidem Legati primi ſubſcripſerunt, Cyrillus & Arcadius; Projectus verò & Philippus non item: ſed ille poſt Juvenalem Hieroſolymitanum, hic poſt Flavianum Philipporum Epiſcopum.

III. Inter Græcos modò Conſtantinopolitanus, modò Alexandrinus.

Quando per provincias non ſubſcriptum eſt, ſubſcripſere primò Patriarchæ, deinde Primates, tum Metropolitani, denique Epiſcopi. Cæteris Patriarchis prælatus eſt in Nicæna Alexandrinus; in ſecunda & quinta Synodo, Conſtantinopolitanus; in aliis alteruter vel abfuit, ut in ſeptima & octava, aut hæreſis aut ſceleris poſtulatus, ut Neſtorius in Epheſina, & in Calchedonenſi Dioſcorus; nec monere pigebit Chorepiſcopos etiam, inter Epiſcopos, nec ultimo loco interdum ſubſcripſiſſe, ut in Nicæna Synodo. Unde cuivis intelligere eſt, illos non meros fuiſſe Preſbyteros, quibus nec ſuffragii jus erat, nec ſubſcriptionis: tum verò ſolemne fuit, ut in ſuo quiſque ordine, qui honoris ævo aliis ſuperior erat, is primus ſubſcriberet.

IV. Modò una provincia, modò altera.

Quando per provincias ſubſcriptum eſt, modò ab una diœceſi, modò ab altera factum ſubſcribendi initium eſt. In Nicæno Concilio prima ſubſcripſit diœceſis Ægypti, deinde Orientis, & in Conſtantinopolitano diœceſis Thraciæ & Illyrici, in ſuas quæque tributa provincias: datum verò Metropolitanis, ut ante omnes provinciæ ſuæ Epiſcopos ut plurimùm ſubſcriberent. Unus eſt tamen Epiſcopus Eliæ, qui præ Cæ-

Subscribendi ratio. ſarienſi, cui ſubditus erat, ut ſedendi, ita ſubſcribendi ubique honorem tulit. Tanti etiam fuit interdum ordinationis tempore præſtare cæteris, ut Metropolitani præ cæteris nihil haberent præcipui; ſed merus Epiſcopus, ſi ſenior erat, vel ante ſuum Metropolitanum ſubſcriberet; quod in Epheſina Synodo factitatum, ut mihi quidem videtur, ab iis eſt, qui Joanni Antiocheno adhærebant.

V. Modò Primates & Metropolitani. Quod tamen ea ratione ſæpe temperatum eſt, ut qui Primas, licèt ætate junior eſſet, Metropolitas omnes; qui Metropolita, omnes Epiſcopos; quique in ſingulis Ordinibus ordinationis prærogativâ vincebat cæteros, eos quoque ſubſcribendi honore vinceret. Uſurpatum illud eſt, cùm in omnibus propè Synodis, tum maximè in Epheſina ab iis, qui favebant Cyrillo; & in Calchedonenſi ab Orientis Aſiæque Epiſcopis, qui canonibus ſubſcripſerunt: decreto enim fidei per provincias ſubſcriptum eſt. Illud etiam non omiſerim in ſexta Synodo, poſt Patriarchas & Theſſalonicæ & Conſtantinæ in Cypro Præſules, meris, qui ex Italia venerant, Epiſcopis ſubſcribendi locum honoris ergò ante cæteros Primates datum eſſe.

VI. Apud Latinos itidem variatum eſt. In quo Latinis cum Græcis conveniat, quidve alii ab aliis differant, paucis accipe. Sunt multa, quæ vel eruditis ſive errorem, ſive moleſtiam exhibere ſolent: modò Metropolita Epiſcopo, modò merus Epiſcopus Metropolitæ præpoſitus; quique in priori Synodo Primas tulerat, in poſteriori vix ſecundas tertiáſve tulit. Quare certi ſtatuendi ſunt canones, qui, quem injiciunt hujuſmodi ſubſcriptiones, ſcrupulum eximant. I. Si Primas aderat Synodo, primus ſubſcripſit. II. Poſt Primatem ſubſcripſerunt Metropolitani, denique Epiſcopi. III. Ubi Primas nullus erat, primus locus datus ut plurimùm Metropolitanis, ſecundus Epiſcopis; & in utroque ordine, ut dignitatis, ita ordinationis habita ratio eſt: quæ tria exemplis illuſtrare operæ pretium eſt.

VII. Primo loco ſubſcripſerunt modò Primates. Erat in Italia Primas Romanus Antiſtes; erat in Africa Carthaginenſis: ille in Romanis Conciliis primus ſemper ſubſcripſit; hic in Carthaginenſibus. Poſt illos Metropolitani, ut in ſecunda ſub Symmacho Synodo poſt Symma-

chum Laurentius Mediolanenſis & Petrus Ravennas, & in tertia Carthaginenſi poſt Aurelium Muzonius provinciæ Byzacenæ Primas, & in quinta Donatianus. Ita in Gallia quamdiu Arelatenſis Epiſcopi ſtetit autoritas, Concilio Arelatenſi tertio præfuit Ravennius, & primus ſubſcripſit, & Agathenſi Cæſarius. Ubi verò Metropolitanis omnibus par data poteſtas, qui ætate ſenior erat, is ut ſedendi, ita & ſubſcribendi honore cæteris ſuperior fuit, ut in Aurelianenſi II Lupus Lugdunenſis, in Arvernenſi Honoratus Bituricenſis, in Aurelianenſi III Leontius Burdigalenſis, & in aliis alii. Haud aliter factitatum in Hiſpania, antequam Toletano Epiſcopo Primatis dignitas permiſſa eſt: ita in tertia Synodo Toletana principem locum obtinet Maſſona Emeritenſis; in quarta Iſidorus Hiſpalenſis; in ſexta Silva Narbonenſis. Ut verò Primatis jura Toletano firmata ſunt, illius fuit Synodis & præſidere, & ante cæteros ſubſcribere; quod exemplo ſuo nos docent in nona, duodecima, aliiſque Synodis Eugenius & Julianus Toletani.

SUBSCRIBENDI RATIO.

IV. Nonnumquam etiam in Gallia per diœceſes & provincias ſubſcriptum eſt, ut in Concilio Arelatenſi primo, in quo primus locus Italis datus eſt, ſecundus Gallis, tertius Africanis. Quare ne quis miretur, ſi & Epiſcopi, & Preſbyteri & Diaconi etiam ante Metropolitanos & Primates, ut Romanus Preſbyter, & Innocentius Diaconus ante Agræcium Trevirenſem, & Cæcilianum Carthaginenſem ſubſcripſerint. V. Interdum meri Epiſcopi honoris ævo prælati Metropolitanis; ita Chreſtus Syracuſanus in Arelatenſi primo, Euſebius Vercellenſis in Mediolanenſi, & Fœgadius in epiſtola Synodi Valentinæ. VI. Synodi aliæ ex Regum imperio habitæ ſunt, uti diximus; aliæ ex juſſu Primatum, ut Bituricenſis, ut Lugdunenſis; aliæ communi Metropolitanorum conſenſu. Si à Primate vocata Synodus, huic præerat & ſubſcribebat primus, qui Primas: ſi à Rege, is quem Rex jubebat: ſi communi conſenſu, qui è Metropolitanis ſenior. VII. Primati vel Metropolitano in aliena, ſive diœceſi, ſive provincia, locus honoris aliquando permiſſus eſt; aliàs negatus. Quo factum eſt, ut qui in ſua diœceſi omnium princeps ſubſcripſerat, in aliena multis conceſſerit.

VIII. Modò provinciæ unius Epiſcopi, modò alterius.

SUBSCRIBENDI RATIO. I X. Modò nec dignitatis, nec provinciæ habita ratio eſt.

VIII. Quinetiam nec provinciarum, nec dignitatis, nec ordinationis interdum habita ulla ratio eſt: at ubi Synodi Præſes ſubſcripſerat, continuò chartam deferri ad eos moris fuit, qui ex una parte, ſive ad dexteram, ſive ad ſiniſtram conſidebant. Cùm verò Metropolitani juxta Præſidem hinc inde aſſiderent, deinde cæteri utrinque Epiſcopi; nihil mirum, ſi, qui in ea parte erant, Epiſcopi, ad quam delata primùm charta eſt, priùs ſubſcripſerint, quàm qui ſedebant in altera Metropolitani. IX. Eò accedit, quòd in eodem verſu duo tréſve Epiſcopi ſua ſæpe nomina ſcriberent; idque Librariis fraudi fuit; à quibus dum Conciliorum acta deſcriberent, primus appoſitus, qui initio verſûs ſubſcripſerat; qui medio verſu, ſecundus; qui extremo, in ultimum locum rejectus. X. Præterea nemo neſcit quàm ſæpe ab exſcriptoribus, ubi etiam nullus eſt error, peccari ſoleat, quare ſi quando, quas ego modò præſcripſi leges, neglectas videris, id quidquid erit vitii, Librariis adſcribito.

CAPUT III.

De ſubſcriptionibus Imperatorum, Regum, Cardinalium, Ducum, Abbatum.

I. Imperatorum alii ultimo loco, alii poſt Patriarchas ſubſcripſerunt.

DICTUM jam ſuperiùs à nobis eſt, præter Epiſcopos adfuiſſe Conciliis Imperatores, Reges, Cardinales, Abbates, Proceres. Iis pro dignitate honos habitus eſt; ſed alius aliis. Imperatores, quæ fuit eorum in Eccleſiæ Præſules reverentia, ultimo poſt meros etiam Epiſcopos loco ſæpe ſubſcripſerunt, ut in Nicæna Conſtantinus Magnus; ita in Calchedonenſi Marcianus; & Conſtantinus Pogonatus in ſexta: honeſtior tamen locus datus eſt & Baſilio, & Joanni Palæologo, quorum ille in octava Synodo unà cum duobus filiis, Conſtantino & Leone, non primus quidem, quod à Patribus ultro delatum erat, ſed poſt Patriarcharum Vicarios ſubſcripſit: hic in Florentina poſt omnes quidem, qui aderant, Latinæ Eccleſiæ Cardinales: ſed

ſed ante Græcos omnes, qui Patriarcharum etiam vices gerebant, Antiſtites.

SUBSCRIBENDI RATIO.

II. Raro ſubſcripſerunt Reges.

Perraro Conciliis à Regibus ſubſcriptum eſt: in Hiſpania unus ſubſcripſit; tres quatuórve in Anglia; in Gallia ne unus quidem, niſi falſus ſum, quod fortè miretur quiſpiam, cùm tam ſæpe adfuerint Synodis Francorum Principes, ut Vermerienſi Pippinus, Francofordienſi Carolus Magnus, Ludovicus Pius Aquiſgranenſi, & alii aliis. Cur tamen nullus ſubſcripſit, expedita & facilis reſponſio eſt: primis temporibus raro aderant Reges, tum Concilia haberi deſita ſunt; denique ubi à Pippino & Carolo Magno revocata eſt cogendæ Synodi conſuetudo, ne ab Epiſcopis quidem, nedum à Regibus iis ſubſcriptum eſt: qua de cauſa planè neſcio. Nec enim mihi quis facilè perſuaſerit tot Synodorum periiſſe ſubſcriptiones, cùm extent ſuperiorum penè omnes; è poſterioribus verò, quæ à Pippini temporibus habitæ ſunt, vix unam alterámve reperias, ut Valentinam tertiam & Pontigonenſem, & ſi quæ ſunt aliæ, quibus adſcripta Epiſcoporum, qui aderant, nomina.

III. Quo loco ſubſcripſerint, quo & Cardinales.

Synodis nationalibus, vel ante Præſidem primo ut plurimùm loco ſubſcripſerunt Reges, ut Toletanæ III Reccaredus Wiſigothorum Rex; Becanceldenſi in Anglia anno DCXCIV Withredus Rex Cantii; Calchutenſi anno DCCLXXXVII Ælfwaldus; unus Ecbertus anno DCCCXXXIII Londinenſi poſt Epiſcopos & Abbates ſubſcripſit. Alia exempla, ſi quæ ſunt, inquirant quibus ea cordi ſunt; ſed Reccaredi ſubſcriptionem, quia cæteris illuſtrior eſt, hoc loco appingere lubet. Eſt verò hujuſmodi: *Flavius Reccaredus Rex hanc deliberationem, quam cum ſancta definivimus Synodo, confirmans ſubſcripſi.* Epiſcopis olim ceſſiſſe Cardinales, & ſedendi, & ſubſcribendi honore, vel pueris notum eſt. Ubi verò à Romanis Præſulibus ornata privilegiis eorum dignitas eſt, juraque alia aliis addita; primùm Epiſcopis præferri cœpti ſunt, deinde Metropolitanis & Primatibus, denique Patriarchis. Unde in Lateranenſi Synodo ſub Paſchali II ante Metropolitanos ſubſcripſerunt; in Florentina & Tridentina ante Patriarchas. Sed de his poſtea pluribus.

IV. Et Abbates & Comites in Hiſpania & Anglia.

Abbatum & Procerum in ea re, qua de hîc agitur, par

SUBSCRIBENDI RATIO.

propè ratio eſt: eodem enim ferè tempore, cùm in Hiſpania, tum in Anglia, iis datum eſt, ut Synodis & adeſſent & ſubſcriberent. Proceribus nec una, nec certa ſubſcribendi lex fuit: modò enim Dux Comiti, modò Comes Duci prælatus, ut in Toletanis Conciliis videre eſt. Abbates non Proceribus modò, ſive Comites eſſent, ſive Duces, præpoſiti, ut ex Toletanis VIII, XI & XII, Becanceldenſi, & Londinenſi ſub Ecberto Rege, cuivis intelligere licet; ſed ipſis etiam Epiſcoporum, qui aderant, Vicariis, quod ex Toletana XII diſcimus: qua de cauſa id factum ſit, caſu, an de induſtria, incertum eſt. Quinetiam Toletanæ XIII cùm adeſſent Abbates multi, quorum alii ſuo, alii Epiſcoporum abſentium nomine venerant: qui ſuo, priùs ſubſcripſerunt; qui alieno, poſteriùs.

V. Et in Gallia quo loco.

Sub Pippino Carolóve Magno ad Synodos admitti cœpti ſunt in Gallia & Abbates & Proceres: nuſquam tamen eorum ſubſcriptiones videris; quòd tum neglecta à Gallis ſubſcribendi conſuetudo: quòd enim multò antè Arauſicano II ſubſcripſerant Patricii & viri illuſtres, non certa lege, ſed caſu factum eſt; quia Liberius Galliarum olim Præfectus & Epiſcopos & illuſtres è vicinis provinciis viros ad Baſilicæ dedicationem invitaverat. Abbates in Conciliis Italiæ ſubſcripſiſſe, cùm multæ teſtantur Synodi, tum præcipuè Florentina & Tridentina. De Comitibus & Ducibus nullum, quod ſciam, extat veſtigium.

VI. Abbatiſſæ

Quæret fortè hoc loco ex me quiſpiam, num etiam ad Synodos Abbatiſſæ convenerint. In Italia, Gallia, Hiſpania, Germania nullum, niſi mea me fallit opinio, exemplum eſt; in Anglia unicum: Synodo enim Becanceldenſi anno DCXCIV aderant Abbatiſſæ, quibus etiam datum illud eſt, ut ante Preſbyteros & Duces ſubſcriberent.

CONSIDENDI RATIO.

CAPUT IV.

De conſidendi ordine inter Epiſcopos.

I. Idem ferè conſidendi ordo, qui ſubſcribendi.

DE conſeſſu Epiſcoporum in Conciliis eò brevior ero, quò in ſubſcriptionibus longior fui. Idem enim propè & conſidendi & ſubſcribendi uſus fuit, maximè poſt Epheſinam Synodum; nam antea paulò diverſus erat: quòd tum in conſidendo, aut dignitatis, aut ordinationis ratio haberetur; in ſubſcribendo, provinciarum. Poſtea verò perpetua ut plurimùm conſuetudo obtinuit, ut pro ſua quiſque dignitate, aut honoris ævo, & ſederet, & ſubſcriberet. Synodi aliæ habitæ ſunt à Græcis, ut Nicæna, ut Calchedonenſis, &c. à Latinis aliæ, ut Lateranenſes, Lugdunenſes, &c. aliæ ab utriſque, ut Florentina: præterea aliæ ſunt nationales, aliæ provinciales. Synodis adfuerunt interdum Summi Pontifices, Imperatores, Patriarchæ, &c. Legati Regum, &c. Quo quiſque loco ſederit, paucis dabo.

II. Honeſtiori loco conſidebant Legati, deinde Patriarchæ, &c.

Legatis Romani Antiſtitis cùm in Occidente, tum in Oriente ſiniſtra, qui locus honoris, ſemper data eſt: ſiniſtræ enim præcipua ſemper fuit in Conciliis ac perpetua dignitas. Legatis proximè aſſidebant Patriarchæ; ſed eorum ſingulis non certus locus erat: honeſtiorem habuit ſemel atque iterum Alexandrinus, Conſtantinopolitanus multò ſæpius. Ut alter altero plus poterat, aut minùs, primas tulit in Synodis, aut ſecundas. In Nicæna infra Legatos ſiniſtram tenuit Alexander Alexandrinus; in Calchedonenſi Anatolius Conſtantinopolitanus, ſive metu Dioſcorus ei loco ceſſerit, ſive id ſibi quaſi ſuo jure tribuerit Anatolius. Euſtathius Antiochenus in Nicæna principem locum ad dexteram obtinuit; in Calchedonenſi ſecundum ad lævam Maximus. Is etiam honos Hieroſolymitano Epiſcopo habitus eſt, ut in utraque Synodo ſecundus ſederit: à læva Nicææ Macarius, à dextra Juvenalis Calchedone.

III. Tum Primates, Metropolitani, &c.

Poſt Patriarchas Primatum, ut potior autoritas, ita honeſtior locus erat: ii erant omnino tres, Thraciæ Heracleen-

CONSIDENDI RATIO.

ſis, Epheſinus Aſiæ, Ponti Cæſareenſis. Illis proximus erat Theſſalonicenſis Vicarius, qui juſſu Romani Præſulis toti Illyrico præerat. Huic aſſidebat Epiſcopus Carthaginenſis, ut ex quinta Synodo intelligere licet: deinde ut plurimùm Conſtantinæ, ſive Salaminæ in Cypro Epiſcopus, tum Metropolitani omnes: pòſt, qui nullos ſibi obnoxios habebant Epiſcopos, vacuo honoris titulo Archiepiſcopi, ut in octava Synodo legere eſt: denique meri Epiſcopi. In medio thronus erat pretioſa ornatus veſte, cui impoſitus Evangeliorum codex, ſincerus Catholicæ veritatis interpres: plura aliquantò pòſt adhibita ſunt ornamenta; poſitus enim ſupra altare, accenſi circùm cerei ſex, SS. Petri & Pauli hinc inde ſive capita ſive ſtatuæ.

IV. Pòſt Protothroni.

Fuit illud in Synodis, tum nationalibus, tum provincialibus, ſingulare, quòd ſi quis eſſet Protothronus, is cæteros in diœceſi Metropolitanos, Epiſcopos in provincia, loci prærogativâ vinceret, proximuſque aſſideret, aut Patriarchæ, aut Metropolitano. Protothroni fuerunt in Orientali diœceſi Tyrius Epiſcopus, in Italia Oſtienſis, in Phœnicia Beritenſis, Nicænus in Bithynia, in Lugdunenſi prima Auguſtodunenſis, Carnotenſis in Senonenſi provincia, in Cantuarienſi Londinenſis, in ſecunda Belgica Sueſſionenſis, & in aliis provinciis alii, quos appellare infinitum ſit. Alienæ etiam ſive provinciæ, ſive diœceſis Epiſcopo, maximè, ſi vel ingenio, vel pietate nobilis erat, vel ſenio conſpicuus, præcipuus quidam delatus honos.

V. Si nunc celebretur Synodus œcumenica, quo loco Patriarchæ, Primates, &c.

Si generalis Synodus id temporis habeatur, hæc ferè eſt, ſi Jacobatio aliiſque credimus, conſidendi ratio. Primum locum, ut par eſt, obtinet Summus Pontifex, princeps & moderator totius Concilii; ſecundum Oſtienſis Epiſcopus, cujus eſt conſecrare Romanum Antiſtitem; tertium Conſtantinopolitanus Patriarcha, qui Innocentii III, Conciliique Lateranenſis ſuffragio prælatus eſt cæteris; quartum Alexandrinus; quintum & ſextum reliqui duo, Antiochenus & Hieroſolymitanus. Hos excipiunt Occidentis Patriarchæ, aliis nomine quidem pares; re tamen & dignitate inferiores multò, Aquilegienſis, Bituricenſis, Venetus, Cantuarienſis, quibus, ut nonnullis placet, Piſanus additur. Deinde ſedent

Primates, ut Lugdunenſis, ut Toletanus, &c. tum ii Germaniæ Antiſtites, penes quos jus eſt eligendi Imperatoris, Moguntinus, Colonienſis, Trevirenſis: pòſt Archiepiſcopi, denique Epiſcopi, Protonotarii, Abbates, quibus mitræ, ut dicitur, inſigne permiſſum eſt; religioſorum Ordinum Vicarii Generales, Abbates, quibus mitræ uſus prohibitus; Canonici, &c. CONSIDENDI RATIO.

VI. Cardinales & Electores Imperii.

Miretur fortè quiſpiam, cur omiſſi ſint à nobis Cardinales. Factum id de induſtria: iis enim, nec ulla lege præſcriptus, nec jure certus locus eſt. Sunt, qui Primatibus eos anteponant: ſunt, qui inferioris notæ Patriarchis: ſunt, qui Patriarchis omnibus, quibus ego vehementer aſſentior. Quis enim vel leviter eruditus id diffiteri audeat, cùm in Synodis & Lateranenſi V & Tridentina, Latinis, ut loquuntur, Patriarchis; in Florentina Græcorum etiam Vicariis prælati ſint: ea enim dignitas una papali minor longè præſtat cæteris, ut ſcribit Henrico Cantuarienſi Eugenius IV. Quanquam ſi eadem eſſet, quæ aliàs, Patriarchæ Conſtantinopolitani poteſtas, vereor, ut ille tot Cardinalibus cederet, qui cum Romano ipſo Pontifice toties contenderit: nec mihi multùm probatur, quòd Aquilegienſem, Bituricenſem, & alios ejus generis Patriarchas, & Primatibus, & Electoribus, ut vocant, Imperii præferant. Annon potior autoritas & Moguntini Epiſcopi in Germania, & in Gallia Lugdunenſis, & Toletani in Hiſpania, quàm, aut Aquilegienſis in Italia, aut in Gallia Bituricenſis: illuſtres illi quidem titulis, ſed re & poteſtate aliis longè impares. Cùm inde contentiones & diſſidia ſæpe oriri ſoleant, prudenter ſanè in Tridentina Synodo ſancitum eſt, ut nulla ſedis, ſed ordinationis tantùm ratio haberetur: ita tamen, ut Metropolitanis, quàm meris Epiſcopis, locus daretur honeſtior. Ne quis verò quid inde novi juris ſibi tribueret in poſterum, proviſum eſt.

LOCI PRÆROGATIVA.

CAPUT V.

De loci prærogativa inter Principes.

I. Quo loco Imperator.

UT Epiſcopis, ita etiam Principibus pro cujuſque dignitate alius aliis locus conceſſus eſt. In Synodo Nicæna Conſtantinus, in Calchedonenſi Marcianus, inter utrumque Epiſcoporum ordinem medii pro cancellis ſederunt; in Synodo tamen Florentina locus honeſtior Joanni Palæologo datus eſt: ſiniſtra enim Latinis permiſſa eſt, Græcis dextera. Tum hoc ordine deſcripta Synodus erat: ad lævam principem locum habuit Eugenius IV Summus Pontifex; ſecundum, Latini, qui aberat, Imperatoris ſedes; tum Cardinales, Patriarchæ, Primates, &c. In dextera parte primus aſſedit Joannes Palæologus Imperator; deinde Joſephus Græcus Patriarcha; poſt, Patriarcharum aliorum Vicarii, &c. Quantùm inter Patriarcham Græcum & Romanum interſit, vel ex eo quivis intelligat, cùm Græcus Imperator illum præcedat, huic loco cedat Latinus.

II. Singuli Regum Legati.

Quo verò loco ſinguli Principum Legati aliàs ſederint in Synodis, paucis accipe. Primas tulit Imperator, ſecundas Francorum Rex, hoc uno Imperatoribus minor, illis & nobilitate generis, & aliis ornamentis longè ſuperior: tantaque religione ea ſedendi, ſive lex, ſive conſuetudo ſervata eſt, ut ne in mentem quidem venerit cæteris Regibus ante annum MDLVIII cum Rege Galliæ de loci prærogativa contendere. Hos excipiebant Reges Caſtellæ, Aragoniæ, Luſitaniæ, quibus parem ſibi honorem tribuebat Angliæ Rex: deinde Siciliæ Rex, qui Luſitano: Scotiæ, qui Hungaro ſuperiorem ſe prædicabat: denique cæteri Reges Navarræ, Bohemiæ, Poloniæ, Daniæ, &c.

III. Ducum & cæterorum Principũ

Regibus, ut dignitate, ita loci honore proximi erant Duces, è quibus agmen ducebat Dux Britanniæ, tum Burgundiæ; Bavariæ Comes Palatinus, Dux Saxoniæ, Marchio Brandeburgenſis, Duces Auſtriæ, Sabaudiæ, Mediolani, Venetiarum, Bavariæ, Lotharingiæ, Borbonius, Aurelianenſis, Genuenſis, & Ferrarienſis. Eo tamen quo recenſui ordine, omnes conſediſſe præſtare non auſim; habeo tamen hujus rei

teſtes idoneos Paridem de Graſſis, qui ſub Julio II in illud argumentum libellum edidit, & ipſum etiam Julium II in ea, quam ad Principes Chriſtianos ſcripſit, epiſtola contra Cardinales, qui ab ipſo deſciverant: nec ego ſum neſcius multorum, quos appellavi, Principum ſtirpem jam penitus extinctam, ut Ducum Britanniæ, Burgundiæ, Mediolani; multos etiam ab his temporibus exortos Principatus, ut Florentiæ, Mantuæ, Parmæ, &c. Aliorum verò jura multis decorata honoribus, ut Ducum, tum Venetiæ, tum Sabaudiæ, quibus quæ à me dicta ſunt, vel minimùm nocere nolim. Quis cujuſque locus fuerit tempore Synodi Baſileenſis, breviter expoſui; quis cuique noſtra ætate debeatur, nec mei juris eſt definire, nec conſilii.

LOCI PRÆROGATIVA.

IV. Triplici è capite repetitur regni dignitas.

Non abs re fuerit, ſi hoc loco de Francorum Regum præ cæteris dignitate diſſeramus uberiùs. De loci prærogativa cùm agitur, è duobus Regibus uter præſtet alteri, triplici è capite repeti vulgò ſolet; è regni antiquitate; è Regum potentia; ex conſuetudine diuturno uſu firmata. De regni ſive Gallici, ſive Hiſpanici antiquitate dicemus in parte hujus Libelli altera, ubi de Chriſtianiſſimi appellatione diſputatur. Utrius verò, Franci, an Hiſpani Regis potior ſit autoritas, majótve potentia, ne cui dubium ſit in poſterum, perfecit Ludovici Magni fortitudo, prudentia, felicitas. Quàm Hiſpania hac in parte cedat id temporis Galliæ, loquuntur captæ ſive in Belgio, ſive in Germania urbes propè innumeræ, victique ſæpius tum navalibus, tum terreſtribus præliis Batavi, Belgæ, Dani, Hiſpani, permixtique ex variis gentibus Germani; & pacis, quo ad gloriam nihil eſt illuſtrius, cuique pro arbitrio præſcriptæ leges, quæ paucis annis à Ludovico Magno perfecta gloriatur Gallia, mirantur gentes exteræ, vix credent poſteri.

V. Regis Hiſpani nomine intelligitur Caſtellanus.

Supereſt igitur, ut paucis, quoad fieri poterit, videamus, uter tum è duobus Regibus, ſi quando fuerunt unà; tum ex ipſorum Legatis, Gallus, an Hiſpanus, ſive in Synodis, ſive apud alios Reges primas tulerit. At hoc loco annotare operæ pretium eſt, Regis Hiſpani nomine non Aragonium, ſed Caſtellanum intelligi: Aragoniis enim nunquam venit in mentem cum Francis de loco contendere, qui vel An-

LOCI PRÆROGATIVA.

glis cederent: nullos verò, quanquam plurimi ſunt, Francos Scriptores in eam rem proferam, ne quis plus ab iis gratiæ, quàm veritati datum ſuſpicetur: utar & publicis Conciliorum actis, & Italis Scriptoribus, & etiam ſæpe Hiſpanis: illorum enim fides, cur cuiquam dubia ſit, nihil eſt; horum verò autoritatem nemo Hiſpanus, ſi ſanus eſt, reſpuat. Hujus porro controverſiæ duplex veluti eſt ætas; prima à Sanctio IV ad Philippum II; altera à Philippo II ad nos uſque pertinet: in utraque non omnia quidem, ne longiores ſimus, ſed illuſtria quæque exempla ſelegimus.

VI. Francus primas tulit in colloquio tum Philippi Pulcri & Sanctii IV.

Bis Galliæ & Caſtellæ Reges conveniſſe memoriæ proditum eſt: primùm quidem, Philippum Pulcrum & Sanctium IV anno MCCXC; deinde Ludovicum XI & Henricum IV anno MCCCCLXII. Utrique Galliæ Regi plus honoris, quàm Caſtellano delatum eſt: Bayona enim, quæ jam tum Gallicæ dirionis erat, ad colloquium delecta; in alienam verò venire ditionem, inferioris eſſe nemo neſcit. Ubi enim par Regum dignitas fuit, vel in Imperii finibus, qui vel neutrius eſſent, vel utriuſque, vel inter medias acies conventum eſt. Ita Robertus Galliæ Rex & Henricus Imperator ſuper Moſam flumen: ita Philippus Pulcher & Albertus Imperator in regni utriuſque finibus anno MCCXCIX: ita Matthias Hungariæ, Caſimirus Poloniæ, & Ladiſlaus Bohemiæ Reges anno MCCCCLXXIII inter medias acies; & aliis temporibus alii mutui colloquii causâ convenerunt, ut tradit Bonfinius dec. 4 l. 3.

VII. Tum Ludovici XI & Henrici IV.

Plus etiam Ludovico XI anno MCCCCLXII ab Henrico Caſtellano datum eſt: is Garibayo teſte, & Vedaſum flumen (Gallici regni limes erat) cum ſuis trajecit; & ad locum ubi habendum colloquium erat, poſterior venit: quæ duo inferioris ſunt & honorem deferentis. Nec abnuit Mariana & ipſe Hiſpanus, cujus verba ſunt hæc: *Vedaſum flumen Cymbis à noſtris trajectum, quod Gallicæ majeſtati datum puto.* Fuit enim certa honoris & perpetua lex, ut qui dignitate ſuperior eſt, eò, ubi inſtituendum colloquium, priùs accedat; qui inferior, poſteriùs, ut hic ad alterum honoris ergò venire videatur: quod aliàs ſemper uſurpatum eſt; ſed tum maximè cùm Franciſcus I Leonem X Bononiæ, & Clementem VII Maſſiliæ,

Maſſiliæ; cùm Carolus V Bononiæ Clementem VII, & Paulum III Lucæ convenit: uterque enim ad Pontifices, quorum potior dignitas erat, acceſſiſſe perhibetur.

VIII. In Synodo Conſtantienſi.

Tribus in Synodis Legatos, tum Galliæ, tum Caſtellæ, unà fuiſſe certum eſt, in Conſtantienſi, Baſileenſi, & Lateranenſi V. In omnibus prælarúſne ſit Gallus Hiſpano, an ſecus, dubitabit nemo, qui quæ ſubjicimus, teſtimonia vel ſemel legerit. Ita de Conſtantienſi teſtantur acta Synodi ſeſſ. 22: *In primo loco ſedebat egregius vir Joannes de Gerſono, Cancellarius Eccleſiæ Pariſienſis, ſacræ Theologiæ Profeſſor, Ambaſiator Francorum Regis; & poſt eum ſedebat Dominus Ioannes Raymundus Folch, Comes Cardonæ, Ambaſiator Aragonum Regis.* Hæc enim in Synodo conſidendi ratio fuit: principem locum obtinuit ad dexteram Gallus, Anglus ad ſiniſtram; illi aſſedit Aragonius, huic Siculus, quibus proximus erat Burgundus.

IX. In quo Anglus & Hiſpanus cōtendunt. *Hiſt. de Salm. l. 3. c. 14.*

Sub hæc Conſtantiam adveniunt à Rege Caſtellæ Legati duo, Diegus *de Anaya*, Conchenſis Epiſcopus, & Martinus Fernandus *de Cordoüa*. Iis cum Burgundo, ſi Gonſalvo *d'Avila* credimus; vel cum Anglo, ut refert Antonius de *Vera* & *de Cuniga*, quod verius putem, de loci prærogativa contentio fuit. Primùm verbis, deinde per vim res acta eſt: id enim non illepidum de Conchenſi Epiſcopo fertur; verè, an falsò, viderint alii. Is cùm procero & robuſto eſſet corpore, Anglum, qui puſillus erat, vi è loco abripit; fruſtraque renitentem per templum ſublimem defert in locum & ſecretiorem & profundum, ubi defunctorum cadavera humari moris erat; cumque deorſum projicit; tum ad Epiſcoporum conſeſſum reverſus, Fernando de Cordoüa ſubridens, *Quod Sacerdotis eſt*, inquit, *præſtiti; tuum eſt, quod eſt militis, perficere. Yo como Clerigo he hecho lo, que devia, vos como cavallero hazed lo, que yo no puedo.* Sive cum Burgundo, ſive cum Anglo contenderit Caſtellanus, nihil ad nos; certè non cum Gallo, cui, ut alii duo, quibuſcum lis erat, & ipſe ceſſit.

X. In Baſileenſi. *L. 14. c. 24. & l. 1. de geſtis Baſileenſ.*

In Baſileenſi Synodo Gallum Oratorem præ Caſtellano primas tuliſſe, cùm autor eſt Surita Hiſpanus; tum maximè qui aderat, Æneas Sylvius: quorum ille teſtatur Legatis

S

LOCI PRÆROGATIVA. imperatum à Rege, ut primum poſt Gallos locum occuparent: *Y ſe les ſennalaſſe el primer lugar deſpues de los Embaxadores del ſereniſſimo Rey de Francia: aſſi quanto al honor, como en el voto.* Apud Æneam Sylvium Galli Oratores, quod certum majoris dignitatis indicium eſt, ante Caſtellanos ubique & appellantur & loquuntur. *Ex Oratoribus Cæſaris Lubecenſis Epiſcopus & Georgius miles; ex Gallicis Archiepiſcopus Turonenſis & Trecenſis Epiſcopus, ac Collegæ alii; ex Caſtellanis Concenſis Epiſcopus.* Eodem etiam libro: *Primus Lubecenſis de concluſione conqueſtus eſt: Turonenſis autem Archiepiſcopus videri ſibi dicebat. Concenſis verò Epiſcopus Orator Regis Caſtellæ, &c.*

XI. Ut refert Æneas Sylvius. Quin etiam & Concilii Præſes Cardinalis Arelatenſis Gallos Oratores ſecundo loco appellat, tertio Caſtellanos: *Arelatenſis Imperialium primo Nuntiorum deſideria laudavit: Oratorum verò Franciæ petitionem juſtiſſimam eſſe reſpondit. Quod autem Concenſis tantùm quereretur*, &c. Et in Concilii hiſtoria ita Æneas Sylvius, cujus verba, quia ad nominis Gallici gloriam pertinent, adſcribere libuit: *Ego autem*, inquit, *non timebo nationum ſervare ordinem, qui Conſtantiæ fuit ſervatus: nec mihi invidiam timeo, quia nec prapoſitis gratiam, nec poſtpoſitis injuriam faciam: ordinem namque iſtum, neque nobilitas, neque majoritas, ſed tempus peperit: quia ut quæque natio verbum Dei priùs ſuſcepit, ſic prior habetur.* Tum nationes ſingulas, ſuo quamque ordine appellat; primò Italam ob Romanæ Sedis & Imperii majeſtatem; deinde Gallicam, tum Germanicam, pòſt Hiſpanicam: *Ex natione Gallica*, inquit, *quæ & ipſa ſecunda eſt, cujúſque in Eccleſiam Dei permaxima extant beneficia, nominati ſunt, &c.*

XII. In quo etiam Anglus & Hiſpanus de loco dimicant. Ut in Conſtantienſi Synodo, ita in Baſileenſi, inter Caſtellanum Oratorem & Anglum diſceptatum eſt: unde Caſtellæ Rex Carolum VII rogavit, ut pro veteri, quo Hiſpani Francis devincti erant fœdere, adverſus Anglos, quibuſcum aſſiduum penè bellum erat, partes ſuas in Synodo tueretur: morem geſſit Carolus. Literarum, quas ad Legatos miſit, hæc ſumma fuit: agant nomine ſuo apud Patres Synodi, ut Anglo præferatur Hiſpanus; ſi id vincant, ſubſiſtant Baſileæ; ſin minùs, unà cum Hiſpanis diſcedant. Initium epi-

ſtolæ eſt hujuſmodi: *Nos Amez & Feaux, nous vous avons n'agueres écrit, & fait ſçavoir par noſtre amé & feal Conſeiller, Maiſtre Robert le Maiſtre, Doyen de Bourges, comme noſtre cher & tres-amé Frere le Roy d'Eſpagne a envoyé devers nous l'Archidiacre de Tolede, &c.* Vel inde quivis intelligat, de loci honore cum Gallo adeo non contendiſſe Hiſpanum, ut vel illius opem, ne Anglo cederet, implorarit. LOCI PRÆROGATIVA.

XIII. In Lateranenſi.

Quod ex Synodo Lateranenſi erit multò illuſtrius: in qua cùm ubique paſſim, tum maximè ſeſſione octava, nona, decima, Gallo poſtponitur Hiſpanus. Unum alterúmve teſtimonium apposuiſſe ſatis erit: *Albertus Pius de Carpi Orator Imperatoris; Ludovicus Solier Chriſtianiſſimi Regis Franciæ; Hieronymus Vich Orator Catholici Regis Hiſpaniæ.* Iiſdem penè verbis ſeſſ. 10; nec mirum ſanè Hiſpanum deteriori loco ſediſſe. Dum enim Maximilianus Romanorum Rex Legatos Romam mittere inſtituit, Ferdinandus Aragoniæ Rex, & Caſtellæ Procurator, ſe Gallo inferiorem profeſſus erat, ut autores ſunt Surita & Mariana; ſed Marianæ verba præſtat adſcribere: *Medina Iuriſconſultus, & Bernardinus Carvajalius, apud Romanum Pontificem pro Ferdinando Legatorum partes implebant. Iis mandatum, ut Maximiliani Legatis, quos ad Pontificem miſerat præter morem majorum, ſuperſtite patre Auguſto, ita priores partes concederent; ſi Galli Regis Oratores idem facerent, medios aſſidere non paterentur.* L. 25. c. 12.

XIV. A Romanis Pontificibus Francus prælatus Hiſpano.

Unum eſt quòd hîc annotare non omiſerim. Anna Britanniæ minoris Duciſſa, quæ Ludovico XII nupſerat, Romam Legatos miſit ad Pontificem: iis locus honeſtiſſimus præ cæteris Regum Legatis datus eſt: *Hebbero il primo luogo*, inquit Tomaſo Tomaſi, *ſopra li Ambaſciadori di tutte l'altre Corone; per eſſere repreſentanti una Ducheſſa di Bretagna, che era Regina di Francia.* Idem Franciſco I delatus eſt honor, qui Carolo V, necdum Imperatori, cùm à multis Scriptoribus prælatus eſt, tum maximè à Leone X ſemel atque iterum. Ita enim ſcribit Henrico Angliæ Regi: *Sanè quàm pro mea in rem Chriſtianam pietate gaviſus ſum, & Maximilianum Romanorum Imperatorem deſignatum, & Franciſcum Gallorum Regem, & Carolum Regem Hiſpaniæ ſuper capeſſendo in Turcas bello... ſignificaſſe.* Nec aliter anno MDXVII in Bulla. Vita del Duca Valentino p. 2. p. 151.

LOCI PRÆROGATIVA. de Franciſcanorum diſſidiis: *Nec minùs Principum Chriſtianorum Maximiliani in Imperatorem electi, & Franciſci Chriſtianiſſimi Francorum, ac Caroli Catholici Hiſpaniarum Regum illuſtrium piis provocamur ſupplicationibus & precibus,*

XV. Orta contentione vicit Gallus Venetiis. Aliquantò pòſt Carolus V Imperator Imperium Ferdinando fratri legavit, & Hiſpaniam cæteraſque ditiones Philippo filio. Venetias Philippi nomine Legatus miſſus eſt Franciſcus Vargas, qui pro Carolo haud ita pridem eodem munere defunctus erat: erat enim ſpei nonnihil Gallum Oratorem loco ceſſurum Vargæ, cui jam multis abhinc annis ceſſerat; ſed vertit dedecori, quod laudi fore ſperabatur. Ut primùm Venetias Vargas advenit, honorem loci ubique affectat, obſiſtit Gallus Orator Ludovicus Lodevenſis Epiſcopus, negatque ſe de ſuo jure deceſſurum; inde diſſidium exarſit: ne quid verò tumultûs fieret, decretum eſt à Senatu, ut eo die, qui ſancto Marco ſacer eſt, publicis uterque ceremoniis abſtineret: morem uterque geſſit. Sed venit aliquantò pòſt Venetias à Ferdinando Cæſare Legatus; tumque Franciſcus Noallius Epiſcopus Aquenſis, qui Lodevenſi mortuo ſuffectus erat, vir rerum gerendarum peritiâ inſignis petit à Senatu, ne qua nomini Gallico nota inuratur, & cujus jura eſſent potiora, is locum, ut ab omni memoria factum erat, honoratiorem haberet. Laboratum utrinque vehementer, multaque in utramque partem allata: tandem pro Gallo, cujus cauſa melior, pronunciatum eſt, cauſâque cecidit Hiſpanus; quod Philippo Regi adeo ægrè fuit, ut Vargam Romam abire paulò pòſt juſſerit, negotii cujuſpiam cum Pontifice, ut tum ferebatur, conficiendi causâ: Venetiis tamen Hernandus, qui Vargæ ab epiſtolis erat, relictus eſt.

XVI. Deinde Tridenti in Congregationibus. Anno MDLXIII Legati à Rege Galliæ miſſi ſunt Tridentum Ludovicus Sangelaſius Lanſacius, Ferrerius & Pibracius; ab Hiſpaniæ Rege Lunenſis Comes. Is primùm domi ſe continuit: interea cum Gallis Oratoribus actum eſt, ut honeſtiorem illi locum permitterent; nihil diu profectum eſt: tandem, ne quid ex his contentionibus incommodi in publicam rem oriretur, impetratum ab iis eſt, ut locus Hiſpano ſeorſum daretur; de quo cùm allatum eſſet

in Galliam, malè apud populos & regni proceres audierunt Legati. Interim die 21 Maii *Congregationem*, ut vocant, ingreditur Lunenſis, tumque multa Legatus uterque palam profeſſus eſt: Hiſpanus, locum poſt Legatos Cæſaris ſibi primum deberi, ſtudio tamen ſervandæ pacis uti ſe eo, qui dabatur: contrà Gallus, Chriſtianæ rei commodo indulſiſſe, ut Comes à Luna ſeparatim ab aliis ſederet: tum conteſtatus uterque eſt, ne quod in præſentia ab alterutro factum erat, Regis ſui juribus noceret in poſterum. Denique Gallus in ſuum locum, Hiſpanus ad ſedem juxta menſam ſcribæ conceſſit. Ubi verò Doctor Hiſpanus de more peroravit, continuò Lunenſis è conſeſſu ſe proripit, ne quid iterum contentionis oriretur, uter in egreſſu alteri dexter eſſet, aut ſiniſter: quod ſæpius ab eo deinceps factitatum. LOCI PRÆROGATIVA.

Quòd tamen alia in Congregationibus eſſet, alia in ſeſſionibus conſidendi ratio, incerti quid agerent Legati, qui Synodo præerant, rem omnem ad Summum Pontificem referunt. Is locum Hiſpano ſeorſum ab aliis, quod jam Galli indulſerant, dandum reſpondet; duo etiam thuribula deferenda, duaſque, ut loquuntur, patenas, quæ ſimul Gallo & Hiſpano exhiberentur; caverent in primis, ne qua id emanaret: quòd eâ curâ præſtitum eſt à Legatis, ut nihil omnino ſuboluerit Gallis. Interim dies habendæ ſeſſionis advenit; jamque ſacrum celebrari cœptum erat, cùm è ſacrario allata ſedes locatur inter Cardinalem ultimum, & primum Patriarcham: continuò templum ingreſſus Lunenſis vacuam ſedem occupat: fit ingens tumultus: Cardinalis Lotharingius & Ferrerius (Lanſacus enim jam in Galliam redierat) multa de Legatis conqueſti, proditum ab iis Gallici nominis decus, &c. Sub hæc habetur concio, & partis utriuſque Principes ſecedunt in ſacrarium: ibi vehementer utrinque diſceptatum, dum quiſque gentis ſuæ jura tuetur: itáque inter omnes convenit, ut nec thus in ſacro, nec patena adhiberetur. Hæc quidem Tridenti. XVII. In ſeſſionibus.

Sed anno MDLXIV major etiam Romæ contentio extitit: aderat nomine Philippi Ludovicus Requeſenius, major Caſtiliæ Commendator, ut dicitur, vir & ſplendore generis & prudentiâ clarus: apud Pontificem de loci prærogativa XVII. Romæ ſub Pio IV.

Loci prærogativa.

controverſiam renovat adverſus Galli Regis Legatum. Is erat Henricus Clutinius Oyſellius, vir conſilio & manu promptus, cui jam Pontifex ſua jura rata fore receperat. Laboratum vehementer, ut aliqua, ſi fas erat, iniretur concordiæ via; ſed nihil, quod probaretur utrique repertum, quòd Hiſpanus aut primum locum ad ſiniſtram ambiret, aut ſecundum ad dexteram. Rem de induſtria trahebat Pontifex, ne quid offenderet: at cùm magis in dies inſtaret Requeſenius, illi Pius ſignificari jubet jura Gallorum potiora videri, ipſique nefas eſſe locum, quem ex omni propè memoria, & generis nobilitas & innumera in Romanam Sedem beneficia dederant, iis adimere. Ut hæc audiit Requeſenius, continuò Pontificem adiit, & coram tribus quatuórve teſtibus violatam ab eo Hiſpanæ gentis dignitatem conqueſtus, primas Philippo Regi præ Gallo deberi conteſtatus eſt, & paulò pòſt, ſive dolore, ut ipſe jactabat, acceptæ injuriæ, ſive Philippi Regis juſſu, Româ diſceſſit.

XIX. Sub aliis Pontificibus.

Infinitus ego ſim, ſi omnia quæ occurrunt exempla, ſigillatim perſequar: Europæ enim penè totius judicio primas tulerunt Francorum Regum Oratores, ut Bellevræus Curiæ apud Rhætos anno MDLXIV, ut Monlucius in Polonia anno MDLXXIII. Verbini dum de pace agitur anno MDXCVIII Bellevræus & Sillerius, & multò pòſt tum Avaltius Haphniæ anno MDCXXXIII, tum Thuanus Hagæ-Comitis anno MDCLVII. At nihil ad gloriam illuſtrius, quàm quæ ſubjicio exempla duo: Diegus *d'Alcala* Franciſcanus anno MDLXXXVIII, & Raymundus Pennafortius anno MDCI, in Sanctorum album Romæ adſcripti ſunt: uterque Hiſpanus erat: omnis pompæ apparatus ſumptibus Hiſpani Regis adornatus: erant tum Legati Romæ pro Hiſpano Comes *d'Olivarés* anno MDLXXXVIII, anno MDCI Dux Seſſanus: ille Marchionem Piſanium, hic Sillerium Franci Regis Oratores rogant vehementer, ut ab hac celebritate abeſſe velint, quo quæ opus erant, iis liceret obire munera: negavit uterque: id ſibi integrum, cùm ad Gallici nominis decus pertineret: adfuit uterque, Piſanius anno MDLXXXVIII, Sillerius anno MDCI: uterque Legato Imperatoris proximus aſſedit; Hiſpanus, ne tertio loco ſederet, nullus venit.

Et diuturno uſu & omnium populorum ſuffragio, uti diximus, præ Hiſpano Francorum Rex primas tulerat; cùm Londini multò pòſt iterum turbatum eſt. Anno MDCLXI apud Angliæ Regem Legati erant Eſtradius Comes, & Baro Battavillæus: ille Franci Regis nomine, hic Hiſpani. Solemnem in urbem ingreſſum apparabat miſſus à Rege Sueciæ Legatus; rhedas, ſervos, omnemque comitatum honoris ergò obviam miſit Eſtradius; idem à Battavillæo factum. Dum pompa ducitur, Hiſpani, Gallis præire, qui locus honoris eſt, contendunt; obſiſtunt Galli, rixa oritur, dumque utrinque pugnatur, Angli conducti pecuniâ Hiſpanis auxilio advolant: Eſtradii equi & aurigæ pars cæſi, pars vulnerati: ita cùm deeſſent & equi, rhedas qui traherent, & aurigæ qui regerent, primum locum occupat Hiſpanus.

XX. Hiſpani primum locum per vim Londini occupant.

De quo ut in Galliam allatum eſt, Comes *Fuenſaldaña* Legatus Hiſpani Regis abire continuò juſſus eſt; Marchio de *Fuente* ſublectus in illius locum, ne veniret, prohibitus: tum apud Regem Hiſpanum de illata injuria queritur Ebrodunenſis Archiepiſcopus, ut audaciæ pœnas daret Battavillæus, ut Regi Galliæ fiat ſatis, poſtulat. Paruit Hiſpaniæ Rex: Battavillæus continuò revocatus eſt ex Anglia, juſſique omnes, qui apud Europæ Principes Hiſpani Regis nomine Legati erant, cavere in primis, ne cum Francis in poſterum de loci prærogativa contenderent; miſſuſque in Galliam Marchio de Fuente, qui id Ludovico Regi ſolemnibus verbis coràm profiteretur: quod ab eo 24 Martii die anno MDCLXII coram regii ſtemmatis Principibus, Ducibus pleriſque, & Proceribus regni, cæterorumque Principum Legatis præſtitum eſt.

XXI. Rex Hiſpanus Franco cedere ſe profitetur.

Illius verba, quia non ſunt omnibus obvia, deſcribere libitum eſt: *Me ha mandado aſſegurar à V. Mageſtad de como à embiado ſus ordenes à todos ſus Embaxadores, y Miniſtros, aſſi in Inglatierra, como en todas las demas Cortes, y partes donde reſiden y reſidieren los dichos Miniſtros, y pueden offrecerſe ſemejantes difficultades en razon de competencia, paraque ſe abſtengan y no concurran con los Embaxadores y Miniſtros de V. Mageſtad en todas las fonciones y ceremonias publicas, à laſquales los Embaxadores y Miniſtros de V. Mageſtad aſſiſtieren.*

XXII. Verba Legati Hiſpani.

XXIII. Anglus ſæpe Hiſpano præpoſitus.

Hæc paulò uberiùs perſecuti ſumus, quòd & id tempo-

LOCI PRÆROGATIVA.

poris multi ea cognoſcere cupiant, &, ut olim Carthago Romani, ita Hiſpania Gallici Imperii gloriam & decus æmuletur. Quæ verò ad alios Europæ Reges pertinent, paucis perſtringimus. Cæteris enim ſive Sueciæ, ſive Daniæ, ſive Poloniæ, &c. nulla cum Francis de loco dimicatio fuit: fuit quidem cum Hiſpano & Sueciæ Regi in Synodo Baſileenſi, & Anglo à trecentis plus minùs annis, nec temere: ſæpe enim Angliæ Regem Hiſpano prælatum legere eſt, ut bis à Concilio Conſtantienſi. Semel ſeſſ. 24. *Et poſtmodum ex parte dicti Regis Franciæ, necnon clariſſimorum Eccleſiæ filiorum Angliæ & Caſtellæ Regum per ſuos ſolemnes Ambaſſiatores.* Iterum dum citatur ad judicium Petrus de Luna: *Necnon Legatos Franciæ, Angliæ, & Caſtellæ Regum prædictorum.* Ut in hac Synodo, ita in Baſileenſi diſceptatum eſt. Suos viciſſe, & Angli & Hiſpani prædicant: quare nihil inde certi elici poteſt. Locum certè honeſtiorem Anglis ad tempus Romæ indulſit Julius II, Volaterano teſte l. 5. *Julius*, inquit, *quanquam rem minimè cognovit, locum honoratiſſimum pro tempore Anglis adjudicavit.* Unde cuivis intelligere licet, quo jure cum Franco contendat Hiſpanus, qui Anglo dignitate interdum inferior, ut plurimùm par, rarò ſuperior extiterit.

XXIV Qui tamen ſemper ceſſit Francis, dum eſſet fiduciarius.

Angliæ verò Regem Franco ceſſiſſe, ipſius fiduciarius dum fuit, & poſtquam eſſe deſiit, hæc pauca, quæ ſelegimus, docebunt exempla. Coronam Remis dum ſuſcipit à Willelmo Cardinale Philippus Auguſtus, Henricus II Angliæ Rex, qui aderat, eadem, quæ cæteri Principes, exhibuit officia, ut ſcribit Rigordus: *Coronatus eſt Remis adſtante Henrico Angliæ Rege, & ex una parte coronam ſuper caput Regis Franciæ ex debita ſubjectione humiliter portante.* Anno MCCLIV aderant Lutetiæ unà cum Ludovico IX Galliæ Rege, Henricus III Angliæ, & Theobaldus II Navarræ Reges. Hic ad menſam conſidendi ordo fuit: medius conſedit inter utrumque Ludovicus, Henricus ad dextram, ad ſiniſtram Theobaldus. Cùm verò medium locum, qui honeſtiſſimus eſt, Ludovicus deferret Henrico, reſpondiſſe fertur: *Non, Domine mi Rex, decentiùs ſedetis modo ſcilicet in medio & digniùs, Dominus enim meus es & eris.* Ita Patiſius. At hæc vulgaria ſunt. Quod ſequitur, planè ſingulare. E filiis S. Ludovici natu maximus

ximus obierat : pueri corpus, ut refert Guillemus de Nangiaco, Henricus Angliæ Rex anno MCCLIX humeris extulit : *In craſtino verò Rex Angliæ Henricus & nobiliores Barones Franciæ & Angliæ corpus defuncti aſſumentes aliquantulam partem itineris propriis humeris portaverunt.*

LOCI PRÆROGATIVA.

XXV. Et poſtquã fiduciarius eſſe deſiit.

Poſtquam receptæ ſunt de Anglis, quas in Gallia tamdiu obtinuerant, provinciæ, locus honoris Francis Regibus ſemper ab Anglis delatus eſt, quod, ut à pluribus exemplis abſtineam, vel ex uno Franciſci I & Henrici VIII colloquio colligere eſt. Henricus in ludicra equitum pugna Franciſci ſcutum ad dexteram, ſuum ad ſiniſtram appendi juſſit : in Sacello Henricus Franciſco ſiniſter aſſedit, & Evangelii codicem poſterior deoſculatus eſt ; & aliquantò pòſt Franciſcum, quod inferioris eſt, Bononiam convenit. Anglos etiam Francis inferiores Cambdenus ipſe profitetur, cujus hæc ſunt: *Quandoquidem in confeſſo ſit Anglorum Reges Gallis ſemper primas detuliſſe.* Unde quis fortè nec immeritò miretur, quid in mentem venerit Anglis in Polonia Legatis anno MDCXXIX & MDCXXXV ſe Francis pares prædicare ; primas tamen de more tulerunt Franci Oratores, primùm Charnaſſeus, deinde Avaultius : ante Anglos enim ille in pactis appellatus eſt, hic initi fœderis inſtrumento ſubſcripſit.

XXVI. Francus Rex Rege Romanorum ſuperior.

Reliquum eſt, ut de Romanorum Rege paucis agamus. Illiúſne, an Franci Regis dignitas potior ſit, nullius eſt operæ definire : cùm jam jam ſuper hac re tum à Romanis Pontificibus, tum à Tridentina Synodo pronunciatum ſit. Verba juvat apponere. Ita Clemens VII anno MDXXXV epiſtolâ ad Franciſcum Regem, quâ Concilium indicit : *Ut cum Cæſaris ac tuo, & Romanorum Regis, cæterorumque Principum ac Potentatuum unanimi voto & conſenſu.* Id etiam de Tridentina Synodo diſertis verbis affirmat, qui aderat, Thomas Campegius Epiſcopus Feltrenſis : *In Concilio Tridentino die 29 Januarii* MDXLVI *priùs recitatæ fuerunt literæ ſacri Concilii mittendæ Chriſtianiſſimo Regi, quàm aliæ ad Romanorum Regem.* Cumque inter Legatos Franci Regis & Ferdinandi Regis Romanorum orta eſſet de loco controverſia ; Ferdinandi Legati vel Francis cedere, vel abeſſe juſſi ſunt, ut ſcribit Pallavicinus. *Tom. 1. l. 8. c. 3.*

LOCI PRÆROGATIVA. XXVII. A Romanis Pontificibus proprio ſemper nomine appellatus, alii non item.

Inde factum eſt, ut Romani Pontifices, ſi quando encyclicas ad Chriſtianos Reges mittunt epiſtolas, Imperatorem & Franciæ Regem proprio nomine appellent, cæteros non item. Exemplo nobis ſint Leo X & Paulus III, quorum ille in Bulla anno MDXVI de Lateranenſi Synodo: *Clariſſimus*, inquit, *in Chriſto filius noſter Maximilianus in Imperatorem electus Julii Papæ II. prædeceſſoris noſtri; noſtro verò tempore clariſſimæ memoriæ Ludovicus Francorum & cæteri Reges & Principes Chriſtiani, &c.* Illuſtriores etiam titulos adhibet Paulus III anno MDXLII in Bulla, quâ Synodum Tridentum convocat: *Clariſſimos in Chriſto filios noſtros Carolum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, & Chriſtianiſſimum Regem Franciſcum, duo præcipua Chriſtiani nominis firmamenta atque ſubſidia, necnon cæteros Reges, Duces, Principes, rogantes atque obſecrantes ipſimet ad ſacri Concilii celebrationem veniant.*

XXVIII. In eam ſummorum virorum teſtimonia.

Selecta quædam clariſſimorum Scriptorum teſtimonia, quia ad id quo de agimus, maximè pertinent, hoc loco ſubjicere libitum eſt. Hæc Campegius: *Omnium conſenſu receptum eſt Chriſtianiſſimum Regem primum eſſe inter Reges, & primum ei deberi locum poſt Imperatorem.* Quibus conſonant hæc Baldi Juris ſcientiâ percelebris verba: *Super omnes Reges Chriſtianorum Rex Francorum obtinet coronam libertatis & gloriæ.* Iis conſentit nobilis Venetus obitis Legationibus inſignis Michaël Suriano: *Il Ré di Francia ha havuto ſempre fino à queſti tempi per univerſal conſenſo del mondo il primo luogo di dignita frà tutti li Ré Chriſtiani ſenza contraſto.* Haud abſimilia ſunt hæc Joannis Hadriani, qui Medicæorum ſcripſit Hiſtoriam: *Per li ordini antichi il Chriſtianiſſimo dopo l'Imperadore ha ſempre tenuto per tutto il luogo piu degno.* Quod verò Imperatori loco cedat Rex Galliæ, cave, ne inde putes Galliæ Regi præſtare Imperatorem: eadem enim utriuſque dignitas eſt; Galli etiam & major potentia, & auguſtior generis nobilitas. Id ego datum ſuſpicor, vel veteris Imperii memoriæ, vel Imperatoris appellationi, quæ olim viſa eſt illuſtrior. Sed de his hactenus.

In lit. de autoritate Conc. c. 16.

Conſil. 3. p.

In Relat.

L. 17.

PARS SECUNDA

De Romana Sede.

DISSERTATIO PRIMA.

De inſcriptionibus & clauſulis, quæ Romanorum Pontificum epiſtolis & præmitti, & ſubjungi ſolent.

NON eſt animus hoc loco de epiſtolis, ſive *formatis* diſſerere, ſive *tractoriis*, ſive *encyclicis*; & aliis id genus: nec enim id inſtituti noſtri eſt; ſed in epiſtolis, quæ tum à Romanis Pontificibus ad alios, tum ab aliis ad Romanos Pontifices ſcriptæ ſunt, tota noſtra, quantulacumque eſt, hîc verſabitur induſtria. Videbimus primùm in omnibus, cujuſmodi ſit quæ iis præmittitur inſcriptio: deinde in pontificiis quænam ſit ſolemnis illa, quæ ſubjungi ſolet, clauſula; hoc eſt, qui ſint temporis, quo quæque ſcripta eſt, characteres & notæ. Quare hujuſce Diſſertationis partes erunt omnino tres: prima de epiſtolis Pontificum; altera de epiſtolis quas alii ſive Principes, ſive Epiſcopi miſerunt ad Romanos Pontifices; tertia de ſolemni clauſula & notis temporum. Ea enim noſcere, ad Romanorum Antiſtitum dignitatem nonnihil pertinet, cùm vel inde cuivis intelligere liceat, quantùm Romana Sedes præſtet cæteris.

Diſſertatio in tres partes tribuitur.

CAPUT I.

Quando Romani Pontificis nomen nomini eorum, quibus ſcribit, præponi cœptum eſt.

QUATUOR potiſſimùm excutienda ſunt in iis, quæ Pontificum epiſtolis præfixæ ſunt, inſcriptionibus. Primùm Romani Præſulis nomen nomini illius, cui ſcribit, præpoſitúmne ſit, an ſecus: deinde quæ cognomina ipſe ſibi aſciſcat Romanus Pontifex: tum cujuſmodi ſint honorificæ illæ, quibus adverſus alios utitur, appellationes: denique quænam ſit origo hujus formulæ, *Salutem & benedictionem apoſtolicam*: quæ quatuor quoad fieri poteſt, perſequor paucis.

I. De præponendo nomine nulla lex certa fuit ante Nicolaum

Vereor ut aſſentiri poſſim eruditiſſimo viro, qui in ea ſententia fuit, ut diceret à Leonis Magni temporibus ad Joannem uſque octavum in uſu fuiſſe, ut Romanus Epiſcopus nomen illius, cui ſcribebat, ſuo præponeret: nec illa etiam aliorum mihi probatur opinio, qui nomen Pontificis, quando ad Epiſcopos, alioſque non ſumma dignitate præcellentes ſcripſit, poſitum volunt primo loco; quando ad Imperatores, aut Reges, ultimo. Ego equidem arbitror ante Leonem IV Nicolaúmve I, nullam ſuper hac re certam fuiſſe legem; ſed quemque pro arbitrio nomen ſuum vel prius poſuiſſe, vel poſterius: idque eò mihi ſit ſimilius vero, quòd poſt Leonem Magnum alii nomen ſuum, vel ſemper, vel ut plurimùm præferant cæteris, alii ſecus. Nec id etiam de induſtria, ſed caſu factum eò auguror, quòd unius Pontificis nomen in una epigraphe principem locum occupet, poſtremum in altera; nec ulla tamen eorum, quibus ſcribitur, habita ratio eſt, cùm nomen ſuum nomini meri Epiſcopi qui ſæpe poſtpoſuit, idem poſtea præferat nomini, vel Imperatoris, vel Regis: quod in omnium ferè Pontificum epiſtolis videre eſt. Id verò factum arbitror, quòd illis temporibus, ut & apud veteres Romanos, nec laudi daretur, nec probro, ſi quis ſuum nomen nomini alterius præponeret,

aut ſecus. Sive Tironi, ſive Cæſari Pompeióve ſcribat Cicero, nomen ſuum illorum nominibus quaſi certa lege ſemper præpoſuit. INSCRIPTIONES.

II. Nomen Pontificis nomini Imperatoris ſæpe poſtpoſitū.

Diffiteri tamen nolim Romanorum Antiſtitum nomina, maximè cùm ad Imperatores ſcriptum ab iis eſt, aut ad Reges, ſæpius ultimo poſita loco fuiſſe. Ita à Leone Magno, à Simplicio, à Symmacho, & ab aliis alio tempore factitatum: *Glorioſiſſimo & clementiſſimo Theodoſio Auguſto Leo Epiſcopus, & ſancta Synodus Romæ collecta.* Ita ferè etiam Simplicius: *Glorioſiſſimo ac ſereniſſimo filio Zenoni Felix Epiſcopus in Domino ſalutem.* Haud aliter Symmachus: *Dilectiſſimo fratri Æonio Symmachus.* Exempla, quòd cuique obvia ſint, plura deſcribere nihil opus eſt. Neglecta tamen fuit à multis, uti diximus, ea nominis collocandi ratio: cujus rei exempla, pauca illa quidem, ſed ea inſignia lubet hoc loco appingere, ut de cæteris conjectura fiat. Agmen ducat ſanctus Leo, cujus iſtæ ſunt inſcriptiones: *Leo Epiſcopus dilectiſſimo fratri Flaviano Conſtantinopolitano Epiſcopo.* Ep. 24. *Leo Epiſcopus & ſancta Synodus, quæ in urbe Roma convenit, Theodoſio ſemper auguſto.* Ep. 40. Eodem modo Simplicius: *Simplicius Papa Acacio Epiſcopo Conſtantinopolitano.* Ep. 5. Cui affines ſunt aliæ duæ inſcriptiones, una Felicis I ad eumdem Acacium, altera Hormiſdæ ad Avitum. Extant etiam Gregorii II, Pauli I, & Leonis III inſcriptiones ad principes viros haud abſimiles: *Gregorius ſervus ſervorum Dei dilecto filio Urſo Duci Venetiarum. Paulus ſervus ſervorum Dei præcellentiſſimo filio Pippino Regi Francorum. Leo ſervus ſervorum Dei Carolo Magno Imperatori Romanorum.* Quæ cùm ita ſint, quis neget, nec ſtatum ullum, nec certum nominis, vel præponendi, vel poſtponendi morem fuiſſe ante Nicolai I tempora.

III. Multæ ſuperinſcriptiones mutatæ.

Eſt tamen quòd quis reponat, epiſtolarum inſcriptiones librariorum vitio partim mutatas eſſe, partim mutilas, earumque loco ſæpe ab iis appoſitum, quis, cui, quáve de re ſcriberet, præterea nihil. Imprudens ego ſim, ſi in Regeſto, ut loquuntur, tum ſancti Leonis, tum Gregorii Magni, & in aliis aliorum Pontificum epiſtolis, id factum negem; cùm apud antiquos Scriptores multas eorum epiſtolas legere ſit, quibus longè diverſæ ab iis, quæ nunc extant, præfixæ ſunt

INSCRIPTIONES. inſcriptiones, ut apud Bedam Gregorii Magni multæ ſunt, è quibus duæ ad Arelatenſes Epiſcopos, una ad Etherium, ad Virgilium altera; & Joannes ipſe Diaconus de Gregorio Magno teſtatur, nullam ferme illius fuiſſe epiſtolam, cujus in epigraphe, & ipſe *ſervus ſervorum Dei*, & laïci, ſi ad eos ſcriberet, ***Domini*** non dicerentur: quæ duo tamen abſunt ab iis, quas nunc habemus, inſcriptionibus.

IV. Nicolaus I aliorum nominibus ſuum ſemper præpoſuit.

Sed ut hæc omnia vera ſint, ut reipſa ſunt; nihil tamen nocent opinioni noſtræ: quas enim protuli inſcriptiones, eæ, ut aliæ multò plures, quas, ne longior ſim, deſcribere non libuit, & germanæ ſunt, & ſinceræ, nihilque in eis ineſt vitii, unde quis eas, aut corruptas eſſe ſuſpicetur, aut fictitias: habent enim, quæ honoris ergò tum adhiberi ſolebant adverſus eos, quibus ſcribebatur, appellationes, & aliis illius ævi ſinceris inſcriptionibus, aut ſimiles omnino ſunt, aut conſonæ. Sed hæc omnia nihili ſint: annon Nicolai I epiſtolæ penè omnes hujuſmodi inſcriptiones præferunt, in quibus ipſius nomen principem locum obtinet? Maneat ergò, ante Nicolaum I, quemque nomen ſuum pro arbitrio vel primo loco poſuiſſe, vel ultimo. Id verò ſibi ſumpſit Nicolaus, ut ſemper quaſi certa lege, cùm Epiſcoporum, tum Regum etiam nominibus ſuum præponeret: quæ conſuetudo ad noſtram uſque ætatem propagata eſt. Quæ contrà proferuntur epiſtolæ duæ, una Formoſi, Benedicti VII altera, incertæ fidei ſunt, cùm dubium ſit, an prima vera ſit & germana; ſecundæ epigraphe rectène ſcripta ſit, an ſecus.

CAPUT II.

Quæ cognomina ſibi adſciverint Romani Pontifices.

I. Ea cognomina quinque ferè ſunt.

DE nominibus, quæ ſibi aſcribunt Romani Antiſtites; hæc ferè habeo dicere. Primis temporibus hic ferme, niſi falſus ſum, uſus fuit: modò nuda in epiſtolarum epigraphe appoſita nomina, ut *Cornelius Cypriano fratri ſalutem:* modo adjunctæ aliæ appellationes, quæ, vel ab officio, vel à dignitate vulgò petitæ erant, ut *Epiſcopus*, ut *Papa*; quæ

vox tamen tardiùs adhiberi cœpit, ut, *Dilectiſſimo fratri Ravennio Leo Papa.* Deinde urbis, cui uterque præerat, ſæpe nomen additum, ut, *Leo Epiſcopus urbis Romæ, Anaſtaſio Epiſcopo Theſſalonicenſi.* Tum ſi de rebus, quæ vel ad fidem, vel ad ſchiſma, vel ad alia id genus pertinent, in epiſtola ageretur, aut Sedes, aut Eccleſia, vel catholicæ, vel apoſtolicæ appellatione ſæpe cohoneſtata eſt. Ita Felix in ea, quâ Acacium fidelium cœtu prohibet, epiſtola: *Felix Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ catholicæ urbis Romæ Acacio.* Aliquando etiam omiſſum urbis nomen, ut à Vigilio: *Vigilius Epiſcopus Eccleſiæ catholicæ univerſo populo Dei.* Denique uſus obtinuit, ut cognomen illud, *ſervus ſervorum Dei*, ſæpius quàm cætera adhiberetur, ut, *Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Michaëli glorioſo Imperatori Græcorum.* INSCRIPTIONES.

II. Romani Pontifices non uſi ſunt magnificis titulis.

Hæc ferè ſunt nomina, quæ ſibi adſciverunt Romani Præſules: nullus enim, quod ſciam, uſurpavit ſplendidas & magnificas illas appellationes, quibus ab aliis Epiſcopis Romani Pontifices inſigniti ſunt: ut *Pater Patrum, Summus Pontifex, Princeps Epiſcoporum, Epiſcopus Epiſcoporum, Archiepiſcopus, Patriarcha, univerſalis Patriarcha*, & alia ejuſdem generis. Nec enim ſententiæ Cardinalis Baronii ſubſcripſerim, qui Romanos Epiſcopos olim ſe *Epiſcopos Epiſcoporum*, & *univerſales Epiſcopos* inſcripſiſſe auguratur. Ex eo enim, quo utitur, Tertulliani loco de Pudic. c. 1, id non efficitur. Dixerit Tertullianus: *Audio edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium, Pontifex ſcilicet maximus, Epiſcopus Epiſcoporum dixit*, &c. quid inde? Per jocum, an feriò id dixerit, incertum. Ut ut eſt, illius verba ſunt, non Pontificis Romani. Sed de his poſtea. Quis verò eas, quas priùs appellavi, voces adhibere primus cœperit, non eſt promptum eloqui: hîc tamen à quo ſingulæ primùm inductæ ſint, ut mihi quidem videtur, paucis aperiam; ſi tamen iis, quæ Pontificum epiſtolis præfixæ ſunt, inſcriptionibus adhibenda fides. Quis enim ſinceras eſſe præſtare auſit; eóque maximè, quòd bene multæ ab eruditis, ut ſuppoſititiæ, nec immeritò repudientur?

III. A quibus adhibitæ voces Epiſcopi, Papa, &c.

Proprio nomini quinque cognomina ut plurimùm addita ſunt, ſed alia ab aliis. Voce *Epiſcopi* uſus eſt Cornelius, ſi

INSCRIPTIONES. illius tamen ſunt, quæ Cornelii nomen præferunt, epiſtolæ: *Cornelius Epiſcopus Romanus fratri Lupicino Viennenſi Epiſcopo ſalutem.* Sin minùs, eam Innocenrius I adhibuit: *Innocentius Epiſcopus Exuperio Epiſcopo Toloſano.* Cæteræ enim epiſtolæ, illorúmne ſint, quorum nomine inſcribuntur, obſcurum eſt. *Papæ* nomen ſibi tribuit Siricius: *Siricius Papa Orthodoxis per diverſas provincias*; illiuſque ſecutus exemplum ſanctus Leo: *Leo Papa univerſis per Siciliam conſtitutis in Domino ſalutem.* Nomen urbis primus addit Zoſimus: *Zoſimus Epiſcopus urbis Romæ Heſichio Epiſcopo Salonitano ſalutem*; & poſt eum Bonifacius, ſanctus Leo & alii. Urbis nomini *catholicæ Eccleſiæ* vocabulum adjunxit ſanctus Leo: *Cæſari Theodoſio religioſiſſimo & piiſſimo Auguſto Leo Papa Eccleſiæ catholicæ urbis Romæ.* Quibus verbis & alii deinceps uſi ſunt interdum, & omnium ſæpiſſime Martinus I.

Ep. 3. Ep. 17. al. 104. Ep. 1.

IV. Gregorius Magnus ſe inſcribit ſervum ſervorũ Dei.

Vel pueris notum eſt, appellationem iſtam, *ſervus ſervorum Dei*, à Gregorio Magno primùm aſciram eſſe. Dum enim Joannes Conſtantinopolitanus ambitioſum *OEcumenici Patriarchæ* titulum affectat, ſanctus Gregorius, ut exemplo ſuo illius coërceret audaciam, has voces *ſervus ſervorum Dei*, epiſtolis præmiſit ſuis, ſicut autor eſt Joannes Diaconus. Solemne deinceps fuit Romanis Pontificibus, ut quiſque ſe *ſervum ſervorum Dei* inſcriberet. Ne quem verò moveat Scriptoris illius, qui Euſebius Emeſenus vulgò dicitur, autoritas, cujus ex homilia in Dominicam XXI poſt Pentecoſtem, verba ſunt hæc: *Unde & Romanus Epiſcopus Epiſcoporum omnium maximus ſervum ſervorum Dei in ſuis epiſtolis ſe eſſe ſcribit.* Hæc enim homilia, ut cæteræ, quæ in totius anni Evangelia ſcriptæ ſunt, non ſunt Euſebii Emeſeni, qui floruit ſub Conſtantio Imperatore; ſed Brunonis Aſtenſis Epiſcopi, qui multò poſt Gregorium vixit: quod jam apud eruditos extra controverſiam eſt.

V. Qui ante & poſt Gregorium ea appellatione uſi ſint.

Ne quis ramen putet ea appellatione ante Gregorium uſum fuiſſe neminem: eam enim ipſe Gregorius, vel ab Auguſtino mutuatus erat, vel à Fulgentio, quorum uterque illam adhibuit; alter epiſtolâ 107 ad Vitalem: *Auguſtinus Epiſcopus ſervus Chriſti, & per ipſum, ſervus ſervorum, ipſius Vitali fratri in ipſo ſalutem.* Ita etiam ferè epiſtolâ 121 ad Probam

Probam; alter epiſtolâ 5: *Domino ſancto fratri & compresbytero Eugippio Fulgentius ſervorum Chriſti famulus.* Nec etiam poſt Gregorium iis uti vocibus aliis Epiſcopis nefas erat: eas enim, nec ſemel uſurparunt duo Galliæ Epiſcopi, Deſiderius & Eligius, ille Cadurcenſis, hic Noviomenſis Epiſcopus: *Domino glorioſiſſimo atque piiſſimo Sigeberto Regi Deſiderius ſervus ſervorum Dei.* Ita etiam Eligius ad ipſum Deſiderium: *Domino ſemper ſuo atque apoſtolico Patri Deſiderio Papæ Eligius ſervus ſervorum Dei.* Idem cognomen ſibi tribuit Maurus Ravennas aliquantò poſt Gregorium: *Domino ſancto & meritis beatiſſimo totoque orbe apoſtolico & univerſali Pontifici Martino Papæ, Maurus ſervus ſervorum Dei Epiſcopus.* Quin etiam Stylianus Neoceſareæ Epiſcopus ætate Gregorio longè inferior, dum ad Stephanum V ſcriberet: *Sanctiſſimo ac beatiſſimo Stephano Domino ac œcumenico Papæ Stylianus Epiſcopus Neoceſareæ Euphrateſiæ, ſervus ſervorum Dei, & qui mecum ſunt Epiſcopi.* Hoc etiam cognomen *ſervus ſervorum Dei* ſibi adſciverunt, dum florerent opibus, Ravennates Archiepiſcopi, ut apud Rubeum legere eſt. Unum alterúmve exemplum hîc apponere ſatis erit; primum Dominici, Petri alterum: quorum ille vivebat anno DCCCXCIII, hic DCCCCXXIII. Inſcriptiones verò ſunt hujuſmodi: *Dominicus ſervus ſervorum Dei, divinâ gratiâ Archiepiſcopus, anno, Deo propitio, Pontificatûs Domni Formoſi Summi Pontificis & univerſalis Papæ. Petrus ſervus ſervorum Dei, divinâ gratiâ Archiepiſcopus quartus Iunior pollens.* Poſtea tamen agnomen illud ita proprium Romanis Pontificibus, & peculiare fuit, ut nullus ſit ætate noſtra, ſive Epiſcopus, ſive Metropolita, qui ſe *ſervum ſervorum Dei* inſcribat.

VI. Quando nunc apponatur *Papa*, quando *ſervus ſervorum Dei*.

Ne quis tamen putet ex his quæ dicta ſunt hactenus, Romanos Pontifices omnes omnibus his, quæ appellavi, nominibus ſemper uſos eſſe. Sunt enim, qui adhibuerunt omnia, ut plerique poſt Gregorium: ſunt etiam, qui aliqua tantùm, ut ſanctus Leo, ut Hilarus, ut alii: ſunt, qui nulla, ut Symmachus, ut Zacharias, ut Adrianus, qui nuda appoſuere nomina: alii aliis ſæpius uſi ſunt, alii parciùs, quos, longior ſim, ſi appellem: nunc invaluit uſus, ut abjectis cæteris duo veluti principatum teneant, *Papa*, & *ſervus ſervo-*

V.

INSCRIPTIONES. *rum Dei*, quibus Summus Pontifex ab aliis dignoſcitur Epiſcopis. Non tamen eadem utriuſque adhibendi ratio eſt; ſed alterum alteri munus attributum: ſi *Breve*, ut vocant, mittat Pontifex, in epigraphe *Papa* ut plurimùm dicitur; ſi *Bullam*, ut loquuntur, *ſervus ſervorum Dei.*

CAPUT III.

Quæ cognomina Romani Pontifices aliis dederint.

I. Cognomina multa multis data. INFINITUS ego ſim, ſi titulos omnes, quibus ſinguli ſive Principes, ſive Epiſcopi, à Romanis Pontificibus cohoneſtati ſunt, perſequar, ut *Glorioſiſſimi*, *Clementiſſimi*, *Sereniſſimi*, *Præcellentiſſimi*, *Dilectiſſimi*, *Sanctiſſimi*, *Reverendiſſimi*, &c. Cùm id præterea habeat multum faſtidii, voluptatis parum, præſtat tres quatuórve de pluribus hujuſmodi appellationes ſeligere. Quærimus igitur primò, quando nomen *fratris* adverſus Epiſcopos adhiberi cœptum ſit: deinde quis nomine *filii* Imperatores Regéſve primus compellarit.

II. Fratris Epiſcopis. Unà cum religione Chriſtiana exorta *fratris* appellatio eſt: quis enim neſciat eam ſæpe ab ipſis uſurpatam Apoſtolis, à quibus ad noſtra uſque tempora propagata eſt. Primùm quidem illa vox & ſolitaria & nuda adhibita eſt, ut, *Cornelius Cypriano fratri ſalutem.* Deinde quò plus etiam amoris ſignificaret, alia ab aliis annexa ſunt, ut *Dilectiſſimus: Dilectiſſimo fratri Acholio Damaſus. Dilectiſſimo fratri Anyſio Siricius.* Eaque ſcribendi ratio ad Epiſcopos, Metropolitas, Patriarchas, ad Gregorii tempora ferè obtinuit. Ipſe enim, ut opinor, primus *Reverendiſſimum & Sanctiſſimum* adjecit: *Reverendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Etherio Coëpiſcopo Gregorius ſervus ſervorum Dei.* Ita etiam ad Bonifacium Moguntinum Gregorius III, & ad alios alii: quæ voces vel aliæ iis affines, ut *Cariſſimus*, *Beatiſſimus*, pro cujuſque arbitrio deinceps adhibitæ ſunt: omiſſa etiam interdum *fratris* appellatio, maximè octavo ſæculo, illiuſque loco ſubſtituta hæc alia *Coëpiſcopus*, ut à Gregorio IV, Zacharia & aliis: utriuſque enim vocis eadem notio eſt, & aliquando etiam altera jun-

cta eſt alteri, ut à Gregorio Magno ad Etherium.

III. Filii, Presbyteris, & interdum Episcopis.

His duabus vocibus *frater* & *filius*, longè diverſa vis ſubeſt & poteſtas: illa enim officii ſocietatem & muneris; hæc illius, qui ſcribit, autoritatem quamdam in eum, cui ſcribitur, indicat: unde illa à Romano Pontifice tribuitur Epiſcopis; hæc aliis omnibus, ſive Clerici ſint, ſive laïci, ut *Dilectiſſimo filio Eutychi Presbytero Leo Epiſcopus.* Bis tantùm, niſi falſus ſum, *filii* nomen datum eſt Epiſcopis. Semel in ea, quæ Gregorii II eſt, epigraphe: *Gregorius ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Donato Patriarchæ, & Epiſcopis, atque Marcello Duci & plebi Venetiæ & Iſtriæ.* Iterum à Silveſtro II: *Dilecto in Chriſto filio Arnulfo ſanctæ Eccleſiæ Archiepiſcopo.* Quæ enim eodem nomine compellat Athanaſium epiſtola, ſuppoſititia eſt, & temere affićta Liberio. Alterum ab altero, ut par erat, in eadem inſcriptione diſtinguit Pelagius: *Dilectiſſimis fratribus Eliæ aliiſque Epiſcopis, univerſis filiis in Iſtriæ partibus conſtitutis Pelagius Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ catholicæ urbis Romæ.*

IV. Semper Regibus.

An verò Imperatores & Reges, itidem ac cæteri, à Romano Pontifice *filii* ſemper vocati ſint, hæc mea opinio eſt. Reges *filii* ſemper appellati ſunt, Imperatores non item: multæ enim extant ad Imperatores epiſtolæ, in quibus nulla *filii* mentio fit; ad Reges, niſi falſus ſum, una aut altera: ſed nobis nihil nocent. Sunt enim illius ætatis, quâ Reges nuncupari *filios* moris erat. Bonifacii IV una eſt hujuſmodi: *Viro glorioſo Edvvino Regi Anglorum Bonifacius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei*; in qua nonnihil, ut mihi quidem videtur, ineſt vitii; ſi quæ præterea occurrunt, aut in titulum mendum irrepſit, aut ſequioris ſunt ætatis. Cur verò Regibus *filii* nomen initio datum ſit, hæc una cauſa eſt, quòd quando à Romano Pontifice ad Reges ſcribi cœptum eſt, jam mos erat, ut Imperatores ipſi ab iis *filii* vocarentur: priùs enim, qui Chriſto nomen dediſſet, præter Imperatorem Romanum, Princeps nullus erat.

V. Quando Imperatoribus.

Imperatores à Pontificibus *filios* quinto ineunte ſæculo appellatos non fuiſſe, ita certum eſt, ut pluribus id confirmari exemplis nihil opus ſit. Extant epiſtolæ Bonifacii ad Honorium, ad Theodoſium Cæleſtini, ſancti Leonis ad

INSCRIPTIONES. Theodoſium, Marcianum, Leonem Imperatores, in quibus ne ullum quidem hujus vocis veſtigium eſt: *Glorioſiſſimo & Clementiſſimo Theodoſio Auguſto Leo Epiſcopus*, &c. Aut inſcriptiones omnes corruptæ ſint, oportet; aut ea, quam propoſui, opinio vera eſt. Sanctus Leo Pulcheriam primus filiam vocat: *Glorioſiſſimæ & clementiſſimæ filiæ Pulcheriæ Auguſtæ Leo Epiſcopus.* Sed dum Roma Imperatoribus paruit, nullus id ſibi ſumpſit Pontificum, ut Imperatorem *filium* appellaret. Ubi verò perdomita à Gothis Italia eſt, Urbſque Theodorico ſervire coacta, tum & Zeno à Felice III, & Anaſtaſius ab Anaſtaſio Pontifice, *filii* nuncupari cœpti ſunt: *Glorioſiſſimo & sereniſſimo filio Zenoni Felix Epiſcopus.* Poſt Urbem verò de Gothis receptam inducta jam ea conſuetudo obſervari non deſiit. Ita Juſtinianus à Vigilio *filius* dicitur, à Martino Conſtans, ab Agathone Conſtantinus, &c. *Glorioſiſſimo & clementiſſimo filio Iuſtiniano Auguſto Vigilius.*

VI. Eadem cognomina data Regibus Galliæ, quæ Imperatoribus. Inde ad Reges Galliæ, Angliæ, Hiſpaniæ, hæc appellatio profluxit, quibus, maximè Francis, iidem qui Imperatoribus delati honoris tituli, præter *Cæſaris* & *Auguſti* cognomina: *Domino filio glorioſiſſimo atque præcellentiſſimo Childeberto Regi Pelagius Epiſcopus.* Carolus autem Magnus, ubi Imperii adeptus eſt inſignia, ut par erat illius, ac cæterorum dignitas, nomen etiam ob res præclarè geſtas illuſtrius, & majora in Romanam Sedem merita, exquiſitis præter cæteros laudibus ornatus eſt: *Domino piiſſimo & ſereniſſimo victori ac triumphatori filio amatori Dei ac Domini noſtri Ieſu Chriſti Karolo Auguſto Leo Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei.*

VII. Præcipua Francorum Regum nomina. Nec hoc loco annotare omiſerim Regibus Francorum duobus, Pippino & Carolo Magno, duo præcipua fuiſſe cognomina, quæ præterea data ſunt nemini: uterque enim dictus eſt & *Patricius Romanorum*, de quo actum eſt antea, & *Compater*: ille à Stephano II & à Paulo I; hic ab Adriano; *Domino excellentiſſimo filio & noſtro ſpirituali compatri Pipino Regi Francorum & Patricio Romanorum Paulus Papa.* Illud etiam Carolo Martello peculiare fuit, ut à Gregorio II *Subregulus* vocatus ſit: *Domino excellentiſſimo filio Carolo Subregulo Gregorius.* Ex his, quæ dicta ſunt hactenus, liquet jam

inde à Childeberti temporibus moris fuiſſe, ut ſicut jam multò antè Epiſcopi *fratres*, ita cæteri *filii* à Romano Pontifice vocarentur. Ea enim eſt *apoſtolicæ Sedis conſuetudo*, inquit Innocentius III, *ut Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, fratres; cæteros autem Reges, Principes, vel cujuſque ordinis filios noſtros literis appellemus.*

CAPUT IV.

Unde Chriſtianiſſimi cognomen Francorum Regibus.

I. Cornelius Janſenius ſcripſit adverſus Reges Galliæ.

DE gemino, tum *Chriſtianiſſimi*, tum *Catholici* cognomine, hoc loco inſtituenda nobis diſputatio eſt: quænam utriuſque appellationis origo ſit, quâve ratione illa Galliæ, hæc Hiſpaniæ Regibus ita peculiaris facta ſit & propria, ut nunquam ad illos Reges ſcribant Romani Pontifices, quin iis tribuant hujuſmodi appellationem; ſed alteram alteri. Cornelius Janſenius, poſtea Iprenſis Epiſcopus, in eo, quem contra Galliæ Reges edidit, libro, qui *Mars Gallicus* inſcribitur, cùm multa in multos probra congerit, tum contendit hæc duo, quæ ad rem noſtram maximè pertinent: unum, *Chriſtianiſſimi* cognomen potiori jure Hiſpanis deberi Regibus, quàm Gallis; quod ut probet, quæ à quoque peccata ſunt, pluribus inſectatur: alterum, tum *Chriſtianiſſimi*, tum *Catholici* titulis priùs inſignitos Hiſpaniæ Reges, quàm Galliæ.

II. Contra Hiſtoriæ fidem.

Quæ duo quàm contra Hiſtoriæ fidem ab eo dicta ſint, quàm temere conficta, docebit ea, quam hîc ſubjicio, utriuſque illius appellationis hiſtoria. Nihil in Janſenium dicam aſperius: quid enim hominis fuerit, notum eſt omnibus: nec animus eſt Hiſpano Regi detrahere *Catholici* cognomen, ut *Chriſtianiſſimi* Gallo aſſeram. Suum utrique decus eſt, ſuaque laus, quam neutri ereptam velim. Quando, à quibus, quâve de cauſa cognomina illa duo, tum *Chriſtianiſſimi* Franco Regi, tum *Catholici* Hiſpano data ſint, paucis perſequor: hæc enim ratio & brevior eſt, & tutior, ut omnes, uter utri præſtet, intelligant.

INSCRIPTIONES. III. Reges Galliæ ante cæteros Catholici.

Juvat de *Chriſtianiſſimi* titulo dicere inſtituentem, ab illis auſpicari verbis Gregorii Magni, quibus ſingularem Regum Galliæ præ cæteris dignitatem commendat : *Quantò cæteros homines regia dignitas antecedit ; tantò cæterarum gentium regna regni veſtri profectò culmen excedit. Eſſe autem Regem, quia ſunt & alii, non mirum eſt : ſed eſſe Catholicum, quod alii non merentur, hoc ſatis eſt. Sicut enim magnæ lampadis ſplendor in noctis obſcuritate luminis ſui claritate fulgeſcit, ita fidei veſtræ claritas inter aliarum gentium obſcuram perfidiam rutilat ac coruſcat.* Tum cùm impertitum illud Galliæ Regibus à Gregorio Magno præconium eſt, qui veram ſinceramque fidem profiteretur, Rex, præter Childebertum, teſte Gregorio, nullus erat. Necdum igitur Reccaredus Arianam exuerat perfidiam ; necdum à Synodo Toletana III *Catholici* cognomen ipſi inditum erat.

IV. Et Chriſtianiſſimi dicti à S. Remigio.

Multò tamen ante hæc tempora Clodovæus, & *Eccleſiæ catholicæ filius* à Concilio Aurelianenſi I anno DXI, & *Chriſtianiſſimus* à S. Remigio dictus erat : *Cruſciniacum verò & Foram villas, quas ſanctiſſima virgo Genovefa à Chriſtianiſſimo Rege Ludovico* (hoc eſt, Clodovæo) *impetravit, ſicut ab ea deputatum eſt, confirmo.* Nec immeritò ſanè, cùm illius, & exemplo & hortationibus Francorum gens jam clara victoriis, veræ pietatis cultu multò facta ſit illuſtrior. Tum in Oriente Eutychianorum ſectam fovebat Anaſtaſius ; Africa ſerviebat Vandalis ; Oſtrogothis Italia ; Hiſpaniæ pars una Suevis ; Wiſigothis altera ; Galliæ portio maxima, partim Wiſigothis, partim Burgundionibus. Quibus gentibus qui præerant Reges, erant Ariana omnes contacti hæreſi : illibata unius Clodovæi fides erat ; nedum eſſet, qui de *Chriſtianiſſimi*, aut *Catholici* titulo cùm ipſo contenderet.

V. A Græcis Imperatoribus.

A Clodovæo ad ipſius poſteros cæteroſque deinceps Galliæ Reges *Chriſtianiſſimi* cognomen, & avitis, & propriis in rem Chriſtianam meritis hereditario quaſi jure propagatum eſt ; eſſeque proprium Galliæ Regibus, his temporibus adeo teſtata res erat & pervulgata, ut & Mauritius ipſe Imperator, & illius in Italia Duces, Childebertum II eo ſæpe nomine compellarint. Ita ille : *Divinitas te ſervet per multos annos, Parens Chriſtianiſſime atque amantiſſime.* Nec aliter

Exarchus Italiæ: *Quæ omnia de devotione & Chriſtianiſſima voluntate veſtra*, &c. INSCRIPTIONES.

Communicata etiam aliquantò pòſt Præfectis Palatio, ut tum vocabant, ea appellatio eſt. Ita Carolus Martellus à Gregorio III bis *Chriſtianiſſimus* nuncupatus eſt: ſemel Pipinus à Zacharia, necdum regni adeptus inſignia. Sed præſtat utriuſque verba hoc loco deſcribere, Gregorius: *Tamen ut rei veritas vobis penitus declaretur, Chriſtianiſſime fili, jubeas..... tuum Miſſum huc dirigere.* Atque haud ita multis interjectis lineis, ita loquitur: *Hortamur tuam bonitatem coram Domino & ejus terribili judicio, Chriſtianiſſime fili, ut propter Deum & animæ tuæ ſalutem ſubvenias Eccleſiæ S. Petri.* Ita etiam in epiſtolæ ad Pipinum epigraphe Zacharias: *Domino excellentiſſimo atque Chriſtianiſſimo Pipino Majori-Domus, ſeu dilectiſſimis nobis univerſis Epiſcopis Eccleſiarum..... Zacharias Epiſcopus ſanctæ Dei Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ in Domino ſalutem.*

VI. A Romanis Pontificibus. Ep. 5. Ep. 7.

VII. Reges ſecundæ ſtirpis. Longior ſim, ſi omnia hîc teſtimonia proferam; quibus *Chriſtianiſſimi* titulus Pipino, Carolo Magno, aliiſque è ſecunda ſtirpe Regibus delatus eſt: ſatis erit pauca de multis, at ea inſignia, appingere. Stephanus II S. Petrum ita loquentem inducit: *Conjuro vos Chriſtianiſſimos Reges Pipinum, Carolum & Carolomannum.... & quaſi præſentialiter in carne vivus aſſiſtens coram vobis ago ego Apoſtolus Dei.* Paulus I: *Conjuramus te, excellentiſſime atque Chriſtianiſſime fili Rex;* aliaſque aliis in epiſtolis huic voci voces annectit, *Chriſtianiſſime fili, Chriſtianiſſime Dei providentiâ victor Rex.* Nec minùs officioſa Stephani III ad Carolum & Carolomannum oratio eſt: *Et quidem nos, excellentiſſimi filii Chriſtianiſſimi magni Reges, omnino de hoc certi ſumus.* At nihil Adriani I verbis ad laudem Caroli Magni illuſtrius: *Ecce novus Chriſtianiſſimus Dei Conſtantinus Imperator his temporibus ſurrexit.* Nihil jam opus eſt alia, tum Nicolai I, tum Joannis VIII teſtimonia ſubjicere.

Ep. 5. Ep. 3. Ep. 5. & 6. Ep. 2. Ep. 1.

VIII. A Conciliis. Sufficiat gemina Synodi Moguntinæ & Aquiſgranenſis verba adſcribere, quarum illa ſub Carolo Magno anno DCCCXIII, hæc ſub Ludovico Pio anno DCCCXVI habita eſt. Moguntinæ verba ſunt hæc: *In nomine Patris & Filii*

INSCRIPTIONES. *& Spiritus ſancti, glorioſiſſimo & Chriſtianiſſimo Imperatori Carolo Auguſto vera religionis rectori, ac defenſori ſanctæ Dei Eccleſiæ, unà cum prole ſua, ejuſque fidelibus, vita & ſalus, honor & benedictio, cum victoria ſine fine manſura*, &c. Eadem Aquiſgranenſis ſententia eſt: *Cùm in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Chriſtianiſſimus ac glorioſiſſimus HLudovicus ſuperno munere victor Auguſtus..... ſanctum convocaſſet Conventum.* Nec Anaſtaſium Bibliothecarium, nec alios ætatis illius Hiſtoricos huc proferam, quibus ſolemne fuit, ſi quando Galliæ Regis meminerint, *Chriſtianiſſimi* vocem honoris ergò præmittere.

IX. Reges tertiæ ſtirpis. Nec unà cum Carolina ſtirpe laus ea concidit; ſed ad cæteros etiam Capetiani ſtemmatis Reges pertinet, & à Romanis Pontificibus uſurpata ſæpe adverſus Galliæ Reges ea appellatio eſt. *Chriſtianiſſimi* dicti ſunt ab Innocentio III Philippus Auguſtus, Ludovicus VIII ab Honorio III, à Gregorio IX S. Ludovicus, Philippus ejus filius ab Urbano IV, & ab aliis alii. Sed ut à pluribus abſtineam exemplis, unus ſit nobis inſtar omnium Pius II, Gallico nomini non amicus Pontifex, cujus hæc ſunt ad Carolum VII: *Habitus es, fili cariſſime & devotiſſime, fidei & religionis præcipuus, non immeritò ob Chriſtianum nomen ſtrenuè à progenitoribus tuis defenſum, à quibus nomen Chriſtianiſſimi hereditarium habes.* Hinc colligere licet quàm opinione ſua falſi ſunt, quod bonâ ſummorum virorum veniâ dixerim, & Cardinalis Baronius, & Joannes Mariana, quorum ille *Chriſtianiſſimi* cognomen à Pipini, hic à Ludovici XI ætate repetit; & quàm inepta, tum Mejeri, tum qui ejus inſtiterunt veſtigiis, Chiffletii & Janſenii, in Galliæ Reges ſcripta.

CAPUT V.

Unde Catholici cognomen Hiſpanis Regibus.

I. Cognomen *Catholici* datum Gothis Regibus à Conciliis. RECCAREDUS filius Leovigildi, à quo in Catholicos crudeliter ſævitum erat, Hermenegildi fratris exemplo anno DLXXXV Catholica fide Arianam mutavit hæreſim,

ſim, & S. Leandri præceptis eruditus, diligentiâ, gratiâ, autoritate paulatim perfecit, ut ſubditi penè omnes ad Catholicæ Eccleſiæ communionem ſeſe adjunxerint. Illius juſſu ex tota, quàm latè patebat, ditione Gothica Toletum (urbs erat regia) vocata Synodus anno DLXXXIX: convenerunt ſeptuaginta circiter Epiſcopi, à quibus Reccaredo, poſtquam Catholicæ fidei profeſſionem edidit, acclamatum eſt: *Cui à Deo æternum meritum, niſi vero Catholico Reccaredo Regi;* annis plus minùs octoginta, poſtquam Clodovæus & *Eccleſiæ Catholicæ* filius à Synodo Aurelianenſi, & *Chriſtianiſſimus* à S. Remigio dictus eſt.

II. Legionenſibus Regibus à ſubditis, Aragoniæ à Romano Pontifice.

Anno DCCXXXIX Alfonſus Pelagii gener ex Reccaredi ſanguine ſatus poſt Favilam Legionenſe regnum adeptus eſt. Is religionis cultor eximius, & rebus adverſus Mauros præclarè geſtis clariſſimus, ſibi, vel ſuo, vel ſubditorum ſuffragio *Catholici* cognomen aſcivit: quod etiam, ſi Zuritæ & Ambroſio Morali credimus, Ordonio I, Sanctio Craſſo, Alfonſo VI, Alfonſo VIII, Joanni I, & aliis datum eſt: cujus tamen rei nullum, quod ſciam, apud exteros Autores veſtigium eſt. Multò pòſt Innocentius VIII Ferdinando Aragoniæ Regi, poſtquam Granata ab eo de Saracenis recepta eſt, eam appellationem indulſit, quam Hiſpaniæ Regum propriam deinceps fore & hereditariam decrevit anno MCCCCXCVI Alexander VI, homo Hiſpanus; quod ratum eſſe juſſit paulò pòſt Julius II.

III. *Orthodoxi* cognomen datum Gothis Regibus, non aliis.

Huic vocabulo *Catholicus*, affinis eſt hæc altera vox *Orthodoxus:* licèt enim utriuſque vocis ſi nativam ſpectes originem, alia alii vis ineſt, alia poteſtas; apud Chriſtianos tamen eadem utriuſque notio eſt, ut *Catholici*, ita *Orthodoxi* cognomen, ne quid diſſimulem quod ad gentis Hiſpanæ decus quoquomodo pertineat, Hiſpaniæ ſæpe Regibus, præcipuè Gothis, datum eſt, ut Reccaredo à Synodo Toletana III: *Cui præſens gloria & æterna, niſi vero Orthodoxo Reccaredo Regi*, anno DLXXXIX. Ut à ſexta Chintilano anno DCXXXVIII: *Convenientibus nobis Hiſpaniarum Galliæque Pontificibus ſummis Orthodoxi & glorioſi Chintilani Regis ſalutaribus hortamentis, &c.* Ut ab octava Receeſuintho: *Anno quinto Orthodoxi atque glorioſi, & veræ clementiæ dignitate*

X

INSCRIPTIONES. *præcipui Recceſuinthi Regis anno* DCLIII. Et quater Egicano, bis à Toletanis Synodis XV & XVI, totidem ab Cæſarauguſtana III: *Anno quarto Orthodoxi & ſereniſſimi Domini noſtri Egicani Regis, &c.* Qui verò aliis Regibus poſt Hiſpanam rem & Chriſtianam à Pelagio reſtitutam tribuerit, vidi neminem.

CAPUT VI.

Rex Gallus Chriſtianiſſimi, Hiſpanus Catholici cognomen jure obtinent.

I. A Francis Regibus victi infideles in Europa.

SUPEREST, quod tertio loco poſitum erat, ut videamus, qua ratione Francus *Chriſtianiſſimi*, Hiſpanus *Catholici* cognomen adepti ſint. Ubi Clodovæus Chriſto nomen dedit, Alaricum Arianæ fautorem perfidiæ prælio victum interemit: deinde regnum Burgundionum ab ejus filiis exciſum eſt, populique ad fidem Catholicam allecti: tum Jugundæ pietate Hermenegildus, Hermenegildi exemplo Reccaredus Arianam abjecit hæreſim, eamque totâ Hiſpaniâ depulit: Saraceni, à quibus everſum in Hiſpania Gothorum erat Imperium, à Carolo Martello in Gallia ſemel atque iterum occiſione deleti: pulſi deinde ex ea, quæ cis Iberum eſt, Hiſpaniæ parte à Carolo Magno. Caroli victoriis, & Ludovici Pii ſtudio Saxones, Dani, Sueci, &c. aliæque Germaniæ gentes abdicato idolorum cultu Chriſtianam religionem profeſſæ ſunt: everſum in Italia Longobardorum, quæ gens Romanæ Sedi infeſta erat, Imperium: Pontifices multis, tum urbibus donati, tum provinciis: victi ſæpius à Ludovico II in Italia Saraceni: in Gallia extinctæ variæ variis temporibus hæreſes, Petrobuſianorum, Valdenſium, Albigenſium, cæſuſque in acie, qui illis favebat, Aragonius: prohibita, ne in regni viſcera graſſaretur, Lutherana peſtis: repreſſus, quoad licuit, Calviniſtarum furor.

II. In Aſia.

Parta extra Galliam infinita propè ad immortalem gloriam decora Francorum Regum auſpiciis: ereptum Græcis Schiſmaticis Imperium: Hieroſolyma, Antiochia, Edeſſa,

Syria univerſa, Cyprus, Sicilia, &c. de Barbaris receptæ: victi in Italia, in Sicilia, in Syria, Ægypto, Africa Saraceni: multorum ſcriptis celebratæ Ludovici VII, Philippi Auguſti, Ludovici IX in Aſia, Syria, Ægypto victoriæ: unde Pii II, dum ad Ludovicum XI ſcriberet, ad Francæ gentis decus celebratur illa vox: *Pugnare contra Turcas, & vincere, & Terram ſanctam recuperare, & fidem ſalvare, & Romanam Eccleſiam honeſtare, Francorum Regum proprium eſt.* INSCRIPTIONES.

III. Francorum ope ejecti ex Hiſpania Mauri.

Summa etiam gentis Hiſpanæ bellis adverſus fidei Chriſtianæ hoſtes geſtis gloria fuit. Sæpe etenim diuque in Hiſpania contra Mauros pugnatum eſt. Varii interdum & præliorum & bellorum exitus; relatæ ſæpius victoriæ, receptæ urbes, pulſique in Africam unde venerant Mauri, & contractum accepta olim clade dedecus eorum ſanguine & fugâ deletum eſt. In illius tamen laudis ſocietatem Galli venerunt, quorum ut ſemper aliàs, ita in his bellis virtus maximè enituit. Quam in rem lubet Marianæ ipſius verba appingere, dum agit de bello Toletano, unde initium victoriæ factum eſt: *Francorum major numerus fuit, præcipua homines alacritate ad ſuſcipienda bella: ea gens, quoniam hoc & conſequentibus bellis rem Chriſtianam multùm juvit, & qui in Hiſpania remanere noluerunt, magnis præmiis affecti invitatique ab Regibus ſunt, vectigalium immunitate donata ipſis & poſteris: ex ea re factum arbitror, ut immunis atque ingenuæ conditionis homines vulgari Hiſpanorum lingua Francos vocemus.* Ita ille. Et aliquantò pòſt Petrus cognomento Crudelis, Francorum fortitudine è ſolio dejectus: victi ſæpius auxiliares Mauri: Henricus, unde prognati cæteri Caſtellæ Reges, ſemel atque iterum in regnum reſtitutus.

IV. Hiſpaniæ Reges è Gallia oriundi.

Illud etiam ad Gallici nominis decus nonnihil eſt, quòd omnibus Hiſpaniæ regnis è Franca gente Reges dati ſint, quorum auſpiciis victi ſæpe Mauri. Nonne Aragoniæ & Caſtellæ Reges à duobus Raymundis repetunt originem: quorum alter Barcinonenſis Comes erat; alter Comitis Burgundi frater, uterque Gallus origine? Annon & Navarram primùm Campaniæ Comites, deinde Ebroicenſium è Regia ſtirpe familia dotali jure obtinuit? Nonne & Henricus ille, à quo Luſitanorum Regum ſtemma ducitur, è Gallia oriundus erat?

INSCRIPTIONES.

V. Nullus Hiſpanorum Rex extra Hiſpaniam Infideles vicit.

His quidem bellis parta laus, iiſdem fuit, quibus Hiſpania, terminis definita; nec Pyrenæorum juga ante Ferdinandum Aragoniæ Regem tranſgreſſa unquam eſt: Hiſpanis tamen glorioſum eſt ferocem tot victoriis Maurorum gentem ex Hiſpaniæ viſceribus multis conciſam præliis ejeciſſe. Nec ſilendus eſt Jacobi Aragoniæ Regis conatus, qui è Provincia in Syriam dum navigat, disjecta ventorum impetu claſſe, invitus in Hiſpaniam rediit. Laudanda etiam Petri Aragonii adverſus Romanam Sedem obſervantia, qui regnum S. Petro tributarium eſſe voluit: quod enim præterea daret, nihil erat.

VI. A Ferdinando Catholico illuſtrior res Hiſpana.

At Ferdinandi, Caroli V, Philippi II, &c. tum fortitudine, tum prudentiâ, Hiſpanæ gentis gloria ſeſe altiùs efferre cœpit, & ad alias etiam gentes pertinere; tumque par propè utriuſque gentis, Francæ & Hiſpanæ, gloria. Victi ſæpe ab Hiſpanis in Hiſpania Mauri, ſemel etiam in Africa navali prælio Turcæ, in Germania Lutherani, Calviniani in Belgio. A Francis fuſi ſæpius fugatique in Hungaria Turcæ, in Gallia Germani, Batavi, Angli, Galli ipſi contracti omnes vel Lutherana, vel Calviniana hæreſi, repetitis & præliis & victoriis cæſi ſunt. Propagata ab Hiſpanis longè lateque per Indiam Chriſtiana fide: factum idem à Gallis in Nova Francia, in Inſulis, &c. & utriuſque gentis in excolendis Barbaris nationibus laudanda maximè pietas eſt.

CAPUT VII.

De ſolemni formula, Salutem & apoſtolicam benedictionem.

I. Ante Gregorium VII uſurpata.

QUOD ab eruditiſſimis viris paucis abhinc annis ſcriptum eſt, ſolemnem illam quæ Summorum Pontificum epiſtolis præmitti ſolet, formulam, *Salutem & apoſtolicam benedictionem*, à Gregorio VII profluxiſſe, id ſecus eſt: jam enim ante Gregorium uſurpata ab aliis erat, ut à Leone IX, Stephano IX, Nicolao II, Alexandro II. Sed præſtat

quænam formulæ illius origo ſit, paucis exponere: inde enim rem aliter habere ſe, ac ipſi putarunt, planum erit. INSCRIPTIONES.

Moris fuit apud veteres, ſive Græcos, ſive Romanos, ut epiſtolis ſuis, vel amoris ergò, vel honoris, has voces illi χαίρειν, hi *ſalutem* præfigerent. Cùm enim penes nos minimè ſit, ut, vel ſani ſimus, vel ſalvi, hominis eſt, & potiſſimùm amici, amico ſalutem & optare & dicere: *M. T. Cicero Imp. Appio Pulcro ſalutem.* Solemne quidem fuit Apoſtolis *gratiam Chriſti Ieſu* & *pacem* iis, quibus ſcriberent, apprecari: *Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti.... Timotheo dilecto filio in fide, gratia, miſericordia, & pax à Deo Patre & Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Unus vocem hanc *ſalutem* Jacobus adhibuit: *Iacobus Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſervus duodecim Tribubus quæ ſunt in diſperſione, ſalutem.* II Formula quâ uſi & Romani & Apoſtoli.

Quæ formula, quòd brevior, cùm ab omnibus Epiſcopis, tum à Romanis Pontificibus ſæpius uſurpata eſt; *Cornelius Cypriano fratri ſalutem.* Omiſſa tamen à multis illa vox, ut à Damaſo, à Siricio, ab Innocentio & aliis: *Dilectiſſimo fratri Acholio Damaſus. Dilectiſſimo fratri Rufo Innocentius.* Sanctus Leo ea etiam voce, ut alii, modò abſtinuit: *Dilectiſſimo fratri Anatolio Leo*; modò uſus eſt: *Leo Epiſcopus Septimio Epiſcopo ſalutem*; modò has voculas *in Domino* adjunxit: *Leo Epiſcopus urbis Romæ univerſis Epiſcopis per Italiam conſtitutis in Domino ſalutem.* Unde ab aliis deinceps Pontificibus ea formula modò neglecta eſt, modò adhibita. Sunt qui poſt proprium nomen, nihil; ſunt qui *ſalutem*; ſunt etiam qui *in Domino* vel *in Chriſto ſalutem* addiderunt: cujus rei exempla, cuique enim obvia ſunt, hîc aſcribere nihil attinet. III. Et Romani Pontifices.

Ad eam, qua de agimus, ſolemnem formulam propiùs acceſſit Agatho in ea, quam ad Æthelredum Regem ſcripſit epiſtola: *Agatho Papa Romanus Æthelredo glorioſo Merciorum Regi, & Theodoro Cantuariæ Archiepiſcopo .... ſalutem à Deo & benedictionem noſtram.* Sed eam omnium princeps adhibuit anno DCCVIII Conſtantinus Papa: *Conſtantinus ſervus ſervorum Dei Britualdo Britanniarum Eccleſiæ Primati, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.* Integrum tamen poſtea cuique fuit, vel eâ uti formulâ, vel aliâ pro arbitrio: unde aliæ ab aliis voces, vel detractæ, vel additæ; quibus tamen IV. Conſtantinus Papa eâ formulâ primus uſus eſt.

X iij

INSCRIPTIONES. idem propè ſenſus ſuberat, donec tandem à Leone I X & aliis deinceps Pontificibus ſæpius uſurpari cœpit, & aliis repudiatis obtinuit Principatum.

V. Aliæ formulæ ab aliis adhibitæ. Libitum eſt varia, quibus uſi ſunt Summi Pontifices, & optandæ ſalutis & dandæ benedictionis genera, hoc loco exponere. Id enim cognoſcere non erit, opinor, ingratum eruditis. Poſt Conſtantinum Zacharias ad Reginfredum Rotomagenſem, Rambertum Ambroïcenſem, &c. *Zacharias in Domino ſalutem dicit.* Adrianus ad Galleciæ & Hiſpaniæ Epiſcopos, *in roſeo Chriſti ſanguine ſalutem.* Joannes X I I ad Dunſtanum Dorobernenſem, *vitæ perpetuæ permanendam in Chriſto ſalutem.* Joannes X I I I ad Epiſcopos citerioris Britanniæ, *ſalutem in Chriſto & viſitationem*; & ad Berengarium Virdunenſem Epiſcopum, *bravium æternæ remunerationis.* Sed in epiſtola ad omnes tum Epiſcopos, tum Duces Angliæ, eadem, quâ Conſtantinus, uſus eſt formulâ, *ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

VI Aliæ etiam diverſæ. Huic formulæ tres ſubjicio: unam Benedicti V I longè diſſimilem, duas Joannis X V propè pares, niſi quòd una abundat vocula, *Benedictus . . . Friderico Saliſburienſis Eccleſiæ Archipræſuli manſuram in Chriſto felicitatem*; hæ duæ Joannis X V magis conſonant: *Balduino Comiti omnimodam ſalutem & apoſtolicam benedictionem.* Et Guidoni & Falconi Epiſcopis, *cariſſimam ſalutem & apoſtolicam benedictionem*, quam multis adjunctis vocibus produxit Benedictus V I I I, dum ſcripſit de Monaſterio Cluniacenſi ad Burgundiæ, Aquitaniæ & Provinciæ Epiſcopos: *Salutationem & benedictionem ex parte Dei omnipotentis, & beati Petri Apoſtolorum Principis, & meâ qui Præſulatum, licèt indignus, tenere videor apoſtolicæ Sedis.* Sed à Joanne X V I I I in eam formam contracta eſt, *ſalutem cariſſimam cum benedictione apoſtolica*, quâ bis uſus eſt, ſemel ad Jordanum Lemovicenſem Epiſcopum; iterum ad Odilonem Abbatem.

VII. Sub Leone I X una eſſe cœpit. Ita varia & multiplex fuerat hactenus hujus formulæ ſcribendæ ratio, cùm anno circiter M L Leonis I X ætate certa eſſe cœpit, & una. Is enim & Conſtantini, & Joannis XIII exemplo, hanc ut plurimùm adhibuit, *ſalutem & benedictionem apoſtolicam. Leo ſervus ſervorum Dei omnibus Epiſcopis*

Venetiæ & Iſtriæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quâ cùm uſi etiam eſſent ſæpiſſime Stephanus IX, Nicolaus II, Alexander II, Gregorius VII, & alii deinceps Pontifices, mos ſenſim obtinuit, ut in cujuſque epiſtolæ epigraphe hæc formula apponeretur, vel nulla. Unus, quod ſciam, Joannes vel XIX vel XX, ad Eduardum Angliæ Regem, cùm anno MCCLXXVI ſcriberet, vocem hanc *apoſtolicam* detraxit, ut aliam ſubſtitueret: *Ioannes ſervus ſervorum Dei cariſſimo in Chriſto filio Eduardo illuſtri Angliæ Regi ſalutem & æternam benedictionem.* INSCRIPTIONES.

Ea verò formula jam tum Gregorii VII ætate ita propria erat Romani Pontificis, ut eam adſcribere huic uni fas eſſet, præterea nemini: in omnibus enim, quas quidem legerim aliorum epiſtolis, legiſſe me quidpiam ſimile non memini. Quin etiam, ubi quis erat in Romanum Pontificem electus, eâ uti formulâ ante conſecrationem nefas erat; quod ex Gregorii VII exemplo colligere eſt; qui poſt conſecrationem eam ſemper formulam uſurpavit, antea nuſquam: *Gregorius in Romanum Pontificem electus Guillelmo Papienſi ſalutem in Domino Ieſu Chriſto*, vel *in Chriſto Ieſu*; quâ formulâ ante conſecrationem ſemper uſus eſt. VIII. Sub Gregorio VII, propria erat Romani Pontificis.

CAPUT VIII.

Honorificæ appellationes datæ Romano Pontifici.

INFINITA propè ſunt ea, quæ Romano olim Pontifici honoris ergò data ſunt cognomina. E pluribus pauca hoc loco colligere operæ pretium eſt: cujuſmodi ſunt, *Pater, Dominus, Pater Patrum, Papa, Archiepiſcopus, Patriarcha, univerſalis Patriarcha, Princeps Epiſcoporum, Summus Pontifex*, & alia id genus. Unum cujuſque, alterúmve adſcribemus exemplum; nec pigebit etiam eas, quibus Romanus Epiſcopus adverſus alios Patriarchas uſus eſt, appellationes interdum ſubtexere; ut ex earum contentione faciliùs intelligi poſſit, quo loco, & illi apud Romanum Pontificem eſſent, & apud illos Romanus Pontifex. Vel inde enim per-

INSCRIPTIONES. ſpicuum erit omnibus, jam tum Romanam Sedem aliis Patriarchalibus, ſive Alexandrinæ, ſive Conſtantinopolitanæ longè præſtitiſſe.

Romanus Pontifex dictus, Dominus, Pater, Papa, Archiepiſcopus, Patriarcha.

I. Romanus Pontifex appellatus *frater*. DUM ab Imperatoribus in Chriſtianum nomen ſævitum eſt, Romanus Epiſcopus, itidem ac cæteri, *frater*; ab aliis Epiſcopus dictus eſt: ſi tamen ex iis, quæ extant tum Cypriani ad Cornelium, tum Cornelii ad Cyprianum, epiſtolis conjectura fiat. In earum enim epigraphe nihil diſſimile: *Cyprianus Cornelio fratri ſalutem. Cornelius Cypriano fratri ſalutem.* Utriuſque diſpar poteſtas; par tamen erat & eadem appellatio. Id eò factum ſuſpicor, quòd vox illa *frater*, & ab Apoſtolis uſurpata ſæpius eſſet, & vinculum illud amoris, quo devincti inter ſeſe erant Epiſcopi, nativa ſua notione exprimeret. Ubi verò Chriſtiana res ſub Conſtantino efflorеſcere cœpit, adhibita quidem eſt interdum, ſed adjuncta ut plurimùm alia honeſtior: quod Ambroſii Mediolanenſis & Proterii Alexandrini exemplo diſcimus. Ita Ambroſius: *Domino dilectiſſimo fratri Siricio Papæ Ambroſius Baſſianus*, &c. Eodem propè modo Proterius: *Domino meo dilectiſſimo fratri & conſacerdoti Leoni Proterius in Domino ſalutem.* Poſt ſæculum quintum vox *frater* rariùs uſurpata eſt, eaque quòd uſi eſſent Galliæ Epiſcopi, illos, ne deinceps eam adverſus Romanum Pontificem adhibeant, Gregorius IV his verbis admonet: *Romano Pontifici ſcribentes contrariis eum in præfatione nominibus appellaſtis, Fratrem & Papam, dum congruentius eſſet ſolam ei paternam reverentiam exhibere.*

II. Dominus ab Epiſcopis & Patriarchis. Quod ætate noſtra fieri quotidie videmus, ut, qui inferior eſt, alium, qui aut nobilitate ſuperior ſit aut dignitate, Dominum appellet; qui verò ſuperior, ſi cum inferiori agat, eam vocem, aut raro, aut nunquam adhibeat. Idem inter Romanum & alios Patriarchas contigit, ut Romanus ab aliis *Dominus* ut plurimùm diceretur; alii à Romano nuſquam; cujus rei idoneos teſtes habeo Joannem Chryſoſtomum,

ſhum, Acacium, & alios aliis temporibus, quos appellare infinitum ſit: *Innocentio Epiſcopo Romæ Domino meo reverendiſſimo ſapientiſſimoque Ioannes in Domino ſalutem.* Cui inſcriptioni haud abſimiles ſunt hæ duæ, altera Acacii, Epiphanii altera, uterque Conſtantinopolitanus fuit Epiſcopus: *Domino ſancto Patri Archiepiſcopo Simplicio Acacius. Domino meo per omnia amabili Deo ſanctiſſimoque fratri & Comminiſtratori Hormiſdæ Epiphanius Epiſcopus in Domino ſalutem.* Epiſtolis verò Romanorum Pontificum hujuſmodi eſt inſcriptio: *Simplicius Epiſcopus Acacio Conſtantinopolitano Epiſcopo. Hormiſda Epiphanio Epiſcopo Conſtantinopolitano.* Eadem propè, quâ Patriarchæ, formulâ uſi ſunt Epiſcopi Galliæ, Africæ, Græciæ, Orientis. Exemplo ſit Avitus Viennenſis è Gallia: *Domino ſanctis meritis præcellentiſſimo in Chriſto glorioſiſſimo & apoſtolica Sede digniſſimo Papæ Hormiſdæ Avitus.* INSCRIPTIONES.

III. *Non tamen ab Imperatoribus.*

Duo tamen ſunt quæ hîc admonere operæ pretium eſt. Unum ſit: Romanus Epiſcopus ab Imperatoribus ſive Occidentis, ut ab Honorio, Valentinjano III; ſive Orientis, ut ab Juſtino, Conſtantino Pogonato, &c. nunquam *Dominus* appellatus eſt; quod in omnibus, quæ illorum epiſtolis præfixæ ſunt, inſcriptionibus diſcere licet; unus Maximus Tyrannus ea voce Siricium compellat: *Victor Maximus perpetuus triumphator Auguſtus Domino verè ſancto apoſtolico viro Siricio ſalutem.* Adhibita tamen eſt multò pòſt à Francis Imperatoribus, ut à Ludovico Pio & Lothario: *Sanctiſſimo ac reverendiſſimo Domino & in Chriſto Patri Eugenio Summo Pontifici & univerſali Papæ HLudovicus & HLotharius divina ordinante providentia Imperatores Auguſti, &c.* Alterum erit: ea appellatio *Dominus* à Romanis Præſulibus ut nunquam data eſt Epiſcopis, ſive Metropolitani eſſent, ſive Patriarchæ; ita nunquam negata eſt Imperatoribus, Patriciis, Conſulibus, Comitibus, &c. ut in Pontificum Epiſtolis videre eſt, & in Libro Diurno, quem edidit eruditiſſimus Garnerius noſter.

IV. *Pater & Papa.*

Pater & *Papa* Romanus Pontifex ſæpe dictus eſt: utraque vox, ut mihi quidem videtur, idem ſonat. Una tamen ab aliis adhibita eſt; ab aliis altera. *Patrem* & Cyrillus Alexandrinus Cæleſtinum, & ſanctum Leonem Flavianus Conſtantinopolitanus appellavit: *Beatiſſimo Deoque dilectiſſimo Patri*

INSCRI-PTIONES. *Cæleſtino Cyrillus in Domino ſalutem. Sanctiſſimo & beatiſſimo Patri & conſacerdoti Leoni Flavianus in Domino ſalutem.* Uterque tamen, ille à Cæleſtino, hic à ſancto Leone *frater*, nuncupatus eſt: *Cæleſtinus dilecto fratri Cyrillo. Leo Epiſcopus dilectiſſimo fratri Flaviano Conſtantinopolitano Epiſcopo.* Vocabulo *Papæ* uſi ſunt & Honorius Imperator & Tarraconenſis provinciæ Epiſcopi. *Victor Honorius ſancto ac venerabili Bonifacio Papæ urbis æternæ. Beatiſſimo & apoſtolicâ reverentiâ colendo Papæ Hilaro Aſcanius, & univerſi Tarraconenſis provinciæ Epiſcopi.* Utramque vocem in eadem adhibuit inſcriptione Juſtinianus poſtea Imperator: *Domino ſancto & meritis beatiſſimo, & apoſtolico Domino Patri Papæ Hormiſdæ Iuſtinianus vir clariſſimus.*

V. *Archiepiſcopus & Patriarcha.* Vocatus etiam eſt Romanus Epiſcopus *Archiepiſcopus*, & *Patriarcha*, quæ utraque appellatio quàm *Patris* & *Papæ* tum illuſtrior erat. Ita Calchedonenſis Synodus: *Sancta & magna & univerſalis Synodus.... ſanctiſſimo & beatiſſimo Romanorum Archiepiſcopo Leoni.* Haud aliter qui tum Orientis & Occidentis regebant Imperium Valentinianus & Marcianus: *Victores Valentinianus & Marcianus Leoni reverendiſſimo Archiepiſcopo glorioſæ civitatis urbis Romæ.* Utramque vocem uni intexuit epigraphe Anaſtaſius Imperator: *Victor Anaſtaſius Hormiſdæ ſanctiſſimo ac religioſiſſimo Archiepiſcopo & Patriarchæ.*

VI. *Qui à Romanis Pontificibus dicti Archiepiſcopi & Patriarchæ.* Primis quinque ſæculis, niſi mea me fallit opinio, nec *Archiepiſcopi*, nec *Patriarchæ* cognomen ulli datum eſt à Romano Pontifice. Extincto ſchiſmate Iſtriæ Aquilegienſis Epiſcopus *Patriarcha* appellari cœptus eſt, ut teſtis eſt Gregorius II: *Gregorius ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Donato Patriarchæ & Epiſcopis, atque Marcello Duci & plebi Venetiæ & Iſtriæ.* Deinde etiam aliis communicatum, ut Conſtantinopolitano ab Adriano I & à Nicolao I Bituricenſi: *Dilecto fratri Taraſio Patriarchæ Adrianus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei.* Eadem propè ætate appellatio *Archiepiſcopi* invecta eſt: quæ, ut conjectura eſt, primùm Epiſcopo Ravennati data; à quo potiſſimùm, neſcio. Id cur ſuſpicer, duæ cauſæ ſunt: una, unus Libri Diurni titulus, qui eſt hujuſmodi: *Ad Archiepiſcopum Ravennæ*; altera, epiſtolæ Paſchalis I

præfixa inſcriptio : *Paſchalis ſervus ſervorum Dei ſanctiſſimo fratri Petronacio Archiepiſcopo ſanctæ Ravennatis Eccleſiæ ; & per te in eadem Eccleſia in perpetuum.* Erat enim apud Romanum Pontificem Ravennatis Epiſcopi potior autoritas, quàm cæterorum : cùm enim penes Exarchum jus eſſet confirmandæ electionis Romani Antiſtitis, de quo agetur poſteà ; Epiſcopus Ravennas pro ſua apud Exarchum gratia, multùm Romanæ Sedi aut prodeſſe poterat, aut nocere. Nec minùs honorificæ ſunt Romano Pontifici, quæ ſequuntur, appellationes datæ ab Imperatoribus, Regibus, Patriarchis, Primatibus, Epiſcopis, &c. INSCRIPTIONES.

Romanus Pontifex dictus, Pater Patrum, Princeps Epiſcoporum, univerſalis Patriarcha, Summus Pontifex.

AT his omnibus, de quibus dictum eſt hactenus, tituli longè præſtant hi duo, *Pater Patrum* & *Princeps Epiſcoporum*, qui Romano Pontifici & ſeparatim dati ſunt, & conjunctim ; præterea nemini. *Pater Patrum* ab Epiſcopis Dardaniæ Hilarus dictus eſt : *Domino ſancto apoſtolico & beatiſſimo Patri Patrum Gelaſio Papæ urbis Romæ humiles Epiſcopi Dardaniæ* ; & ab Andrea Prævalitano Hormiſdas : *Domino ſemper meo beatiſſimo & apoſtolica Sede intima veneratione præferendo .... Patri Patrum Hormiſdæ Andreas.* *Princeps Epiſcoporum* adjunxerunt & Joannes Nicopolitanus : *Domino meo per omnia ſanctiſſimo ac Patri Patrum comminiſtro & Principi Epiſcoporum Hormiſdæ Ioannes in Domino ſalutem* ; & veteris Epiri Synodus : *Domino noſtro per cuncta ſanctiſſimo ac beatiſſimo Patri Patrum comminiſtro ac Principi Epiſcoporum Hormiſdæ Synodus veteris Epiri, Ioannes, Matthæus, &c.* I. *Pater Patrū & Princeps Epiſcoporū.*

Reliquum eſt, ut de duobus, qui ſuperſunt, agamus titulis, *univerſalis Patriarcha*, vel *Papa*, & *Summus Pontifex* : de quorum altero magna olim inter Joannem Conſtantinopolitanum & Gregorium Magnum contentio fuit, dum ille ſe Patriarcham œcumenicum inſcriberet, & id cuipiam licere Epiſcopo negaret Gregorius. *Summus Pontifex* uſu quotidiano, quando quis de Romano Antiſtite loquitur, ætate II. *Vniverſalis Patriarcha.*

INSCRIPTIONES. noſtra uſurpari ſolet. Primus Romano Epiſcopo tum à Græcis datus eſt, tum à Latinis; alter à Latinis tantùm: utriuſque exempla ſubjicio. *Univerſalis Patriarcha* ab Archimandritis Siriæ ſecundæ Hormiſdas nuncupatus eſt: *Sanctiſſimo & beatiſſimo univerſæ orbis terræ Patriarchæ Hormiſdæ.* Et *Papa OEcumenicus*, tum Leo II à Conſtantino Pogonato appellatus eſt, tum paulò pòſt Joannes V ab Juſtiniano II: *Flavius Conſtantinus fidelis in Jeſu Chriſto Deo Imperator Leoni ſanctiſſimo & beatiſſimo Archiepiſcopo veteris & clariſſimæ urbis Romæ & OEcumenico Papæ.* Ita etiam Juſtinianus II: *Juſtinianus fidelis in Ieſu Chriſto.... Joanni ſanctiſſimo ac beatiſſimo antiquæ almæ urbis Romæ, atque univerſali Papæ.*

III. *Summus Pontifex.* Appellatio verò hæc altera, *Summus Pontifex*, ex Africa, niſi falſus ſum, advecta eſt. Ea enim primi, quod ſciam, uſi ſunt Synodi Africanæ Patres anno circiter DCXLIV: *Domino beatiſſimo apoſtolico culmine ſublimato Patri Patrum Theodoro Papæ, & ſummo omnium Præſulum Pontifici Columbus, &c.* quæ à Francis poſtea Imperatoribus ſæpe adhibita eſt: *Sanctiſſimo & reverendiſſimo Domino & in Chriſto Patri Eugenio Summo Pontifici, & univerſali Papæ HLudovicus & HLotharius divina ordinante providentia Imperatores Auguſti, ſpirituales filii veſtri, ſempiternam in Domino noſtro Ieſu Chriſto ſalutem.* Et paulò pòſt HLotharius: *Sanctiſſimo & reverendiſſimo ſpiritali Patri noſtro Leoni Summo Pontifici & univerſali Papæ HLotharius divinâ providentiâ Imperator.* Non abs re fuerit hîc ſubjungere Pilgrimi Laureacenſis ad Benedictum inſcriptionem; rudis illa quidem eſt, & aliis omnino abſimilis, habet tamen aliquid præcipui: *Ordinis ac numinis chariſmate prarogato ſanctæ Romanæ Sedis univerſali Pontifici Benedicto Pilgrimus ſanctæ Laureacenſis Eccleſiæ humilis ſervitor, fidelitatem precum, devotumque ſervitium.* Singularis etiam hæc eſt, quæ apud Rubeum extat, Aratoris Subdiaconi ad Vigilium inſcriptio: *Sanctiſſimo atque Apoſtolico & in toto orbe primo omnium Sacerdotum Papæ Vigilio,*

IV. Hæc cognomina nemini data à Romano Pontifice. Qui à Romanis Pontificibus *Domini* appellatione cohoneſtati ſint; qui *Archiepiſcopi* titulo, quive *Patriarchæ*, quandóque id fieri cœptum ſit, dictum eſt ſuperiùs: ſed hîc annotare non abs re fuerit, quòd cætera, quæ priùs appellavi, co-

gnomina nulli unquam à Romanis Epiſcopis data ſint. In omnibus enim illorum epiſtolis, niſi mea me fallit memoria, qui vel *Pater* dicatur, vel *Papa*, qui *Pater Patrum* aut *Princeps Epiſcoporum*, qui *Patriarcha univerſalis*, qui *Summus Pontifex* ab iis appelletur, reperias planè neminem: unde cuivis colligere promptum eſt, quanta ſemper apud omnes orbis Chriſtiani & Principes & Epiſcopos fuerit Romanæ Sedis autoritas, cujus Epiſcopi tot inſignibus ornati ſunt titulis; nec tamen neſcius ſum voces iſtas, *Pater* & *Papa*, ab omnibus olim Epiſcopis fuiſſe adverſus alios Epiſcopos uſurpatas ſæpius, & Lupum Tricaſſinum à Sidonio *Patrem Patrum* & *Epiſcoporum Epiſcopum* dictum eſſe, & Conſtantinopolitanum Patriarcham à Græcis & Orientalibus *OEcumenici Patriarchæ*, & aliis alios appellationibus inſignitos. Ita etiam magnifici tituli, ſi Rubeo credimus, Ravennati Epiſcopo circa nonum & decimum ſæculum dati ſunt, ut in hac inſcriptione videre eſt: *Domino ſancto & meritis beatiſſimo atque Apoſtolico Patri Patrum Domno Conſtantino ſanctiſſimo S. Catholicæ Ravennatis Eccleſiæ Archiepiſcopo;* quas tamen appellationes vel à Ravennatibus, vel à Suffraganeis Epiſcopis tantùm, non ab aliis ipſi datas ſuſpicor.

INSCRIPTIONES.

At quis præter Romanum Pontificem ab omnibus omnium gentium Epiſcopis, Patriarchis, Regibus, Imperatoribus, unquam vocatus eſt *Pater Patrum, Princeps Epiſcoporum, univerſalis Patriarcha, Summus Pontifex?* Quî fieri potuit, ut tot tum Epiſcopi, tum Principes, & temporum & locorum intervallo inter ſe longè diſſiti, & à ſe invicem linguâ, moribus, legibus abhorrentes, Ægyptii, Orientales, Græci, Africani, Galli, Angli, Hiſpani, Germani, Itali, &c. in Romana Sede tot laudibus ornanda conſenſerint, niſi perſuaſum fuerit omnibus, datum olim à Chriſto ſuper cæteros Apoſtolos principatum B. Petro, ad omnes deinceps fuiſſe Romanæ Sedis Antiſtites propagatum.

V. Ab aliis nulli Romano Pontifici data.

Clauſulæ epiſtolarum.

CAPUT VIII.

Notæ temporis Romanorum Pontificum epiſtolis appoſitæ.

Notæ temporis ſeptem.

EPISTOLIS Romanorum Pontificum temporis, quo quæque ſcripta eſt, notæ ſubjungi ſolent omnino ſeptem: dies menſis, Conſul illius anni, annus Imperatoris, ipſius Conſulatus, annus tum Indictionis, tum Incarnationis Chriſti, tum illius, qui ſcribit, Pontificis. Quæ enim in Urbani II diplomate pro Cœnobio S. Michaëlis ad Moſam legitur & *Epacta* & *Concurrens*, haud ſcio an ab ullo prætera uſquam adhibita ſit: non omnes tamen ab omnibus hæ temporis notæ ſemper aſcriptæ ſunt; ſed aliæ ab aliis, modò una alteráve, modò plures, pro cujuſque arbitrio. De ſingulis videbimus breviter, quando, & à quibus uſurpari & cœptæ & deſitæ ſint.

Dies menſis.

Dies menſis.

MORIS erat apud veteres, ſive Græcos, ſive Romanos, ut in extremis literis diem menſis apponerent. Qua enim potiſſimùm die ſcripta ſit epiſtola, cognoſcere, ſæpe & ad rem, qua de agitur, pertinet; & illius, cui ſcribitur, nonnihil intereſt. Diem menſis à Romanis Pontificibus veterum exemplo aſcriptam eſſe, plures eorum teſtantur epiſtolæ: quòd verò in multis hujuſmodi nota nulla ſit, id vel notarii negligentiâ contigit, vel collectorum vitio. Dies menſis quota eſſet, ſecunda, tertia, an quarta, &c. à Kalendis, Nonis, Idibus, Romanorum more, & repetita & appellata: ut *data duodecimo Kalendas Junias*, *data Idibus Junii*. Id cùm à Siricio aliiſque deinceps Pontificibus ad noſtram uſque ætatem uſurpatum ſit; idem ab aliis etiam, quorum non extant epiſtolæ, factitatum, par eſt credere. Sed in ea re, ut facillima & nota omnibus, nihil opus eſt diutius immorari.

CLAUSULÆ EPISTOLARUM.

Conſules.

I. Conſules quando notari cœpti ſunt.

UT apud Athenienſes Ἀρχόντων, ita apud Romanos Conſulum & Magiſtratu & nomine annorum numerum ſignari ſolemne fuit: quare in legum, fœderum, teſtamentorum inſtrumentis, & aliis id genus actis publicis aſcripta ſemper Conſulum nomina. At quis Romanorum Pontificum eâ temporis notâ ante Siricium uſus ſit, nemo, niſi conjecturâ, poteſt aſſequi. Quæ enim Conſulum nomina habent epiſtolæ, aut ſuppoſititiæ ſunt; aut ea nota à neſcio quo contra Hiſtoriæ fidem temere addita eſt. Primus, ut mihi quidem videtur, Conſulum nomina appoſuit Siricius. Semel epiſt. I. ad Himerium: *Data III Idus Februarii, Arcadio & Bautone viris clariſſimis Conſulibus.* Iterum epiſt. 4. ad Epiſcopos Africæ: *Data Romæ poſt Conſulatum Arcadii Auguſti & Bautonis virorum clariſſimorum Conſulum.* Hanc deinde notam ſuis quiſque epiſtolis, prout libitum fuit, vel rariùs ſubjunxit, vel ſæpius.

II. Quando appoſitum, *poſt Conſulatum.*

Sub Juſtiniano hæc ſignandi temporis ratio immutata eſt. Anno DXL Conſul fuit Juſtinus Junior; anno DXLI Baſilius item Junior; anno DXLII Juſtiniani juſſu & Triboniani operâ, penes utrumque enim hujus rei invidia fuit, Conſules creari deſiti ſunt; tum à Conſulatu Baſilii Junioris, qui Conſulum ultimus erat, anni numerari cœpti: quod ex unius Vigilii epiſtolis intelligere eſt. In epiſtola enim quinta ad Mennam appoſitum nomen Conſulis: *Juſtino viro clariſſimo Conſule;* in aliis non item; ſed *poſt Conſulatum Baſilii.* Exemplo ſint illius epiſtola ſexta & ſeptima ad Auxanium Arelatenſem, quarum in prima legere eſt: *Iterum poſt Conſulatum Baſilii viri clariſſimi.* In altera: IV *poſt Conſulatum Baſilii viri clariſſimi.* Illa enim ſcripta eſt anno DXLIII, hæc anno DXLV.

III. Quando omiſſi Conſules.

Hic uſus in aliis etiam aliorum Pontificum epiſtolis obtinuit uſque ad annum DLXVII, quo à Juſtiniano ſancitum eſt, ut ſicut priùs Conſulum, ita deinceps Imperatorum nomine anni ſignarentur. Nec quemquam moveat Pelagii I ad Vigilium epiſtola, cui ſubjuncta eſt hæc clauſula: *Ioanne &*

CLAUSULÆ EPISTOLARUM.

Narſete viris clariſſimis Conſulibus. In eam enim irrepſit error, cùm & eo, quo ſcripta eſt, anno nullus Conſul eſſet, & in aliis Pelagius ipſe epiſtolis ſemper apponat, *poſt Conſulatum Baſilii*.

Annus Imperatoris.

I. Annus Imperatorum Græcorum.

POSTQUAM anno circiter DLXVII tempus Imperatorum annis notari cœptum eſt, non continuò adhibita ab omnibus eſt ea temporis nota. Nullam enim, ſi bene memini, Romanorum Pontificum legi epiſtolam, quæ vel Juſtiniani, vel, qui illum excepit, Juſtini nomen habeat. Primus, niſi falſus ſum, Imperatoris & nomen & annos adſcripſit anno DLXXXIV Pelagius II epiſtolâ ad Annacharium Antiſſiodorenſem Epiſcopum: *Datum* III *Nonas Octobris imperante Domino Tiberio Conſtantino Auguſto anno* VII. Eſt etiam & ejuſdem ad eumdem altera, cujus hæc clauſula eſt: *Datum pridie Kal. Novembrium Domino Mauritio Tiberio imperante Auguſto* V, *Indictione* V. Quod ab aliis poſtea uſurpatum eſt, ut ab Honorio, Gregorio II, Zacharia, &c. Ita enim Gregorius II epiſt. I ad Bonifacium: *Data Idibus Maii imperante Domino piiſſimo Auguſto Leone à Deo coronato magno Imperatore, an.* III. *Imperii ejus, Indictione undecima.*

Francorū, Italorum, Germanorum.

Ubi Carolus Magnus Imperii adeptus eſt inſignia, Imperatores Græci in epiſtolis Pontificum nuſquam appellati; ſed in eorum locum adſciti Occidentis Imperatores, primùm Franci, deinde Itali, denique Germani. Multa hoc loco congerere exempla nullius eſt operæ; ſed de ſingulis ſingula ſubjicere ſatis erit. De Francis Benedictus III epiſt. 4, de privilegiis Corbeiæ: *Imperante Domino piiſſimo Auguſto H Lothario à Domino coronato magno Imperatore anno* XXXIX. De Italis Formoſus in Bulla, ut vocant, pro S. Theuderici Monaſterio Viennenſi: *Data imperante Domino piiſſimo PP. Auguſto Vidone à Deo coronato magno Imperatore anno* I, *& poſt Conſulatum ejus anno* I, *Indictione* X. De Germanis Joannes XIII in Privilegio Monaſterii S. Remigii: *Datum per manum* ..... VIII *Kal. Maii anno Pontificatus Domini noſtri Ioannis ſanctiſſimi & decimi-tertii Papæ; Imperii autem Domini*

Othonis

Othonis Majoris Auguſti XI, *Junioris verò* V, *in menſe quarto, Indictione quintodecima.* CLAUSULÆ EPISTOLARUM.

Sunt qui velint annos Imperatorum in Pontificum epiſtolis non priùs notari deſitos eſſe, quàm teterrimum illud exarſit inter Gregorium VII & Henricum Imperatorem diſſidium: qui, quàm opinione ſua falſi ſint, docent multa multorum Pontificum ante Gregorium Diplomata, in quibus ne ulla quidem ſive Imperatoris, ſive Imperii mentio eſt: nec enim appoſita eſt ea nota à Clemente II in Privilegio Eccleſiæ Salernitanæ, nec à Leone IX in Diplomatibus de corpore S. Dionyſii; de privilegiis Monaſteriorum, tum Corbeienſis, tum Cluniacenſis. Omiſſa etiam eſt à Victore II, Stephano IX, & Alexandro II: tum ferè obtinuit, ut quatuor notæ ut plurimùm adhiberentur, dies menſis, annus Indictionis, annus tum Chriſti, tum Pontificis, ut in hac quæ Leonis IX eſt, clauſula: *Anno Domini milleſimo quinquageſimo ſecundo, anno Pontificatus Domni Leonis noni quarto, Indictione quinta, Nonis Octobris.* III. Quando a cribi deſiit.

Conſulatus Imperatorum.

ANNO DXLII, uti dictum eſt ſuperiùs, deſierunt creari Conſules; anno verò DLXVII, quo & obiit Juſtinianus, & Juſtinus Junior iniit Imperium, Conſulis dignitas Imperatoriæ adjuncta eſt, & idem Conſul fuit, qui Imperator; iſque & unus & perpetuus: quod à Juſtino Juniore cœptum, ab aliis etiam non Orientis modò, ſed & Occidentis Imperatoribus, tum Francis, tum Italis uſurpatum eſt. De Germanis enim nihil habeo, cur aut affirmem, aut negem. Singulorum, quæ occurrent, exempla ſubtexam. Duplex fuit notandi hujuſmodi Conſulatus ratio: altera, quâ anni Conſulatus numerati, ut vulgò Imperii, *ſecundus, tertius, quartus, &c. Anno tertio Conſulatus Juſtini Junioris Auguſti;* altera, quâ ab inito Conſulatu annorum numerus deductus eſt, ut *poſt Conſulatum Tiberii novi Conſtantini iterum ſolius*, vel *tertiùm ſolius*, vel *poſt Conſulatum Mauritii anno quarto aut quinto.* I. Conſulatus duplici modo notatus. II. Suſceptus aliquando cum Imperio.

Sicut idem Conſul erat, qui Imperator, ita idem ſæpe

Clausulæ epiſtolarum.

Conſulatus initium, quod Imperii; iidemque utriuſque anni, ut videre eſt in iis, quæ hîc deſcribere libuit, exemplis. Gregorius II ep. 8 ad Bonifacium; *Data pridie Nonas Decembris, imperante Domino piiſſimo Auguſto Leone à Deo coronato magno Imperatore anno* VIII, *poſt Conſulatum ejus anno* VIII, *&c.* Carolus Magnus in Edicto de Legibus Longobardorum emendandis: *Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti* DCCCI, *Indictione* IX, *anno regni noſtri in Francia* XXXIII, *in Italia* XXVIII; *Conſulatus autem noſtri* I. Ita etiam Marinus Papa in Bulla pro Laudenſi ſede: *Imperante Domino noſtro piiſſimo perpetuo Auguſto Carolo à Deo coronato magno Imperatore anno* III, *& poſt Conſulatum ejus anno* III, *Indictione* I. Formoſus in Diplomate de Viennenſi S. Theuderici Monaſterio: *Data imperante Domino piiſſimo P. P. Auguſto Vidone à Deo coronato magno Imperatore anno* I, *& poſt Conſulatum ejus anno* I, *Indictione* X.

III. Aliquanto poſt Imperium.

Ne cui tamen ea, quam poſui, ſuſcipiendi ſimul & Imperii & Conſulatus conſuetudo fraudi ſit, duplex adhibenda cautio eſt. Prima, ſi quis medio aut extremo anno imperare cœperat, is anni tantùm ſequentis initio ſolebat inire Conſulatum, quem à Kalendis Januariis auſpicari ſolemne fuit. Interdum etiam Conſulatus in annum, vel tertium, vel quartum rejectus eſt: unde qui Imperii quartus erat, is Conſulatûs interdum ſecundus fuit, vel tertius. Quod ne quis à me temere dictum putet, conſulat epiſtolas tum Theodori Papæ ad Babolenum Bobienſem Abbatem, & Adriani II ad Ætardum Nannetenſem Epiſcopum, quarum altera id probat de Græcis: *Data quarto Nonas Maii, Imperii Domini piiſſimi Auguſti Conſtantini anno ſecundo, Conſulatûs primo, Indictione prima*; altera de Francis: *Quinto Kalendas Martias, imperante Domino noſtro piiſſimo perpetuo Auguſto Ludovico Magno Imperatore anno* XIX, *& poſt Conſulatum ejus anno* XVIII, *Indictione* I.

IV. Filius eum patre numquam Conſul.

Altera cautio hæc eſt: ſi in ſocietatem Imperii filius à patre aſcitus erat, exordium quidem Imperii ab eo annó petitum, Conſulatûs non item. Nec enim, quoad pater vixit, filius unquam Conſul dictus eſt: Imperatores erant duo, at unus Conſul. Ubi verò mortem obierat pater, continuò

CLAUSULÆ EPISTOLARUM.

filius Conſul appellari cœptus eſt, quod vel ex uno Conſtantini Copronymi exemplo planum fit, ut teſtantur Romani Pontifices duo, Zacharias & Paulus I. Zacharias hanc epiſtolæ primæ ſubjunxit clauſulam: *Data pridie Kal. Novembris, imperante Domino piiſſimo Auguſto Conſtantino à Deo coronato magno Imperatore anno* XXVII, *Imperii ejus anno* V, *Indictione* XIV. Idem enim hoc loco ſonat Imperium, quod Conſulatus, ut res ipſa loquitur, & Paulus I explicat, tum in Diplomate de immunitate S. Hilarii Galiatenſis: *Datum Nonis Februariis, imperante Domno piiſſimo Auguſto Conſtantino à Deo coronato magno Imperatore anno* XL, *& P.C. ejus anno* XX. *ſed & Leone Imperatore ejus filio anno* VII, *Indictione* XII. Tum in alio de Monaſterio SS. Stephani & Silveſtri: *Datum* IV *Nonas Iunii, imperante Domino Conſtantino Auguſto à Deo coronato magno Imperatore anno* XLI, *ex quo cum patre regnare cœpit, & P.C. ejus anno* XXI. *Indict.* XIV.

V. Quid ſibi velint Proconſulatus & Patriciatus.

Duæ ſunt clauſulæ, quæ vel eruditis nonnihil negotii interdum faceſſere ſolent. Una eſt Honorii Papæ: *Data* III *Idus Iunias, imperantibus Dominis noſtris piiſsimis Auguſtis Heraclio anno* XXIV; *Proconſulatûs ejuſdem anno* XXIII, *& Conſulatus ejus anno tertio.* Altera Paſchalis I: *Imperante Domino noſtro Principe Auguſto Ludovico à Deo coronato magno & pio Imperatore anno quarto, & Patriciatûs anno tertio.* Quid hîc ſibi velint hæ duæ voces, *Proconſulatus*, & *Patriciatus*, conjicere haud promptum eſt. Sunt qui pro Patriciatu *poſt Conſulatum* legendum putent, quod cum aliis, quæ de Ludovico Pio agunt, clauſulis conſonat, niſi forte eadem, tum apud Romanos fuerit notio utriuſque iſtius vocis, *Conſulatus* & *Patriciatus*: quia utriuſque dignitatis par propè poteſtas erat. At in alia, quæ Honorii eſt, clauſula, nemo niſi temere per *Proconſulatum*, *Conſulatum* intelligat: cùm alter ab altero diſtinguatur, & appellatione & annorum numero. Si conjecturâ, ut in re dubia, uti licet, ſuſpicor, occiſo Phoca non aſcitum ab Heraclio nomen *Conſulis*; ſed modeſtiæ causâ *Proconſulis*, erat enim in gravi periculo publica res; ſed poſt victorias relatas de Perſis viginti pòſt annis, nomen Conſulis itidem ac alios aſſumpſiſſe.

CLAUSULÆ EPISTOLARUM.

Indictio.

I. Varia ratione adhibita.

QUÆNAM ſit Indictionis origo, quóve tempore adhiberi cœperit, cur quæque ſpatio quindecim annorum definita, inter eruditos jamdiu quæſitum eſt. Vulgò putant ſub Conſtantino Magno anno CCCXII, prodiiſſe, ſed mera conjectura eſt: meminit quidem Indictionis Ambroſius, & poſt eum Theodoſianus Codex. Apud alios ætate ſuperiores, ne ullum quidem ejus veſtigium eſt. Tria tamen de Indictione certa ſunt: primum, Indictiones nihil aliud eſſe, quàm tributa, quorum modus quotannis indicebatur: alterum, Indictiones ſingulas decimo-quinto quoque anno terminari: tertium, illarum uſum fuiſſe triplicem: alia enim incipit à Kalendis Septembris, quæ Conſtantinopolitana; alia ab octavo Kal. Octobris, quæ Cæſarea; alia à Kalendis Januariis, quæ ideo & Pontificia dicitur & Romana, quòd in pontificiis Diplomatibus uſurpetur.

II. Quando aſcripta & omiſſa.

Multò poſt Conſtantini tempora in Romanorum Pontificum epiſtolis Indictio adſcribi cœpta eſt: à nemine, quod ſciam, ante Symmachum appoſita. Is epiſtolâ 3 ad Liberium Patricium primus, ut opinor, eam notare inſtituit: *Data* XVIII *Kalend. Novemb. die, Indictione* VIII. Poſtquam Conſulum nomina appingi deſierunt, uſus Indictionis frequentior fuit, ſæpiuſque cùm à Pelagio II, tum ab aliis deinceps Pontificibus adhibita, ut in illorum epiſtolis legere licet. Ad annum ferè MCXCI ea annotandæ Indictionis conſuetudo obtinuit, quamvis à nonnullis interdum neglecta. Cæleſtinus III eam uſurpare deſtitit, ejuſque exemplo Innocentius III, Gregorius IX, Alexander IV, Clemens IV, Martinus IV, & alii. Tum duplex ut plurimùm temporis nota epiſtolis, quas *Brevia* vocant, ſubjecta eſt, dies menſis & annus Pontificatûs, hoc ferè modo: *Datum Laterani* II *Idus Ianuarii, Pontificatus noſtri anno* V.

III. Bis appoſita.

In aliis verò ſeu Diplomatibus ſeu Bullis, ut dicitur, nota temporis multiplex eſt: tempus enim & ſcripti & dati Diplomatis apponitur. Alio enim die ſæpe ſcriptum eſt, alio datum, quod Notarii eſſet ſcribere. Poſt vocem enim *ſcripta,*

nota temporis duplex addita eſt, altera menſis, Indictionis altera : poſt hanc verò *data*, vel *datum*, ſubjecta eſt dies menſis, annus tum Pontificis, tum Imperatoris, & iterum Indictio. Exemplo nobis ſit hæc Joannis XIII clauſula, in Privilegio Monaſterii ſancti Remigii ſcripta per manus Stephani, &c. *Indictione* XV *datum per manum ...* VIII *Kal. Maii anno Pontificatûs Domini noſtri Ioannis ſanctiſſimi, & XIII Papæ; Imperii autem Domini Othonis Majoris Auguſti* XI, *Iunioris verò* V, *in menſe quarto, Indictione quintodecima.* CLAUSULÆ EPISTOLARUM.

Annus Incarnationis Dominicæ.

UT in multis aliis, ita in ea, quâ de hîc agimus, quæſtione, duobus eruditiſſimis viris, Mabillonio & Papebrochio non convenit. Ille enim notandæ Incarnationis Dominicæ exordium à Leone IX; hic ab Eugenio IV repetit. Neutri ego omni ex parte aſſentior: Mabillonii tamen opinioni ſubſcripſerim libentiùs. Quis enim inducat in animum, tot Pontificum epiſtolas, quibus annus Chriſti ſubjunctus eſt, ut Leonis IX, Victoris II, Stephani IX, Nicolai II, Gregorii VII, & alias aliorum, vel corruptas eſſe, vel fictitias, ut Papebrochio viſum eſt? Duo affirmat Mabillonius: unum, Victoris II & Stephani IX ætate jam moris fuiſſe, ut in Diplomatibus, quotus eſſet annus Chriſti, notaretur; alterum, iſtius conſuetudinis autorem fuiſſe Leonem IX. Unde colligit ineſſe aliquid vitii in iis, ſive Honorii, ſive Joannis XIII clauſulis, quæ annum Incarnationis præferunt: nec enim, ut ipſi videtur, par eſt credere, illos annum Chriſti, præter cæterorum Pontificum morem, jam tum adſcripſiſſe. I. An ante Eugenium IV & Leonem IX aſcriptus.

Primum, quod poſuit, ipſi lubens conceſſerim; alterum non item. Si enim & Honorii & Joannis XIII clauſulæ eo nomine repudiandæ ſunt, quòd id habeant præ cæteris ſingulare, quòd aliis illius ævi abſimiles ſint; eodem ego jure eas omnes reſpuam, in quibus anni ſive Conſulum, ſive Imperatorum, ſive Indictionis apponi cœpti ſunt: quæ tamen omnium eruditorum ſuffragio genuinæ ſunt & ſince- II. Ante illos Pontifices annotatus.

CLAUSULÆ EPISTOLARUM.

ræ. Annon ea eſt rerum omnium, quæ in uſu poſitæ ſunt, natura & conditio, ut non ſimul ab omnibus adhibeantur: ſed ab aliis alio tempore? idque maximè cùm nulla lege, ne ſecus fiat, cautum eſt: quod ut in aliis temporum notis, de quibus actum eſt, tum in annis Chriſti contigit: primùm, eam notam unus altérve adhibuit; deinde plures, donec tandem uſu & conſuetudine ab omnibus uſurpata eſt.

III. Ab Honorio I & Joanne XIII.

Annos igitur Incarnationis Dominicæ, primus, ut mea quidem eſt opinio, aſcripſit, nec Eugenius IV, ut Papebrochio placet; nec Leo IX, ut Mabillonio; nec Paſchalis I, ut Aventino: ſed qui ætate illis ſuperior eſt, Honorius, vel qui Paſchali inferior eſt, Joannes XIII. Ita Honorius ad Honorium Dorobernenſem: *Data* III *Idus Junias, imperantibus Dominis noſtris piiſſimis Auguſtis Heraclio anno* XXIV, *Proconſulatus ejuſdem anno tertio, Indictione* VII, *id eſt, anno Dominicæ Incarnationis* DCXXXIII. Bis eâ notâ uſus eſt Joannes XIII. Semel epiſtolâ ad Landulphum Beneventanum: *Datum* VII *Kal. Iunii per manum.... anno Pontificatûs Domini noſtri Ioannis decimi-tertii Papæ, quarto Imperii Othonis... anno Dominicæ Incarnationis* DCCCCLXIX. Iterum in Diplomate de privilegiis Monaſterii à Berengario Virdunenſi Epiſcopo extructi: *Datum* V *Idus Ianuarii per manum Marini.... anno ab Incarnatione Domini* DCCCCLXXI.

IV. Fortè etiã à Pelagio II.

At in Honorii clauſulâ iſta verba, *id eſt, filio ejus*, & hæc, *id eſt, anno Dominicæ Incarnationis* DCXXXIV, à Beda, ut conjicit Mabillonius, addita ſunt. Id ſanè, ne quid diſſimulem, fieri à Beda potuit; factúmne ſit, an ſecus, non liquet. Quid vetat ab Honorio ipſo poſita explicationis gratiâ fuiſſe; quòd primus eam clauſulam adhiberet? Præterea in duas Joannis XIII clauſulas errorem irrepſiſſe cur ſuſpicetur, nihil eſt: nec leve etiam argumentum eſt, quòd epiſtolæ octavæ Pelagii II, qui ætate Honorio ſuperior eſt, ſubjuncta ſit hujuſmodi clauſula: *Data Kalendas Martii anno Domini* DLXXXVII, *Indictione* V. Si enim hæc epiſtola Pelagii eſt, ut Cardinalis Baronius & Binius augurantur, res confecta eſt; Pelagius II multis ante Leonem IX ſæculis annum Chriſti appoſuit: ſin verò eſt Mercatoris, ut aliis videtur, indicio ſaltem eſſe poteſt, quòd Mercatoris tempore, qui

Adriano, aut major, aut ſuppar ætate fuit, notatus identidem fuit in epiſtolis Pontificum annus Incarnationis. Qui enim Mercatori in mentem veniſſet id fingere, ſi hujuſmodi clauſulas nuſquam vidiſſet? CLAUSULÆ EPISTOLARUM.

Poſt Joannnem XIII Leo IX annum Incarnationis ſæpius annotare inſtituit: quod cum ex multis Diplomatibus, tum ex his duobus diſcere licet; quorum alterum eſt de corpore ſancti Dionyſii: *Datum anno Domini milleſimo quinquageſimo ſecundo, anno Pontificatûs Domini Leonis IX Papæ quarto*, &c. alterum pro Metenſi ſancti Arnulphi Cœnobio: *Datum* V *Idus Octobris... anno Domini Leonis Papæ I, Indictione* XI; *anno verò Dominicæ Incarnationis* MXLVIII. Cur verò eâ temporis notâ ſæpius quàm cæteri, uſus ſit, id cauſæ fuit, ut optimè auguratur Mabillonius, quòd ipſe Germanus eſſet ex Imperatorum ſtemmate; quòd Tullenſis Epiſcopus; quòd ipſius Cancellarius Tullenſis patriâ: hujus enim calculi frequens, tum apud Germanos, tum apud Tullenſes uſus erat. V. A Leone IX ſæpius uſurpatus.

Leonis IX veſtigiis inſtiterunt Victor II, Stephanus IX, Nicolaus II, Gregorius VII, &c. Sed in eam rem ſingularis eſt Urbani II pro Cœnobio ſancti Michaëlis ad Moſam hæc clauſula, quam hìc ſubjungere non pigebit: *Data Laterani* VII *Kal. Aprilis, anno ab Incarnatione Domini ſecundùm Dionyſium milleſimo nonageſimo nono; ſecundùm verò certiorem Evangelii probationem milleſimo centeſimo* XXI, *Indictione* VI, *Epacta* XV, *Concurrente* IIII. Ne quem verò moveat Eugenii IV Decretum, quod Paulo de Middelburgo & Ciaconio fraudi fuit: eò enim pertinet, ut à vetere & jam recepta conſuetudine ne quis recederet, non ut nova inducatur. Verba illius ſunt hæc: *Eugenius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sicut prudens paterfamilias.... Item quòd dicti ſcriptores ſint diligentes in ſcribendo literas in bona forma, & virgulent, & ſequantur, & ſtudeant ſtylum Cancellariæ antiquum, & laudabilem in omnibus ſervare, &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo quadringenteſimo quadrageſimoquinto, &c.* In quibus verbis nihil eſt unde quis elicere poſſit, annum Incarnationis ante Eugenium ab aliis nuſquam VI. Et ab aliis deinceps Pontificibus.

Pontificibus annotatum fuiſſe. Imò quid ſibi vult *Stylus* ille *Cancellariæ antiquus & laudabilis*, quem & ipſe obſervat, & ab aliis obſervari imperat? Annon inde conſequens eſt, morem aſcribendi Incarnationis anni jam fuiſſe ab aliis uſurpatum. Sed de his hactenus.

Annus Pontificis.

I. Annum ſuo nomine ſignare, indicium eſt ſummæ poteſtatis.

SUo, vel nomine, vel magiſtratu ſignare tempora, ſummæ ſemper fuit poteſtatis indicium. Unde, ſi quod in epiſtolarum clauſulis ad temporis notam adhibitum nomen, vel Conſulis fuit, uti diximus, vel Imperatoris; alterius enim apponere nefas erat. Quòd cùm ab omnibus, tum à Romanis etiam Pontificibus factitatum vidimus. Nec enim, dum Roma Græcis paruit, Romani Antiſtitis nomen in hujuſmodi clauſulis uſquam legere eſt. Ubi verò à Francis Regibus data Romanæ Sedi Pentapolis, Exarchatus, &c. potior apud Romanos Romani Præſulis, quàm Imperatoris Græci autoritas eſſe cœpit: tum Imperatorum nomina apponi deſita ſunt, & Pontificis cujuſque nomen eorum loco aſcriptum; quod qua ratione contigerit, paucis dabimus.

II. Adrianus I annum ſui Pontificatûs aſcripſit.

Adrianus I Diplomati, quo Monachis Sandionyſianis indulſit, ut proprium haberent Epiſcopum, non nomen quidem ſubjecit ſuum, ſed ſui Pontificatûs annos. Quod ne quid offenſionis haberet, duplex ab eo adhibita cautio eſt: prima, nulla ſive Imperatoris, ſive Imperii facta mentio; altera, nomen Chriſti, cujus ipſe Vicarius erat, ſuo præpoſitum. Clauſula verò eſt hujuſmodi: *Datum Kal. Iuliis per manum Primicerii, regnante Domino Deo & Salvatore Ieſu Chriſto, cum Deo Patre omnipotente, & Spiritu ſancto per infinita ſæcula, anno, Deo propitio, Pontificatûs Domini noſtri in Apoſtolica ſacratiſſima beati Petri Sede* XV, *Indictione* IX. Suum etiam nomen in epiſtola 2 ad Carolum Magnum aſcripſit Leo III; an verò eâdem, quâ Adrianus, formulâ uſus ſit, quòd clauſula mutila ſit, conjicere haud licet. Verba ſunt hæc: *Anno Domini... Leonis* III, IV *Indictione.*

III. Benedictus IV annis Imperatoris præpoſuit.

Benedictus IV in epiſtola ad omnes Galliarum, & Duces, & Archiepiſcopos, Imperatoris nomen, qui tamen obierat, ſuo

ſuo ſubjunxi: *Data* XI *Kal. Septemb. anno Domini Benedicti Papæ primo, anno* XI *poſt obitum Lamberti Imperatoris Auguſti, Indictione* III. Nonnihil diverſæ ſunt Joannis XII, Joannis XIII & Gregorii V clauſulæ: unam alterámve hîc appingere ſatis erit. Joannis hæc eſt in Privilegio pro Monaſterio Virdunenſi: *Datum* V *Idus Januarii per manum Marini ... anno, Domino propitio, Pontificatûs Domini Joannis Summi Pontificis & univerſalis* XIII *Papæ in ſanctiſſima Beati Petri Apoſtica Sede decimo-ſeptimo*, &c. Cui non abſimilis eſt hæc altera Gregorii V epiſt. 2 ad Gerbertum Ravennatem: *Anno Pontificatûs Domini Gregorii Summi Pontificis & univerſalis Papæ in ſanctiſſima Sede Beati Petri Apoſtoli anno undecimo, imperante Domino Othone* III *à Deo coronato magno & pacifico Imperatore*, &c. In quibus clauſulis duo annotaſſe non abs re fuerit: unum, quòd uterque, *Summus Pontifex*, dicatur, & *univerſalis Papa*; alterum, quòd Imperatoris nomini nomen Pontificis præponatur: quod in aliis etiam Pontificum epiſtolis uſurpatum eſt.

CLAUSULÆ EPISTOLARUM.

IV. Duplex illius annotandi ratio.

Alia verò ſcribendæ clauſulæ ratio ab Urbano II invecta eſt, in famoſo illo de Monarchia Sicula Diplomate: *Anno Pontificatûs noſtri undecimo*. Nec enim in ea vel Notarius, vel Cancellarius, vel quivis alius de Pontifice, ſed ipſe de ſe Pontifex loquitur: quæ & à Paſchali II in Bulla de canonizatione, ut loquuntur, ſancti Petri Anagniæ Epiſcopi, & ab Innocentio II ſæpius, & aliis deinceps Pontificibus ſæpiſſime adhibita eſt; nec vetus illa tamen, de qua priùs egimus, repudiata; ſed ſuum utrique munus fuit. Si in clauſula Cancellarii mentio fit, ut *Datum per manum Aymerici Cancellarii*; vetus apponitur; ſin minùs, nova. Utriuſque exemplum ſubjicio: *Datum Laterani per manum Rolandi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Cancellarii Idibus Iunii, Indictione* V, *Incarnationis Dominicæ anno* MCLVII; *Pontificatûs verò Domini Adriani Papæ IV anno* III. Hæc vetus. Nova hujuſmodi eſt: *Datum Laterani ſecundo Idus Januarii, Pontificatûs noſtri anno* V. Hæc ferè habui, quæ de Summorum Pontificum epiſtolis hoc loco ſcriberem.

DISSERTATIO SECUNDA,

De Provinciis & Urbibus Ditionis Pontificiæ.

HUjus Diſſertationis, quæ ſumma Francorum Regum in Romanam Sedem merita continet, hæc ferè ſumma eſt. Primùm agitur de reditibus & prædiis Romanæ Sedis, à primis naſcentis Eccleſiæ temporibus, ad Pippini Carolive Magni tempora. Deinde donatio Conſtantini veráne ſit, an ficta, & à quo, diſputatur. Tum Romanæ urbis hiſtoria ſubjungitur à Conſtantino ad Carolum Magnum. Unde quivis intelligat, Romam paruiſſe tunc aut Imperatoribus, ſive Romanis, ſive Græcis; aut Gothis Regibus, non Romano Pontifici. Secundùm hæc, quas & provincias & urbes Pipinus; quas Carolus Magnus, quas Ludovicus Pius, cæterique Francorum Reges Romanæ Sedi dederint, exponimus. Quibus ſubjuncta eſt de jure Romani Pontificis, tum ad geſtandam coronam, tum ad imponendam Imperatori brevis appendix. Pòſt ſequitur Romanæ urbis à Carolo-Magno ad noſtram ætatem hiſtoria in varias deſcripta partes; in quibus Urbis variam adminiſtrationem, bella, clades, Romanorum & inter ſe diſſidia, & in Pontifices pervicaciam, Pontificum in Galliam fugam, Capetianorum Regum in eos obſervantiam, pietatem, merita perſequimur. Denique ad extremum, nonnullas Pontificiæ Ditionis urbes ſeligimus, quæ vel Principatûs, vel Ducatûs titulo nobiles, aut olim fuerunt, aut noſtra ætate ſunt, ut Spoletum, Mutina, Parma, Ferraria: quibus quæque Principibus paruerit, quibúſve perfuncta bellis, paucis perſtringimus. Acceſſit brevis de donatione Comitiſſæ Mathildis, quæ his affinis eſt, diſputatio. De aliis verò Romanæ

Ditionis urbibus, quæ metropolitana dignitate inſignes ſunt, diſſerere alterius libri munus erit.

CAPUT I.

De reditibus Romanæ Eccleſiæ uſque ad Pipini Caroliue Magni tempora.

REDITUS ROM. SEDIS.

I. Romano Pont. fuit primum fidelium oblationes datæ.

DUM in Chriſtianum nomen à Romanis Imperatoribus ſævitum eſt, nulli ſtati reditus erant, nullæ opes certæ, quibus Pontifex, Clerusque Romanus aleretur. In fidelium pietate ſatis divitiarum erat; in ea ſita fuit ſpes omnis; nec fruſtra: moris enim tum fuit dari à Chriſtianis ſtipis ſeu eleemoſynæ, ut dicitur, nomine certam pecuniæ ſummam, pro cujuſque & liberalitate, & divitiarum modo. Inde Pontifici, Clericis, pauperibus, pupillis, viduis, orphanis, captivis, quod ad victum ſatis erat, ſuppeditatum: inde ſacra ſuppellex, vaſa, aliáque altaribus comparata. Unum, & Pontificum, & Clericorum ſtudium ea ætate fuit, infideles ad fidem allicere; erudire Neophytos; omnibus morum innocentiâ & vitæ ſanctitate prælucere.

II. Deinde prædia.

Domos, villas, aliaque hujuſmodi fortunæ bona poſſidere, per paganorum in Chriſtianos odium non licuit. Sæpe quidem legere eſt, domos fuiſſe Chriſtianis commodatas, quæ & oratorii loco eſſent, & cœmeterii. Ex quibus verò reditus, annuumque vectigal perciperetur, aut rarò, aut nuſquam reperias. Eſt tamen cur Eccleſiæ Romanæ nonnulla fuiſſe, vel ante Conſtantinum latifundia ſuſpicer ex ipſius Conſtantini lege, quâ poſt victoriam de Maxentio partam ſancivit, ut quæ Eccleſiarum erant, ſive domus, ſive horti, ſive quid aliud hujuſmodi, redderetur. Si cui enim Eccleſiæ ea ætate prædia fuerunt, fuerunt certè Romanæ, quæ cæteris ditior erat.

III. Ex iis Pontifex dabat Clericis quod cuique ad victum ſatis eſſet.

Ut ut eſt, Romani fuit Pontificis cuique pro ſua prudentia ſubvenire, dareque Clericis, quod ſingulis ad victum ſatis eſſet. Vaſi, in quo illud datum, *ſportulæ* nomen fuit:

REDITUS ROM. SEDIS.

unde dicti *Sportulantes Clerici*, quibus dari ſportulam moris erat. Sportulâ donari, gloriæ fuit; eâ privari, dedecori. Quare ſi quid à quoquam peccatum eſſet gravius, huic negata ſportula, ut ex ignominiæ metu, criminis odium, amorque virtutis naſceretur. His opibus Chriſtiana Fides adolevit, & per orbem univerſum longè lateque diffuſa Imperatorum furorem, equuleos, ignes, mortem ipſam ſuperavit.

IV. Baſilicæ à Conſtantino extructæ & ornatæ muneribus.

Poſtquam Conſtantinus cæleſtis crucis oſtento animatus Maxentium devicit, paxque Chriſtianis reddita eſt, tres ab Imperatore conſtructæ ſunt Baſilicæ: una Salvatori Chriſto, cui à Conſtantino *Conſtantiniana* nomen factum; ſancto Petro altera; tertia ſancto Paulo dicata. Singulis Baſilicis, ut eſſet, unde alerentur Clerici, domus, villæ, horti, prædia, quæ latifundia vulgò dicta ſunt, ab Imperatore conceſſa. Infinitus ego ſim, ſi ſingula quæque calices, patenas, candelabra, coronas, phara, canthara, aliaque ejus generis ornamenta, quæ hiſce Baſilicis dedit Conſtantinus, perſequar: ea ſi quis cupit cognoſcere, Anaſtaſium, qui iſta ſingulatim in Sylveſtro recenſet, conſulat.

V. Leges ſancitæ pro Clericis.

Secundùm hæc, duæ à Conſtantino ſancitæ leges, una anno CCCXII, altera anno CCCXXI, quarum utraque cùm ad Eccleſias omnes, tum maximè ad Romanam pertinenr. Primâ, quæ ad Anulinum data eſt Proconſulem Africæ, cautum eſt, ne Clericorum bona vectigal annuum penſitarent: ſecundâ, ut cuique liceret, Clericos teſtamento hæredes ſcribere. Sed utraque lex ab aliis violata, neglecta ab aliis: vectigal enim imperatum à Juliano Apoſtata Clericis; deinde à Valente Ariano præterea Monachis; denique à Juſtina itidem Ariana, Valentiniani II matre, Catholicorum Eccleſiis: quæ tamen omnia ab Honorio in Occidente reſciſſa ſunt; ita ut à Clericis, præter penſionem, ut loquuntur, canonicam, exactum poſtea nihil omninò ſit. Anno DXXXV Juſtinianus, cùm Romano Pontifici, tum cæteris etiam Italiæ, & Epiſcopis, & Clericis indulſerat, ut eorum prædia non triginta tantùm aut quadraginta, ut tum mos erat, ſed centum annorum præſcriptione uterentur: at eam paulò pòſt legem ratam fore vetuit.

His Imperatorum edictis, ut Eccleſiarum omnium, ita Romanæ, quæ cæterarum caput erat, multùm opes auctæ ſunt. Unde Ammianus Marcellinus, immeritò quidem, in Romani Antiſtitis epulas invehitur; & Prætextati viri Conſularis, ſed pagani celebrata ad Damaſum Pontificem illa vox: *Facite me urbis Romæ Epiſcopum, & ero protinus Chriſtianus.* Quare ne quid inde damni in publicam rem oriretur, Chriſtianorum liberalitati modus interdum præſcriptus eſt; quódque vidua bonorum partem legaſſet Diacono anno CCCXC Mediolani à Theodoſio vetitum eſt, ne vidua quovis nomine pauperibus, Clericis, Eccleſiis, bona ſua largiretur: at duobus menſibus pòſt Ambroſii auctoritate Veronæ abrogata ea ſanctio eſt. Anno CCCCLV Marcianus eas leges reſcidit, quibus nefas erat Clericis aliquid, aut à viduis, aut à Diaconiſſis teſtamento recipere: quam legem Juſtinianus in ſuo codice inſeri voluit, aliamque ipſe anno DXXX addidit, ut ſi quis Chriſtum vel ex aſſe, vel ſemiſſe, aliáve parte hæredem ſcriberet, penes Epiſcopum eſſet, aut Clerum, iis pro arbitrio uti. REDITUS ROM. SEDIS. VI. Inde auctæ ſunt opes Romanæ Sedis.

His legibus Imperatorum indulgentiâ factum eſt, ut multi multa tum prædia, tum latifundia, ut vocant, Romanæ Sedi, non in Italia tantùm & Sicilia dederint; ſed & in Aſia, Gallia, Africa, ut ex epiſtolis & Cæleſtini, & Gregorii cuivis colligere licet: quorum alter anno CCCCXXXII poſſeſſiones, quas Proba Romanæ Eccleſiæ in Aſia legaverat, commendat Theodoſio Juniori; alter verò lib. 2 laudat & Gennadium & Dinamium Patricios, quòd uterque, ille in Africa, hic in Gallia, Romanæ Sedis patrimonia curarent diligenter. Quot fuerint hujuſmodi latifundia, ubi, à quibus data, conjicere nec promptum eſt, nec utile. VII. Illius latifundia in Gallia, Aſia, Africa. Ep. 33. Ep. 73.

Alpium Cottiarum patrimonium præ cæteris nobile fuit, quod Aripertus Longobardorum Rex anno DCCVI Joanni vel ſexto, ut habet Paulus Diaconus, vel ſeptimo, ut Anaſtaſio placet, aut dedit, aut reſtituit: utrum, incertum eſt. Beda, Anaſtaſius, Ado Vienneſis, huic ætati propè ſuppares, reſtitutum volunt; quibus tamen aſſentiri vix poſſum. Sunt quidem, qui ademptum aliquantò antè à Rothari ſcribant; ſed à quo datum olim ſit, à nullo, quod ſciam, VIII. Patrimonium Alpium Cottiarum.

REDITUS ROM. SEDIS.

memoriæ proditum eſt; nec ipſe meminit Anaſtaſius, qui ſingula tamen, ſive Conſtantini, ſive aliorum dona pluribus quàm par eſt, perſequitur. Nec in epiſtolis Romanorum extat illius donationis veſtigium: ſi quid enim juris Eccleſiæ Romanæ fuiſſet in Alpes Cottias, annon Gregorius à Theodelinda, quæ ipſius cauſâ, plurimùm, & volebat, & faciebat, reſtitui petiiſſet, qui patrimoniolum in Gallia & Brunechildi & Childeberto ſæpe commendat: quin etiam Aripertus ipſe Alpes Cottias non reddere, ſed donare ſe profitetur, quò grati ipſius erga Romanam Sedem animi pignus aliquod extaret: cui & Oldradus epiſtolâ ad Carolum Magnum ſuffragatur, dum Alpes Cottias datas ab Ariperto ſcribit, à Luitprando reſtitutas. Is enim Gregorio II ſubiratus, primùm Alpes Cottias occupavit, deinde eas reddi voluit.

IX. *Patrimonia alia ab aliis occupata.*

Multa alia fuerunt non procul ab Urbe patrimonia, ut Sabinenſe, ut Narnienſe, ut Cumanum; multa in Calabria, Apulia, Sicilia: quibus pro Imperatorum vel avaritia, vel liberalitate, aut imperatum vectigal, aut remiſſum. Deinde alia à Longobardis, alia à Græcis ſub Leone Iſaurico occupata. Sabinenſe, Narnienſe, aliaque Urbi vicina reſtituit Luitprandus, teſte Anaſtaſio: Cumanum de Longobardis Ducis Neapolitani operâ recipit Gregorius II: Sicula, Apulaque à Græcis multi fruſtra repetierunt Pontifices; de quo queritur apud Carolum Magnum Adrianus I, & apud Michaëlem Imperatorem Nicolaus I.

DONATIO CONSTANTINI.

CAPUT II.

Donatio Conſtantini veráne ſit, an ficta.

I. *Aliis probata, ab aliis repudiata.*

DE donatione Conſtantini tria quærimus. Primum, quibus probata olim ſit; à quibus repudiata: alterum veráne ſit, an fictitia; tertium denique, ſi ſuppoſititia eſt, à quo, quando, qua de cauſa conficta ſit.

Primus, quod ſciam, donationis illius meminit Hincmarus, & multò pòſt Leo IX in ea quam ad Michaëlem Ceru-

Ep. 3. c. 13.

DONATIO CONSTANTINI.

ſarium ſcripſit, epiſtola; ipſiuſque, ſive exemplum ſive autoritatem ſecuti Anſelmus Lucenſis, Petrus Damiani, Ivo Carnotenſis & Gratianus. Iis quidem & ſincera viſa eſt, & legitima; ſed aliis, quorum eam eſſe veram intererat plurimùm, Romanis Pontificibus, vel ignota fuit, vel ſuſpecta, ut Adriano I, ut Nicolao I, quorum uterque tum Conciliorum canonibus, tum Imperatorum edictis tuetur Romanæ Sedis privilegia; ille in capitulis Angilramo datis, hic in epiſtola ad Michaëlem Imperatorem. Nulla tamen ab iis Conſtantini donationis mentio fit; nec aliter viſum eſt Anaſtaſio Bibliothechario, Luitprando Cremonenſi, & Burchardo, apud quos nullum extat tantæ rei veſtigium: quódque cuipiam mirum fortè videbitur, nec Gregorius ipſe ſeptimus jurium Romanæ Sedis acerrimus vindex eam donationem uſquam protulit. Quid? quod Othones, quod Henricus I. quod alii aliis temporibus Imperatores, quæ Pipinus, quæ Carolus Magnus, quæ Ludovicus Pius Romanæ Eccleſiæ dederant, rata fore juſſerunt: quæ Conſtantinus, nuſquam legere eſt.

II. A plerisque recentioribus rejecta.

Unde factum eſt, ut recentiores plerique eam donationem ut commentitiam rejecerint. Ita Æneas Sylvius, S. Antoninus, Cardinalis Cuſanus, Laurentius Valla, Baronius, Morinus, Petrus de Marca, aliique, quos appellare nihil attinet: quos ſi audias in illa donatione, abſona ſunt omnia. Verba quibus contexitur, ſtylus, ſcriptionis genus & character ab Conſtantini ævo abhorrent, meraque fabula eſt, Hiſtoriæ fidei, Conſtantino, Græcis, Francis, Summo Pontifici inimica, ſequioribus ſæculis ab imperito neſcio quo malè conſuta: quæ cur in eam donationem congerant omnia, ſi quis requirit, quídve in ea inſit vitii, paucis dabo: quibus enim utuntur, argumenta ſunt ferè hujuſmodi.

III. Quòd ſtylus & verba à Conſtantini ætate abhorreant.

Quî fieri potuit, inquiunt, ut Conſtantinus eas voces adhibuerit, quas necdum conſuetudo invexerat, nec triverat uſus? Quid ſibi volunt, *Phrygium*, *banta*, *divalis*, *Imperialis*, *ſacra*, *conſtitutum*, *ſatrapa*, quæ ab ætatis illius genio, à cæteris iſtius ævi Scriptoribus; ab aliis Conſtantini edictis planè diſſident? Quî factum? niſi divinandi calleret artem, ut voces è Symbolo Nicæno, quod necdum condi-

DONATIO CONSTANTINI.

tum erat, uſurpatet ſæpius; ut inter ſedes orbis Chriſtiani præcipuas Conſtantinopolitanam appellarit, & Hieroſolymitanam: quæ nullâ tum prærogativâ præ cæteris inſignes erant: cùm illa Heracleenſi Exarcho, hæc Cæſareenſi Metropolitano eſſet Epiſcopatûs titulo contributa.

IV. Quòd coronam Silveſtro permittit.

Præterea, an fuit Conſtantini Sedi Romanæ deferre principatum, quem à Chriſto acceperat; fuitne Silveſtri pietatis huic imperio connivere? Quid verò alienum magis à vero fingi poſſit, quàm Clericis Romanis Patriciorum & permiſſos honores, & conceſſa inſignia: eos magnificè per Urbem equitaſſe: datam Pontifici Maximo coronam auro contextam & gemmis, cùm etiam tum diadema purpureum pro corona adhibere moris eſſet, nec ullus, ſive in Oriente, ſive in Occidente, ſi Hiſtoricis adhibenda fides, hujuſmodi coronis uteretur.

V. Quòd Italiam & Occidentales regiones det Romanæ Sedi.

Eò accedit, quòd ſi non urbem modò Romam, ſed omnes etiam, tum Italiæ, tum Occidentalium regionum provincias Conſtantinus Silveſtro conceſſit, aut levitatis nota, aut impietatis ipſi meritò ſit inurenda: qui promiſſis non ſteterit, aut datas Romano Pontifici provincias ſibi ſuiſque, præter jus faſque vindicarit. Tyranni, non Imperatores, ipſius filii, Conſtans, qui Italiâ; Conſtantinus, qui Galliâ & Hiſpaniâ; Conſtantius, Valentinianus, Gratianus, Theodoſius, qui his omnibus regionibus regio jure potiti ſunt.

VI. Quòd nullus tum Romanorum Pontificum meminerit.

Huic etiam crimini affines ſanctiſſimi quique Romani Præſules, Silveſter, Damaſus, Innocentius, Leo, Gregorius; qui & ſui, & jurium ſuæ ſedis obliti, de urbe Roma, de Italia, de Gallia ab Imperatoribus repetenda nuſquam cogitarunt: dum de prædiolis quibuſdam laborant diligentiùs; & rerum geſtarum, & propoſiti immemor Zoſimus; qui, cùm in carpendis Conſtantini geſtis totus ſit, donationis illius non meminerit. Falſus Ammianus, qui Romani Antiſtitis divitias non Conſtantini aſcribit liberalitati, ſed matronarum oblationibus.

VII. Quòd Romanis Imperatoribus Roma poſtea paruerit.

Quis denique Romanorum Antiſtitum, ſive Romæ, ſive in Italia, ſive in Gallia, ſumma unquam poteſtate uſus eſt? An Damaſus, ſub quo Symmachum inter & Ambroſium apud Gratianum de ara victoriæ diſceptatum eſt? An Leo

Magnus,

Magnus, qui à Valentiniano III impetravit, ut ſibi in omnibus morem gererent Galliæ Epiſcopi? An Gregorius, qui Mauritio Imperatori ſubditum ſe profitetur? An Agatho, qui Romam *ſervilem Imperii urbem* appellat? An cæteri deinceps Pontifices, qui Græcis uſque ad Gregorium II ſervierunt, ut ex iis quæ dicemus inferiùs, quivis intelliget? Ea ferè ſunt, quæ in eam ſententiam ab iis vulgò dici ſolent: unde, ut iis quidem placet, conſequens eſt, neminem eſſe, qui donationem illam vel ſemel legerit, qui eam continuò tanquam fictitiam non reſpuat. DONATIO CONSTANTINI.

A quo illa donatio conficta ſit, variæ ſententiæ.

CONSTANS quidem apud eruditos pleroſque opinio eſt, donationem Conſtantini commenticiam eſſe. At quis illius autor fuerit, ut in aliis ſæpe, ita ſuper hac re viſum eſt aliter aliis. Ab homine Græco confictam putat Cardinalis Baronius; Morinus à Joanne Diacono, qui ſub Othone vixit; Petrus de Marca à Joanne Subdiacono, qui Pauli I Legatus erat ad Pipinum; alii ab Iſidoro Mercatore: quæ cujuſque ſententiæ vel faveant, vel noceant, paucis accipe. I. Sententia multiplex, à quo conficta ſit.

Eſt, cur quis cum Baronio eam fabellam à Græco contextam ſuſpicetur, quò Primatum Romanæ Sedis à Conſtantino repetat: at homini Græco, ſi ſui compos erat, qui venire in mentem potuit, & Eccleſiæ Romanæ ſupra ſedes alias deferre Primatum, & Romano Antiſtiti Occidentis regiones omnes concedere; eoque maximè, quòd Græci ſæpe, & de Primatu cum Romano Pontifice, & de Italia cum Gallis decertarint. Nec illud etiam nihili eſt, quòd Hincmarus, quòd Leo IX, quòd Petrus Damiani, & Anſelmus Lucenſis eam donationem multò antè appellant, quàm è Græcis quiſpiam illius meminerit, quos inter Balſamon, qui eam, ut conjectura eſt, à Latinis acceperat, primus in Nomocanone retulit. II. A Græcis, ex Baronio.

Morino donationis illius autor eſt Joannes Romanæ Eccleſiæ Diaconus, qui ſub Othone I anno DCCCCLXIII vivebat: cujus ſententiæ teſtem adhibet Othonem III, qui edictum Conſtantini tanquam Joannis Diaconi commentum III. A Joanne Diacono, ex Morino.

DONATIO CONSTANTINI.

repudiat: *Hæc enim ſunt commenta ab illis ipſis inventa, quibus Ioannes Diaconus cognomento digitorum mutili præceptum literis aureis ſcripſit ſub titulo Magni Conſtantini, longi mendacii tempora finxit.* Multa ſanè conſonant, nomen, mutili digiti, Germanorum in Francos invidia: hæc enim ſcribendæ donationis, ſi illi credimus, cauſa fuit.

IV. Qua de cauſa.

A Joanne XII Joannes Diaconus in Germaniam miſſus eſt ad Othonem, ut Pontifici adverſus Berengarium veniret auxilio. Paruit Otho; victus eſt Berengarius; Otho Romæ appellatus Imperator anno DCCCCLXII; paulò pòſt Joannes XII ab Othone ad Adelbertum Berengarii filium; Joannes Diaconus à Summo Pontifice ad Othonem deficit: redit in Urbem Otho; vocataque Synodo Pontificatus Joanni abrogatus eſt. Sub hæc Joannes in Urbem irrumpit, & Joanni Diacono naſum, linguam, duos digitos abſcindi jubet, & paulò pòſt moritur. Hæc quidem ex Hiſtoriæ fide certa ſunt. Tum Joannes Diaconus, ut Morino quidem placet; ut, & ſuas ulciſceretur injurias, & Othonis benevolentiam ſibi conciliaret, procudit Conſtantini edictum, quo, & Francorum, quibus ob bella in Lotharingia geſta infenſus erat Otho, in Sedem Romanam beneficia obſoleſcerent, & jus eligendi Summi Pontificis Othoni firmaretur. Hæc ferè ille.

V. Falsò id illi tribuitur.

Sunt tamen nonnulla, quæ huic opinioni quadrare vix queant; ac primùm quidem, ſi donationis autor eſt Joannes ille Diaconus, quî inſeri potuit Collectioni Iſidori, qui Carolo Magno ætate ſuppar erat? Quî Hincmarus annò DCCCLXVII illius meminiſſe potuit? Deinde adeo Francis gloriam non invidit Otho ob beneficia Romanæ Sedi collata; ut ea rata fore juſſerit: nec ea donatio ipſis fuit Germanis probata; cùm Otho III illam ut ſubdititiam repudiarit. Denique, quid cauſæ fuit, cur Joannes Diaconus in gratiam Romani Pontificis, à quo duriter habitus fuerat, edictum illud fingeret? Negat Morinus & donationem illam collectam ab Iſidoro unquam fuiſſe, & epiſtolam, in qua illius mentio eſt, eſſe Hincmari: ad alia quod reſpondeat, nihil eſt.

VI. A Joanne Subdiacono, ex Petro de Marca.

Aliam rationem iniit Petrus de Marca, cujus opinio eſt hæc. Poſtquam Conſtantinopolim nunciatum eſt, Exar-

chatum à Pipino de Longobardis receptum, miſſi continuò ab Imperatore Græco Legati, qui provincias illas repeterent; miſſi itidem à Paulo Pontifice Joannes Subdiaconus, & Pamphilus, qui Pipinum datæ fidei admonerent. Cum Græcis de imaginibus, de Spiritu ſancto, de azymo diſceptatum eſt dies aliquot. Interea à Joanne Diacono, ex conſenſu tum Pauli Pontificis, tum Pipini Regis, donatio Conſtantini conficta eſt, quâ Græcis ſpes omnis Exarchatus recipiendi tolleretur. Unde nec ille favit Græcis, ut Baronio viſum eſt, nec Germanis, ut Morino; ſed Romano Pontifici, cujus primatum à Chriſto derivatum probat his verbis: *Juſtum quippe eſt, ut ibi lex ſancta teneat principatus, ubi ſanctarum legum inſtitutor Salvator noſter B. Petrum Apoſtolatus obtinere præcepit Cathedram.* Quod verò Conſtantinus Romanæ Sedi primatum quaſi ſummo jure decernit; idem aliquantò pòſt à Valentiniano III & à Phoca uſurpatum legere eſt, dum ille Leonis Magni, hic Bonifacii III autoritatem ſummam eſſe ſancivit: nihil tamen ab utroque datum Romanæ Sedi, ſed jura à Chriſto conceſſa publicæ legis præſidio munita: quod etiam de Conſtantinopolitana Sede contra Hiſtoriæ fidem additum eſt; nec errore, nec inſcitiâ, ſed induſtriâ factum putes, quò intelligerent Græci honorem Sedis non eſſe ex urbis dignitate metiendum. DONATIO CONSTANTINI.

In ea tamen opinione, ut in aliis, nonnihil vitii eſt. Fuitnè & Chriſtiani hominis, & Pontificis Romani hujuſmodi commentis Græcis illudere? fuitne prudentis accepta nuper à Pipino beneficia apud poſteros obliterare? qui prætereà Pipinus fictitiæ donationi aſſenſus eſt; cujus è gloria, ſi huic fabulæ tum adhibita fides, multum detractum eſt. VII. Non ab eorum confictâ.

Sunt etiam, qui velint donationem iſtam Iſidori eſſe illius, cujus ſunt ſuppoſititiæ Pontificum epiſtolæ: nec enim id abhorret ab hominis ingenio, à ſtylo, ſcriptioniſque charactere. Duo ſunt tamen, cur mihi videatur ſecus: unum, quòd Mercator in Nicænæ Synodi præfatione, ubi præcipuas ſedes appellat, ne Conſtantinopolitanæ quidem meminerit, ne dum eam inter Patriarchales annumeret: alterum, quòd qui editas à Mercatore Pontificum epiſtolas reſpuit Hincmarus, eam donationem ut veram proferat. Qui VIII. Ab Iſidoro Mercatore, ex aliis.

DONATIO CONSTANTINI.

verò epiſtolas Pontificum ut germanas & ſinceras probat Nicolaus I, donationem illam, dum eâ non utitur, ut fictitiam repudiet, nuſquam enim illius meminit, vel cùm ſcripſit ad Michaelem Imperatorem de juribus Romanæ Sedis. Quî fieri potuit, ut alius aliter de donatione iſta ſenſerit, quæ vel ex eo nomine, quòd Mercatoris eſſet, & probari debuit Nicolao, & rejici ab Hincmaro?

A quo donatio Conſtantini conficta ſit.

I. Cur conficta ſit.

IN tanta opinionum varietate vix habeo, ubi hæream, adeo lubrica ſunt omnia & incerta: ſi tamen ut in re dubia, conjecturâ uti licet, ſententiæ Petri de Marca ſubſcripſerim lubentiùs; ita tamen ut illa donatio, & alio tempore, aliaque de cauſa conficta ſit. Quid ſentiam, præter cæteros, paucis dabo. Aiſtulphus Longobardorum Rex Ravennâ, cæteriſque Exarchatus urbibus pótitus in Pontificiam ditionem irrumpit anno DCCLII, extrema minitans Romanis, niſi ſe ſuaque dedant. Miſſi à Stephano III ſemel atque iterum de pace ineunda ad eum Legati, ſed conditiones pacis ab eo, aut non admiſſæ, aut violatæ. Miſit Conſtantinopolim Pontifex ad Imperatorem Græcum, ut cladem ab Urbe exitiumque prohiberet, ſed fruſtra: nihil à Græcis auxilii datum; quod in Urbem ut allatum eſt, omnia plena timoris erant & metus.

II. A Joanne Subdiacono.

Tum aut Joannes Subdiaconus, qui aliquantò pòſt ad Pipinum miſſus eſt, aut alius neſcio quis donationem illam procudit. Fingendæ verò duplex potiſſimùm cauſa fuit: altera, ut populum, qui & officii ſpecie & pietatis facilè ducitur; ad refutandos Aiſtulphi impetus erigeret: altera, ne quis è Proceribus Romanis augendæ potentiæ ſtudio cieret in Urbe tumultus, tyrannidemque affectaret: ipſi enim è publica re fore viſum eſt, ſi ſumma rerum penes unum eſſet Romanum Antiſtitem: minimum tamen eſſe præſidii in ſuppoſititia donatione ratus Pontifex; ad Pipinum contendit in Galliam, Aiſtulphus à Pipino in acie victus, Ravenna cæteraque Exarchatus oppida tradita Stephano; de quibus paulò pòſt uberiùs.

Quæ opinio veráne ſit, an ſecus, tuum ſit, lector, judicium. Bellè ſanè cum omnibus, quæ ad eam donationem pertinent, conſonant omnia; nec iis, quibus aliæ, laborat vitiis: nec Adrianus in capitulis Angilramo datis, nec Nicolaus in epiſtola ad Michaëlem Imperatorem hujus donationis meminerunt: puduit ſcilicet ſanctiſſimos Pontifices hujuſmodi commentis tueri ſua jura, quæ tot Francorum Regum edictis ſacra eſſe & rata noverant. Potuit tamen illius meminiſſe Hincmarus: potuit & Leo IX, quorum uterque Conſtantini eſſe falsò putavit; quòd ille procul abeſſet ab Urbe, hic multò pòſt vixerit. Potuit & aliquantò pòſt inter collectas à Mercatore epiſtolas inſeri. Nulla inde ſive malæ fraudis nota, aut Stephano Pontifici, aut Pipino inuritur, quibus inſciis conficta eſt, unde quidquid in ea vitii eſt, non Romanis Præſulibus, ſed Joanni Diacono adſcribit Otho III; præterea ſtylus ipſe, quo contexta eſt, totiuſque ſcriptionis color, an non prodit eam, quam dixi, ætatem, quâ nationum exterarum colluvies voces ab uſu Romano abhorrentes in Latium invexerat?

DONATIO CONSTANTINI.

III. Cur illius non meminerunt tum Romani Pontifices.

Si cui tamen ſcrupulum injiciant voces eæ, quæ in Francorum Regum edictis adhibentur, *reddere*, *reſtituere*; eadem, quâ in aliis ſententiis, ratione eximi facilè poteſt. Duo enim à Francis Regibus in Romanam Sedem præſtita: primùm reſtituta, quæ abſtulerant Longobardi, patrimonia; deinde datæ tum Exarchatus, tum Pentapoleos civitates: quare ubi occurrunt hæc verba, *reddere*, *reſtituere*, ad Patrimonia; ubi verò *dare*, *concedere*, & alia hujuſmodi, ad Exarchatum referas. Quæ cautio tum à Stephano III epiſtola 8 ad Pippinum; tum ab Adriano epiſtola ad Carolum Magnum adhibita eſt: ubi inter Exarchatum & Patrimonia id diſcriminis ab utroque poſitum eſt, ut vox illa *dare*, ad Exarchatum; *reddere* verò, ad Patrimonia ſemper pertineat.

IV. Ad hæc verba, *reddere*, *reſtituere*, duplex reſponſio. Prima.

Nec minùs obvia cuique eſt, aut expedita altera reſponſio. Bis Exarchatum Stephano pollicitus eſt Pipinus, ſemel in Gallia, iterum in Italia ad Ticinum; cùm Aiſtulphus prælio victus recepit ceſſurum ſe Exarchatu, qui tum jure Pontificiæ Ditionis eſſe cœpit: non ſtetit tamen promiſſis Aiſtulphus; quem paulò pòſt tranſgreſſus iterum in Italiam Pi-

V. Secunda.

DONATIO CONSTANTINI.

pinus ad pactorum fidem revocavit; tumque anno DCCLVI per Fulradum Abbatem Exarchatûs civitates Pontifici traditæ. Quare ſi quis ad primam Pipini de Aiſtulpho victoriam reſpiciat, Exarchatum Stephano Pontifici *datum*; ſi ad ſecundam, *reſtitutum* rectè dixerit: eaque ratione adhibitas eſſe voces illas, cùm res ipſa per ſe loquitur, tum ea, quæ hîc ſubjicio, argumenta.

VI. Ex his verbis nihil efficitur.

Miſſus eſt ab Imperatore ad Aiſtulphum Joannes Silentiarius, illique adjunctus eſt comes Paulus Diaconus Stephani III frater. Uterque Exarchatum reddi poſtulat. An Pontifici? Nihil minùs; ſed Græcis. Stephanus ipſe Pontifex Aiſtulphum & Pipinum convenit: petit ab Aiſtulpho, ut Græcis Exarchatûs; à Pipino, ſibi ut patrimonia, quæ abſtraxerat Aiſtulphus, reſtituantur. Si quid illi juris in Exarchatum, cur ab utroque illum non repetit? A Græcis etiam, & Exarchatus, & Pentapoleos urbes bis repetitæ; ſemel per Legatos à Pipino; iterum armis à Pontifice: nihilque aliud reſponſi tulerunt, quàm eas à Pipino Romanæ Sedi datas. Cumque Leo Ravennas, Bononiam, Ferrariam, aliaque oppida ditionis eſſe ſuæ contenderet: in epiſtola, quâ illius coërcet audaciam, Adrianus Pipini donationis meminit; Conſtantinianæ nulla mentio eſt. Unde quivis intelligat, ea verba, *reddere & reſtituere*, reſpicere nec ad Exarchatum, nec ad Conſtantini tempora; ſed vel ad Patrimonia, vel ad primam Pipini de Aiſtulpho victoriam pertinere. At de his hactenus.

CAPUT III.

Hiſtoria urbis Romæ à Conſtantino ad Carolum Magnum.

HISTORIA URBIS ROMÆ.

I. In tres ætates tribuitur.

QUo ea, quæ à nobis de Conſtantini donatione diſputata ſunt, & quæ de maximis Francorum Regum in Romanam Sedem meritis dicturi paulò pòſt ſumus, illuſtriora fiant: operæ pretium eſt, quibus Roma Principibus à Conſtantino ad Carolum Magnum paruerit, breviter expli-

care. Tempus verò illud omne memoriæ causâ in tres velutì ætates tribuimus. Prima ab anno CCCXXXVII, quo Conſtantinus obiit, pertinet ad annum CCCCLXXVI, quo Odoacer Italiam occupavit. Altera ab anno CCCCLXXVI ad annum DLIII, quo Theia in acie cæſo à Narſete in Italia cum Gothis debellatum eſt. Tertia ab anno DLIII ad annum DCCLIV, quo victus à Pipino Aiſtulphus. Prima ætate Roma paruit Imperatoribus ut plurimùm Occidentis, modò tamen & Orientis, & Tyrannis. Secunda primùm Herulis, deinde Gothis Regibus. Tertia Imperatoribus Græcis, qui per Exarchos regebant Italiam. In ſingulis verò ætatibus præſtabimus tria. Primùm proponimus, vel Imperatorum ſtemmata, vel Regum; deinde argumenta, quibus Romam illis ſubjectam fuiſſe vincitur; denique & clades & bella, quibus Roma his temporibus perfuncta eſt. HISTORIA URBIS ROMÆ.

A Conſtantino ad Odoacrum.

POST Conſtantini obitum Conſtans, qui filiorum natu minimus erat, Romam Italiamque ſortitus eſt, qui anno CCCL Magnentii dolo prope Pyrenæos montes occiditur. Anno CCCLI inter Magnentium & Conſtantium in Pannonia certatum eſt: victus Magnentius, ſummaque rerum ad unum rediit Conſtantium, cujus Ariana hæreſi infamis memoria eſt. Anno CCCLXI Conſtantium excepit Julianus Apoſtata cæſus duobus annis pòſt à Perſis; illum Jovianus orthodoxa fide inſignis; Jovianum Valentinianus anno CCCLXIV. Is Valentem fratrem in ſocietatem Imperii adſcitum Orienti præpoſuit: Valentiniano, cujus ſumma laus & amor juſtitiæ fuit, anno CCCLXXVIII ſucceſſerunt ambo filii, Gratianus, cujus mira ad omne virtutum decus indoles erat; & Valentinianus II, etiam tum puer: ille anno CCCLXXIX poſt Valentis cladem, quòd ſolus oneri ferendo par non eſſet, Theodoſium genere Hiſpanum cooptat Auguſtum Orientis: at fratris utriuſque triſtis exitus fuit. Gratianus anno CCCLXXXIII apud Lugdunum Maximi & Andragatii ſcelere occiditur: Valentinianus Viennæ anno CCCXCII, Arbogaſtis Comitis perfidiâ. I. Imperatores Romani à Conſtantino ad Theodoſium.

HISTORIA URBIS ROMÆ.

II. A Theodoſio ad Odoacrū.

Utriuſque necem ultus eſt Theodoſius, qui ſingulari Dei præſidio fretus Maximum anno CCCLXXXVIII ad Aquileiam; Eugenium, quem Arbogaſtes dixerat Imperatorem, anno CCCXCIV ad Alpes ſuperavit & occidit; paulò pòſt Mediolani anno CCCXCV moritur. Moriens Imperium duobus filiis attribuit, Orientem Arcadio, Honorio Occidentem: qui pietate, quàm fortitudine clarior, Valentiniano ex Placidia ſorore nepoti anno CCCCXXIII legavit Imperium. Is Aëtium fortiſſimum ducem, quo Occidentis ſalus nitebatur, obtruncat, & ipſe Maximi Senatoris dolo per Aëtii ſatellites anno CCCCLV confoditur; unaque cum eo Occidentis Imperium occidit. Nam Maximus, Avitus, Majorianus, Severus, Anthemius, Olybrius, Glycerius, Nepos, Imperatores quidem appellati, ſed vacua poteſtatis nomina; quorum alii alio mortis genere perierunt: pro Ricimeris Patricii libidine nonnulli vel creati, vel necati. Eos excepit Auguſtulus ab Odoacro paulò pòſt victus. Sic ortum ab Auguſto Imperium anno CCCCLXXVI in Auguſtulo deſiit.

III. Roma ter capta.

His Imperatoribus Roma graviſſimis & bellis & periculis defuncta eſt: ter à barbaris capta, bis à Gothis, ſemel à Vandalis. Belli initium à Radagaiſio Gothorum Rege factum eſt, qui à Stilicone inter Feſulanos montes internecione cum ſuis deletus eſt anno CCCCV. Sub hæc Alaricus Gothorum & ipſe Rex, ſive juſſu Stiliconis, ſive Radagaiſii necem ulturus, in Italiam penetravit. Is anno CCCCX Romam capit, diripitque: civibus tamen, templis, ſacris vaſis temperatum, in tecta ſævitum eſt. Alarico, qui apud Rhegium morbo perierat, ſublectus Ataulphus Romam regreſſus corradit quod prior clades reliquum fecerat. Anno CCCCLV Eudoxia Valentiniani III vidua, odio Maximi Vandalorum Regem Genſericum ex Africa evocat. Is continuò advolat cum ingenti claſſe, Urbemque capit; ſed Leonis Papæ oratione mitigatus incendio & cædibus abſtinuit. Direptis tamen civium opibus, abductâ etiam Eudoxiâ, regreſſus in Africam eſt: nec minor ab Attila clades imminebat, qui captâ Aquileiâ, vaſtatiſque multis urbibus ferox infeſto Hunnorum exercitu ad Urbis obſidionem properabat:

cùm

cùm ad Mincium amnem occurrens Leo Pontifex anno CCCCLII illi perſuadet, ut converſis ſignis abiret in patriam. HISTORIA URBIS ROMÆ.

Summum in Urbe Imperium penes Imperatores fuiſſe, cùm multa probant, tum tria potiſſimùm: Liberii exilium, duoque ſchiſmata; alterum, Urſicini adverſus Damaſum; contra Bonifacium Eulalii alterum. Conſtantius Ariana contactus peſte anno CCCLV Mediolanum venerat; dumque Epiſcopos partim vi ac verberibus ad damnationem Athanaſii adigit, partim carcere mulctat, aut exilio; Liberium etiam ad ſe mitti per Leontium Urbi Præfectum imperat: paruit Leontius, venit Liberius Mediolanum: negat ſe Athanaſii damnationi conſenſurum: Berœam, Thraciæ oppidum erat, in exilium pellitur. Bis duas in factiones diſtractus eſt Romanus Clerus, ſemel anno CCCLXVIII in electione Damaſi; iterum anno CCCCXVIII in Bonifacii I. Unde duo extitere ſchiſmata: utrumque à Præfectis Urbi extinctum eſt, primum à Prætextato Valentiniani juſſu; alterum juſſu Honorii à Symmacho: quorum ille Urſicinum, hic Eulalium Urbe expulit. Unde Romanos Præfecto, Præfectum Imperatori, non Pontifici, paruiſſe, cuivis intelligere licet. IV. Tum paruit Imperatoribus.

Ab Odoacro ad Juſtinianum.

POSTQUAM Odoacer Herulorum Rex anno CCCCLXXVI Auguſtulum exuit Imperio, ipſe regio nomine Italiam obtinuit: ſed à Theodorico Gothorum Rege ter victus eſt, ad Iſontium, ad Veronam, ad Ducam fluvium: tum triennio Ravennæ obſeſſus tandem anno CCCCXCIII per fraudem necatus eſt. Theodoricus moderationis, ſapientiæ ac juſtitiæ laude clariſſimus, rem Gothicam ad ſummam potentiam provexit; ſed Arianæ perfidiæ, cui addictus erat, tuendæ ſtudio factus crudelior, Symmachum & Boëthium gladio, Joannem Pontificem perpetuo carcere cùm ſuſtuliſſet, horrenda monſtri ſpecie territus anno DXXVI miſerè periit. Theodorico ſucceſſit Athalaricus ex Amalaſuntha filia nepos, quo anno DXXXIV mortuo Amalaſuntha ſe- I. Gothorum Reges in Italia.

HISTORIA URBIS ROMÆ.

ptrum tranſtulit in Theodatum, cujus ſcelere paulò pòſt ipſa occiditur. Theodatus à Gothis itidem anno DXXXVI necarus eſt, illique ſublectus Vitiges à Beliſario anno DXXXIX captus, Conſtantinopolim abducitur. Huic ſuffectus Totila rem Gothicam victis ſæpe Romanis in Italia reſtituit; ſed anno DLII à Narſete in acie cæſus, Theiam ſucceſſorem habuit, qui itidem à Narſete anno DLIII & victus & cæſus eſt, & cum eo Regnum ac nomen Gothorum in Italia deletum.

II. Roma quater capta.

Sub Gothis Regibus Roma quater capta eſt: bis de Gothis à Beliſario; toties à Totila de Græcis. Beliſarius receptâ jam Siciliâ, diteptaque Neapoli anno DXXXVI Roma civibus dedentibus potitur. Urbem continuò Vitiges obſidet, cujus impetus omnes ita retudit Beliſarius, ut plus laudis ex defenſa Urbe, quàm ex capta adeptus ſit. Ubi verò ad bellum Perſicum revocatus eſt in Orientem, Totila Romam anno DXLVI recepit, quam anno ſequenti reverſus in Italiam Beliſarius iterum occupat; cui, cùm Silverium Pontificem Theodotæ juſſu in Pontiam inſulam relegaſſet, Deus favere deſtitit, Romaque à Totila biennio pòſt recuperata eſt.

III. Paruit Herulis & Gothis.

Romam, & Odoacro, & Gothis etiam paruiſſe Regibus, ex Hiſtoriæ fide certum eſt: eò enim pertinet ab Odoacro de Pontificis electione promulgata lex, quæ à Symmacho aliquantò pòſt reſciſſa eſt: quod etiam colligere licet, tum ex Laurentii adverſus Symmachum ſchiſmate, cujus diſceptatio omnis Theodorici Regis permiſſa arbitrio eſt; tum ex Joannis Pontificis legatione in Orientem, ut Juſtinus, qui hæreticos vexabat, ab Arianis injuriam abſtineret. Nec enim ea aut data eſſent Theodorico, aut ſumpſiſſet ipſe ſibi, niſi ſumma illius in Urbe fuiſſet autoritas: de quo, ut hæc quæ attuli, nihili ſint, dubitabit nemo, qui Theodorici epiſtolas apud Caſſiodorum legerit; quibus multa Præfecto Urbi, Senatui, Populo, prout libitum eſt, imperat.

A Juſtiniano ad Carolum Magnum.

I. Imperatores Græci à Juſtiniano ad Heraclium.

JUSTINIANO ſucceſſit anno DLXV Juſtinus, ipſius ex ſorore nepos, legum amans & juſtitiæ, à rebus bellicis alie-

nus. Amoto Narſete in Italiam Longinum miſit, à quo Ducatus deſcripta ea pars Italiæ eſt, quæ Græcis parebat, Duceſque Romæ, Beneventi, &c. conſtituti; quibus ipſe Exarchi nomine præerat. Poſt Juſtinum anno DLXXVIII imperare cœpit Tiberius illius gener, munificentia juxtà ac liberalitate inclytus. Illum anno DLXXXII excepit Mauritius, & fortitudine, & conſtantiâ ſingulari in ferenda & ſuorum & ſua cæde clariſſimus: Mauritium Phocas anno DCII crudelitate nobilitatus apud poſteros, quem occîdi juſſit anno DCX Heraclius, cujus læta initia fuerunt pluribus de Coſrhoe relatis victoriis; triſtis verò invecta Monothelitarum hæreſi exitus fuit. HISTORIA URBIS ROMÆ.

Moriens anno DCXLI Heraclius Imperium reliquit Conſtantino filio, qui paulò pòſt veneno ſublatus à noverca, heredem habuit primùm fratrem Heracleonam, tum filium Conſtantem aviti erroris propugnatorem acerrimum: qui direptâ Româ anno DCLXVIII balnei vapore in Sicilia extinguitur. Conſtantinus ejus filius Catholicâ fide præſtans, Monothelitarum hæreſim à ſexta Synodo proſcribi curavit. Illi ſucceſſit anno DCLXXXV Juſtinianus filius, qui cùm pulſus Imperio à Leontio fuiſſet, & à Tiberio Abſimaro Leontius; utrique tandem Chagani ope reſtitutus, cervices incîdi juſſit: nec felicior ipſius exitus fuit, qui à Bardane Philippico anno DCCXI necari juſſus eſt. Bardanes Monothelitarum infamis hæreſi à ſuis biennio pòſt oppreſſus eſt, privatuſque oculis. Huic ſublectus anno DCCXIII Artemius; Arthemio anno DCCXV Theodoſius Adramytus; Theodoſio anno DCCXV Leo ille Iſauricus, qui bellum ſacris imaginibus indixit. Succeſſorem habuit Conſtantinum filium anno DCCXLI; Conſtantinus Leonem Porphyrogenitum anno DCCLXXV. Eadem uterque contactus hæreſi, ignota medicis correptus ægritudine, ille anno DCCLXXV, hic anno DCCLXXX miſerè periit. II. Ab Heraclio ad Irenem.

Roma his temporibus quinquies à Longobardis obſeſſa eſt. Anno DLXXVII poſt Clephonis cædem, qui ſingulis urbibus & rei Longobardicæ præfecti erant, triginta Duces ad Urbem admoverunt caſtra. Scripſit continuò ad Tiberium Benedictus I, ut cives, ſin minùs copiis, frumento III. Roma quinquies obſeſſa.

HISTORIA URBIS ROMÆ.

ſaltem juvaret. Fame & inopiâ vehementer laboratum eſt; ſed ubi claſſis onuſta frumento Oſtiam appulit, ſoluta à Longobardis obſidio eſt. Bis idem ſub Agilulpho Rege tentatum eſt; ſemel ab Ariulpho Spoleti Duce anno DXCI, iterum anno DXCIV ab ipſo Rege; utriuſque Romanorum virtute repulſi impetus, pactæque cum Agilulpho induciæ. At nullum Urbi majus periculum, quàm à Luitprando Rege fuit. Is à Leone Iſaurico, quem Gregorius II anathemate perculerat, incitatus junctis cum Eutychio Exarcho copiis anno DCCXXIX Romam obſederat. Gregorius, cujus caput petebatur, civium viribus diffiſus Regem ultrò adiit, & oratione illius ita inflexit animum, ut ille ſupplicis Pontificis verecundiâ ſeſe ad ejus proſterneret pedes, & Apoſtolorum corpora veneratus oblatis armillis, baltheo, enſe, aureâque coronâ exercitum domum reduxerit. Non eadem Aiſtulphi in Romanum Pontificem obſervantia fuit; qui cùm datam Pipino de Exarchatu fefelliſſet fidem, anno DCCLV collecta militum manu ad Urbem advolat. Sed ubi audiit Pipinum iterum properare in Italiam, obſidione ſoluta ad propria tuenda ſe retulit.

IV. Græcis Imperatoribus tum paruit.

Nemo eſt, opinor, qui neget ſummam tum Exarchorum in Urbe poteſtatem fuiſſe. Quis enim neſciat electionis Pontificis firmandæ jus fuiſſe tum penes Imperatorem; quod etiam à Conſtantino Pogonato, Exarchis permiſſum eſt, teſte Anaſtaſio: quod cum ex aliis multis, tum ex Sergii electione cognoſcere licet. Paſchalis Archidiaconus ingentem pecuniæ vim Joanni Exarcho, ſi Pontifex legeretur, pollicitus erat. Habentur comitia; Clerus Populuſque duas in factiones diſtracti; alii Paſchalem, alii Theodorum Pontificem appellant; tum omnibus è publica re fore viſum eſt, ſi alius crearetur. Creatur communi ſuffragio Sergius. Sub hæc Joannes Exarchus Romam advenit: electionem Sergii ratam eſſe jubet. Annon id etiam ex Silverii & Martini exilio efficitur: quorum alter, quòd Anthimum è ſede dejectum reſtituere recuſaret, à Beliſario juſſu Theodoræ anno DXXXVIII in Palmariam inſulam; alter, quòd Heraclii Ecthesim & Monothelitarum damnaſſet errorem, à Theodoro Calliopa anno DCLIII juſſu Conſtantis Cherſonam relegatus eſt. Eò

etiam pertinent, tum Vigilii, tum Conſtantini Pontificum in Græciam itinera: uterque ab Imperatoribus accitus; ille à Juſtiniano anno DXLVI de tribus Capitulis, hic à Juſtiniano Juniore anno DCCIX de Trullanis canonibus; electionem verò Antiſtitis Romaní, vel ratam eſſe jubere, vel irritam; Pontifices pro arbitrio modò mittere in exilium, modò Conſtantinopolim evocare: nonne certa ſunt ſummæ autoritatis argumenta? HISTORIA URBIS ROMÆ.

V. Sub Leone Iſaurico à Græcis deſcivit.

Unum tamen eſt, quod ego diffiteri nolim, poſt Gregorium II paulò aliam fuiſſe Urbis regendæ rationem. Poſtquam enim Leo Iſauricus in ſacras imagines inſanire cœpit, potior apud Romanos fuit Pontificis, quàm Imperatoris autoritas; Leonis impietate tuendæque religionis curâ, civium, militum, ducum animi ab Imperatore ſenſim averſi: unde quando ſtructæ ſunt Gregorio inſidiæ, obviàm ab Italis itum eſt, & pro Gregorio contra Leonem dimicatum. Nec tamen id Gregorii operâ factum crediderim: quod enim à Theophane, Zonara, Cedreno memoriæ proditum eſt, Italos à Gregorio ſacramento ſolutos, tributaque ultrà Leoni dari prohibita, id ſecus eſt, ſi Paulo Diacono, ſi Anaſtaſio, ſi ipſi Gregorio credimus. Quàm enim alienum illud eſt à Gregorii & modeſtia & pietate; cui nihil fuit antiquius, quàm averſos à Leone populos continere; milites, duceſque admonere officii, quos ne alium eligerent Imperatorem, deterruit.

VI. Opera Gregorii Græcis iterum ſubdita.

Extant etiam nunc, cùm ipſius Gregorii, tum illius, qui ipſi ſuffectus eſt, Gregorii III ad Leonem epiſtolæ, & amoris plenæ, & officii; quibus illum, & admiſſi ſceleris perhumaniter admonent, & ad avitam religionem profitendam cohortantur. Quinetiam Gregorius II, ut tradit Anaſtaſius, Romanis, qui jam ducem ſibi delegerant, autor fuit, ut, & cum Eutychio Exarcho redirent in gratiam, & ſe ſuaque Leoni iterum permitterent. Eadem propè, quæ aliàs fuerat, Imperatoris in Urbe deinceps poteſtas fuit: quod cùm multa probant, tum legationes potiſſimùm duæ; altera à Conſtantino Copronymo, & Stephano II ad Aiſtulphum, ut quem armis ceperat, Exarchatum reſtitueret; altera à Stephano II ad Copronymum, ut Urbi ab Aiſtulpho obſeſſæ aliquid mitteret auxilii.

Provinciæ datæ a Francis Regibus.

CAPUT IV.

Provinciæ Romanæ Sedi datæ à Francis Regibus.

Quæ à Francis Regibus in Romanam Sedem collata ſunt beneficia, tria hæc, quæ ſequuntur, capitula complectuntur. Primum, quæ à Pipino præſtita ſunt; alterum, quæ à Carolo Magno; tertium, quæ à Ludovico Pio cæteriſque Regibus: quæ & breviter & accuratè, quoad fieri potuit, perſequor.

Provinciæ datæ à Pipino.

I. Gregorius III Caroli Martelli opem implorat.

Gregorius III omnium princeps ad Francorum Principum opem confugiſſe dicitur; ſunt tamen, qui id à Gregorio II repetant. Ubi Leo Iſauricus à fidelium conſortio prohibitus eſt, Luitprandus Longobardorum Rex, ſive ad ſpem Imperii erectus, ut nonnullis viſum eſt, ſive, quod verius putem, ditionis amplificandæ ſtudio; Romam anno DCCXXXIX obſidet. Nulla è Græcia auxilii ſpes erat: quare Gregorius ad Carolum Martellum, cujus tum ſumma laus erat ob res bello præclarè geſtas, miſit, ut ſibi atque afflictis Eccleſiæ rebus ſuccurreret. Grata Carolo legatio fuit: inita cum Pontifice ſocietas; miſſique in Italiam viri principes, qui Caroli nomine Luitprando bellum denunciarent: niſi ditione Romana quàm primùm excederet. Luitprandus Caroli minis ab incœpto deterritus Papiam, unde venerat, rediit: inde ſæpe implorati à Pontificibus Franciæ Reges, ſæpe & Eccleſiæ ſaluti fuerunt, & Urbi.

II. Stephanus III Pipini.

Quod, ut aliàs ſæpe, tum maximè anno DCCLIII enituit. Aiſtulphus, cui Rachis Longobardiæ Regnum legaverat, jam Pentapoli Ravennaque potitus, in Romanam ditionem irruperat: Urbi excidium, ſervitutem civibus minitans, niſi ſuæ ſe poteſtati permitterent. Stephanus ſive II, ſive III, aliter enim ab aliis appellatur, Gregorii exemplo fidum hominem in Galliam properare jubet. Literarum ſumma hæc

erat: cupere ſe de ſtatu Eccleſiæ cum Pipino coràm agere: quamobrem orare illum vehementer, ut Legatos ad ſe mittat, quorum ope Aiſtulphi eluderet inſidias. Morem geſſit Pipinus, miſſique ab eo in Italiam Rodigangus Abbas, & Dux Antharius, qui Stephanum perducerent in Galliam.

PROVINCIÆ DATÆ A FRANCIS REGIBUS.

III. In Gallia Pipinum Patricium creat.

Stephanus unà cum Legatis Papiam venit, ubi tum agebat Aiſtulphus. De Exarchatu Græcis reſtituendo multis diſceptatum eſt, ſed fruſtra: vixque in Galliam abire permiſſus eſt. Nunquam aliàs auguſtior Romani Antiſtitis majeſtas viſa: Pontifici ad tria paſſuum millia à Rege obviàm itum eſt: ad illius conſpectum repentè Rex equo deſilit, ad illiuſque pedes procumbit cum conjuge, liberis, & Regni Proceribus: deinde illum frænum equi tenens deducit in regiam: tum Pipinus à Stephano unà cum filiis Carolo & Carolomanno inunctus: Aiſtulphus ſemel atque iterum per nuncios literaſque de reddendis urbibus rogatus: ſpreræ ab eo Pipini & preces & minæ: quare inter Regem & Pontificem ſancitæ de fœdere contra Aiſtulphum ineundo leges; & uterque creatus eſt Patricius; alter ab altero: quæ dignitas cujuſmodi ſit, dictum à nobis eſt ſuperiùs. Primum, Stephanus Pipinum ejuſque filios, & ſuo, & Romanorum nomine *Patricios* appellat: deinde Pipinus ipſe viciſſim Stephanum: denique ſolemnibus verbis Exarchatum Pipinus & Pentapolim Romanæ Sedi daturum ſe, ſi felix belli foret exitus, pollicetur.

IV. Inde Reges Galliæ Patricii dicti.

Inde ſuſcepta à Francis Regibus Romanæ Eccleſiæ defenſio eſt; & Francorum Principes *Patricii* vulgò appellari cœpti ſunt. Quæ duo ne quis à me temere dicta putet, non abs re fuerit hoc loco unum alterúmve, ut à pluribus abſtineam, teſtimonium, quo id efficitur, aſcribere. Stephanus verò ipſe Papa unus nobis ſit inſtar omnium, cujus verba ſunt hæc: *Quoniam nulli alii, niſi tantummodo tuæ amantiſſimæ excellentiæ; vel dulciſſimis filiis, & cunctæ genti Francorum per Dei præceptionem, & B. Petri, ſanctam Dei Eccleſiam & noſtrum Romanæ reipublicæ populum commiſimus protegendum.* Cujus epiſtolæ inſcriptio eſt hujuſmodi: *Dominis excellentiſſimis filiis Pipino Regi & noſtro ſpiritali compatri, ſeu*

Ep. 4. ad Pipin.

PROVINCIÆ DATÆ A FRANCIS REGIBUS.

Carolo ſeu Carolomanno, item Regibus & utriſque Patriciis Romanorum Stephanus Papa. Unde quivis intelligat jam tum delatam Pipino ejuſque liberis; & Eccleſiæ tuendæ provinciam, & Patriciatûs dignitatem.

V. A Pipino victus Aiſtulphus.

Poſtquam Stephanus Papa graviſſimo, quo apud S. Dionyſium decubuerat, morbo ope divina convaluit, Pipinus tranſgreſſus Alpes Aiſtulphum bello petit anno DCCLIV: acie victum, Papiæque circumſeſſum jurare compulit, cuncta ſe, quæ Romanæ ditionis erant, præterea Exarchatûs oppida, redditurum. Adeo non ſtetit promiſſis Aiſtulphus, ut conſcripto exercitu in Romanum agrum irruperit: de quo cùm in Galliam allatum eſſet, continuò Pipinus ſuperatis iterum Alpibus in Italiam properat, & Aiſtulphum promiſſa facere detrectantem perpulit, ut Exarchatum & Pentapolim Pontifici traderet. Sub hæc ab Imperatore Græco ad Pipinum venit Legatus, qui provincias illas omnes ab eo repeteret: ſed reſponſum ab eo eſt, jam illas à ſe Romanæ Sedi datas, nec id in ſe admiſſurum ſceleris, ut datam Romano Pontifici fidem falleret.

VI. Exarchatus Pontifici traditus.

Tum miſſus in Exarchatum Fulradus Abbas, qui Pipini nomine urbes ſingulas Stephano traderet. Is deductis ex unaquaque civitate obſidibus Pontificem adiit, & urbium claves unà cum tabulis, quibus inſcripta donatio erat, *in confeſſione S. Petri,* ut loquuntur, anno DCCLVI depoſuit. Qui verò fines, ſive Exarchatus fuerint, ſive Pentapolis, quas & provincias & urbes utraque complexa ſit, ſi quis avet ſcire, provinciæ ſunt omnino tres, Flaminia, Æmilia, Picenum; civitates novem & viginti, è quibus civium & multitudine, & elegantiâ maximè nobiles erant Ravenna, Bononia, Ferraria, Ariminum, Ancona, Urbinum, quæ itidem, ac cæteræ, Pontificiæ ditionis eſſe cœperunt.

VII. Quæ tum Romæ Pontificis poteſtas.

Ea Pipini liberalitate multùm aucta eſt Romani Præſulis autoritas; alia tamen illius fuit in Ducatu Romano, alia in Exarchatu poteſtas: jure enim Patriciatus Romanis præerat; jure regio, Exarchatus urbibus; ut ex ep. 85 Adriani ad Carolum Magnum liquet, quòd illæ armis à Pipino de Longobardis receptæ erant; Roma non item. Unde in Pipini donatione Romæ nulla mentio eſt, quæ Imperatori Græco

etiam

etiam tum ſuberat; parebat tamen & Pontifici, & Pipino: at ut Patriciis, qui præter cæteros id habebant præcipui, ut provincias, quibus præerant, ſumma poteſtate regerent. Quare Romani cives ſe Pipini *fideles*, Romanæ verò Eccleſiæ, & Pauli Pontificis *fideles ſervos*, in ea, quam ad Pipinum miſerunt, epiſtola profeſſi ſunt, & ſumma Romæ in rebus etiam civilibus autoritas penes Romanum Pontificem eſſe cœpit. Ab Adriano enim Romani cives alii ab exilio revocati, alii dimiſſi è carcere: ſi quid tamen, quod gravioris eſſet momenti, occurreret, expetitus ut plurimùm Imperatoris conſenſus: quod de nece Sergii Secundicerii ab Adriano præſtitum eſt, qui tum in hac epiſtola, tum in alia, quæ in actis Synodi ſeptimæ eſt, adverſus Imperatorem eum adhibet verborum honorem, ut vel inde quivis intelligat, etiam tum Romam Imperatoribus paruiſſe. PROVINCIÆ DATÆ A FRANCIS REGIBUS.

Provinciæ datæ à Carolo Magno.

ANNO DCCLXVIII Carolus cognomento Magnus unà cum Carlomanno fratre paternum regnum ſortitus eſt. Is adductus Adriani I, qui Stephano anno DCCLXXII ſublectus fuerat, precibus, Deſiderium ex Duce Tuſciæ Longobardorum Regem bello petit anno DCCLXXIII, quòd urbes Pontifici ablatas reſtituere abnueret. Commiſſo prælio fuſus fugatuſque Deſiderius; tum Ticini obſeſſus à Carolo, qui, dum obſidio ducitur, Romam ſe contulit. Summo honore, & ingenti ſignificatione lætitiæ exceptus eſt: univerſi Magiſtratus obviàm ei ad millia paſſuum triginta profecti cum vexillis exceperunt: deinde ad primum lapidem pueri, qui olearum palmarumque ramos præferentes Caroli laudes concinebant: extremum claudebant agmen venerandæ cruces, quas Carolo, uti Patricio, obviàm mitti Pontifex juſſerat. Eas ut conſpicatus eſt Carolus, continuò equo deſiliit, & in Baſilicam Vaticanam pedes perrexit ad Pontificem, dum Clerus Populuſque lætis vocibus certatim acclamaret, ***Benedictus qui venit in nomine Domini.*** I. Carolus Magnus Romæ excipitur.

Secundùm hæc Deſiderius diuturna obſidione maliſque domitus, urbem ſeque Carolo dedidit, in quo Longobar- II. Multas provincias dat Romanæ Sedi.

PROVINCIÆ DATÆ A FRANCIS REGIBUS.

dorum in Italia Regnum anno DCCLXXIV concidit. Tum Carolus, quæ à Pipino patre Romanæ Sedi donata erant, rata eſſe voluit, ipſeque adjecit quamplurima; territorium Sabinenſe, Ducatum Spoletinum, Beneventanum & Tuſcum, quibus etiam & Venetiarum & Iſtriæ adſcribuntur provinciæ. Ita Anonymus illius temporis Scriptor: *Conceſſit eaſdem civitates & territoria beato Petro, atque præfato Pontifici, atque ſpopondit per deſignationem confinium, id eſt, à Lunis cum inſula Corſica, deinde in Suriano, deinde in monte Bardone, inde in Verceto, deinde in Parma, deinde in Regio, & exinde in Mantua, & Ponte Silvis, ſimulque univerſum Exarchatum Ravennatium, ſicut antiquitus erat, atque provincias Venetiarum & Iſtriæ, necnon cunctum Ducatum Spoletinum & Beneventanum: factaque eadem donatione, eam propria ſua manu ipſe Chriſtianiſſimus Francorum Rex corroborans, univerſos Epiſcopos, Abbates, &c. ſubſcribere fecit.* Summa penè, tum Caroli, tum Pontificis deinceps fuit Romæ poteſtas, ut ex Eginhardo colligere eſt. Ubi enim Leo III Adriano ſubrogatus eſt, miſit in Galliam, qui claves confeſſionis S. Petri, Urbis vexillum, aliaque munera, & ſuo, & Populi nomine ad Carolum deferrent. Sub hæc miſſus à Carolo Romam Engilbertus Abbas, qui fidei ſacramentum à Romanis exigeret. An id ab eis præſtitum ſit Carolo, ut Patricio, an ut Italiæ Regi, obſcurum eſt.

III. A Romanis Dominus appellatur.

Ab Engilberto renovatum eſt cum Leone, initum aliàs cum Adriano fœdus, firmataque utriuſque in Ducatum Romanum jura; quod ex multis, ſive imaginibus, ſive inſcriptionibus intelligere licet: tum juſſu Leonis depictæ S. Petri, Leonis Papæ & Caroli imagines: ſedebat in ſolio S. Petrus, ſtabat ad dexteram Leo Pontifex, Carolus ad ſiniſtram; illi D. Petrus orarium offerebat, huic vexillum Urbis. Extant etiam nunc inſcriptiones duæ, quæ ſunt hujuſmodi: una, *Sanctiſſimus DN. Leo Papa;* altera, *DN. Carulo Regi*, cujus etiam fuit numiſma, cujus in una facie inciſa erat S. Petri effigies, illiuſque humero claves impoſitæ; in altera hoc lemma legere erat, *DN. Leoni Papæ:* quam quidem inſcriptionem ad S. Leonem I pertinere ſcripſit Cardinalis Baronius. At eruditis pleriſque viſum eſt ſecus: quòd S. Leoni

nihil in Urbem Romam ſive juris fuerit, ſive, ut loquuntur, dominii. E Romanis itaque Pontificibus Leo III primus à Romanis, *Dominus* dici cœpit. PROVINCIÆ DATÆ A FRANCIS REGIBUS.

Par Leonis & Caroli in Urbe poteſtas fuit uſque ad annum DCCC, quo Carolus appellatus eſt Imperator. Procerum quorumdam ſcelere Leo Pontifex anno DCCXCIX oculis & linguâ mutilatus, ut quidem à nonnullis proditum eſt, fugit in Galliam, Carolumque perpulit, ut Romam iret ad res componendas. Ibi Leo objecta crimina ſponte jurejurando diluit, cujus innocentiam reſtitutis jam & oculis & linguâ Deus comprobarat. Deinde ob illuſtria Caroli in Romanam Sedem merita, cum natalis Dominici die Leo Pontifex nec opinantem invadit, impoſitaque capiti corona, totius Populi conſenſu Romanorum Imperatorem ſalutat, dum fauſtis Populi vocibus Baſilica perſonaret: *Carolo Auguſto à Deo coronato magno & pacifico Imperatori Romanorum vita, victoria, & à Pontifice more antiquorum Principum adoratus eſt, ac deinde omiſſo Patricii nomine Imperator & Auguſtus appellatus.* Ita Adelmus Aimoini Continuator. Deinde potior in Urbe Caroli fuit autoritas, quòd Imperii jure; Pontifex verò Patriciatûs tantùm uteretur: quod in ea, quam paulò pòſt de parricidiis exercuit, quæſtione enituit. Nonnulli enim ab eo damnati capitis; ſed deprecante Pontifice ejecti ſunt in exilium. IV. Coronatur Imperator.

Provinciæ datæ à Ludovico Pio & Carolo Calvo.

EADEM ſub Ludovico Pio, quæ ſub Carolo, regendæ Urbis ratio fuit: quod vel una adverſus Leonem Pontificem conſpiratione intelligere eſt. Ubi Carolus Magnus obiit, Romani Proceres in Leonem turbas iterum ciere aggreſſi ſunt: quod ut primùm ad Ludovicum allatum eſt, miſit continuò Romam Bernardum Italiæ Regem, cujus autoritate repreſſa tandem eſt Romanorum ferocia. Anno DCCCXVII Ludovicus vocata Aquiſgrani Synodo, cùm omnia, quæ ab avo & patre Romanæ Sedi data erant, rata eſſe juſſit, tum ipſe alia adjecit plurima in Ducatu Beneventano, in Campania, in Calabria, quæ Imperatoriæ I. Ludovicus Romam dat Pontifici: jus appellationis ſibi retinet.

PROVINCIÆ DATÆ A FRANCIS REGIBUS.

ditionis erant, patrimonia, & inſulas Corſicam, Sardiniam & Siciliam: quanquam eſt, cur quis de Sicilia nonnihil dubitet, cùm nec tum Ludovico, nec aliis poſtca Francis Imperatoribus paruerit. Donationis verba ſunt hæc: *Ego Ludovicus Imperator Auguſtus ſtatuo & concedo beato Petro .... civitatem Romanam cum Ducatu ſuo .... necnon & Exarchatum Ravennatenſem, ... & inſulas Corſicam & Sardiniam & Siciliam ſub integritate ... item in partibus Campaniæ Soram .. Capuam & patrimonia ad poteſtatem & ditionem noſtram pertinentia, &c.* Denique ſummam in his provinciis Romano Antiſtiti indulſit poteſtatem: eatenus tamen, ut cuique fas eſſet, ſi à Judicibus duriùs haberetur, ad ipſum provocare.

II. Romani ſacramentum fidei præſtabant Ludovico.

Cùm provincias illas omnes, tum urbem Romam pro arbitrio regendi ſumma deinceps penes Romanos Præſules poteſtas fuit: nihil enim erat Imperatoribus reliquum præter *jus regni*, quod in fidei ſacramento condendiſque legibus poſitum eſt. Quo jure uſus eſt aliquantò pòſt Lotharius. Ingens in Urbem è variis regionibus confluxerat populi multitudo; unde perturbata judiciorum ratio erat, dum alii Longobardicâ, alii Gallicâ, Romanâ alii lege judicia peragi volunt. Huic malo ut mederetur Lotharius, jubet anno DCCCXLVII, ut Romani ex iis, quas appellavi, legibus, unam ſeligant, cujus placitis omnes deinceps judicentur, *per diſpenſationem*, inquit, *Pontificis & noſtram.*

III. Carolus Calvus omni jure in Romanum Ducatum cedit.

Tandem anno DCCCLXXV Romanus Pontifex & Romæ, & in aliis, de quibus actum eſt hactenus, provinciis regium jus ea ratione obtinuit. Ludovicus II victoriis de Saracenis in Italia relatis clariſſimus, Mediolàni obierat. Illius patrui Ludovicus & Carolus Calvus, ille Germaniæ, hic Galliæ Rex, Imperii decus affectant; ſed Carolus à natura Ludovico callidior Romam continuò advolat; & conſenſum tum Joannis VIII, tum Populi, quà promiſſis, quà liberalitate obtinet, & à Pontifice Imperator rite appellatur. Tum ut accepti beneficii memorem ſe præſtaret, reliquam Apuliæ partem & Calabriam, quas Ludovicus II de Saracenis receperat, Romanæ Sedi conceſſit; Regium præterea jus, ſupremumque, ut vocant, dominium in omnibus, quas Franci Principes dederant, provinciis: ita ut nihil omnino

juris in eas Imperatoribus relictum ſit, ut legere eſt apud Eutropium Preſbyterum: *Renovans pactum cum Romanis, perdonans illis jura regni & conſuetudines illius .... Patrias autem Samniæ & Calabriæ ſimul cum omnibus civitatibus Beneventi eis contulit, inſuper ad decorem Regni Ducatum Spoletinum .... quid plura? cuncta illis contulit quæ voluerunt.* Ex his quæ dicta ſunt à nobis, liquet quidquid in Italia Pontificiæ ditionis eſt, & olim fuit, Romanæ Sedi datum eſſe à Francis Regibus. PROVINCIÆ DATÆ A FRANCIS REGIBUS.

IV. Iis quæ detraxerant Fràci, nihil additum ab Italis Imperatoribus.

Quò verò Regum noſtrorum liberalitas magis eluceat, juvat hoc loco delibare paucis, quid è juribus Romani Antiſtitis detractum ſit à Germaniæ Regibus, de quibus poſtea fortè agendum erit uberiùs. Ubi Imperatoriæ ſtirpis virtus & indoles ad otium & inertiam deſcivit, Francorum Imperium deſiit, Regnumque Italiæ delatum Italis, quorum æmulatione graviſſimis poſtea bellis exarſit Italia: quæ à Francis Principibus Romanæ Sedi donata erant, bis ab iis Regibus confirmata dicuntur: ſemel anno DCCCXCI à Vidone, poſtquam Stephani Pontificis operâ Romæ Imperatoris nomen adeptus eſt, iterum Ravennæ anno DCCCXCVIII à Lamberto, poſtquam ipſius electio comprobata eſt à Joanne IX, Arnulphi verò repudiata; ab utroque provinciis, quæ Pontifici ſuberant, nihil aut detractum, aut additum.

V. Multa detracta à Germanis.

Ubi Otho cognomine Magnus, à Joanne XII evocatus in Italiam venit, & Mediolani regiis, Romæ imperatoriis decoratus eſt inſignibus, dona Francorum Regum anno DCCCCLXII rata quidem eſſe voluit; ſed triplex ab eo adhibita cautio eſt. Prima, ut in omnibus Pontificiæ ditionis provinciis jus Imperii ſibi cæteriſque poſt ipſum Imperatoribus eſſet integrum. Altera, ne quis ordinaretur Summus Pontifex, niſi ſua ſe in ſubditos poteſtate parcè & modeſtè uſurum Imperatoris Legatis recepiſſet. Tertia, ut judicibus, qui ſingulis urbibus à Pontifice præpoſiti erant, alii ab Imperatore præficerentur, qui in eorum judicia, mores, ſcelera inquirerent, & ſi quid à quoquam peccatum eſſet, primùm ad Pontificem deferrent; deinde ſi malo is non mederetur, ad Imperatorem: cujus tum eſſet mittere in Italiam judices, ad quos de crimine admiſſo judicium pertineret. Ita factum,

ut ſumma deinceps in his provinciis poteſtas, nomine fuerit penes Antiſtitem Romanum, re penes Imperatorem.

JUS GESTANDÆ CORONÆ.

CAPUT V.

Quando Romani Pontifices coronam geſtare, & imponere Imperatori cœperint.

I. Jus coronæ & ferendæ & imponendæ Imperatori.

FRANCORUM Regum liberalitate non auctæ ſolùm Romanæ Sedis opes, ſed ornata etiam Pontificum majeſtas eſt: quod cùm ex multis intelligere licet, tum ex duobus potiſſimùm, quæ ad ſummam Romani Antiſtitis dignitatem pertinent, ornamentis. Inde enim & jus geſtandæ coronæ, & Imperatorum capiti imponendæ conſuetudo profluxit: quæ duo inſignia, quia Romani Pontificis propria ſunt, unde, quandóve adhiberi cœpta ſint, paucis aperire libitum eſt.

II. Conſtantinus diadema non indulſit Silveſtro.

Nullus, quod memoriæ proditum ſit, Romanorum Pontificum ante Caroli Magni ætAtem coronâ uſus eſt: quod enim in ficta donatione Conſtantinus Magnus diadema ex auro puro, hoc eſt, coronam ſui capitis, Silveſtro indulſiſſe dicitur, mera eſt fabula. In his enim verbis cùm multa contra Hiſtoriæ fidem peccata ſunt; tum hæc præcipuè duo: quòd & coronam à diademate nihil differre putet, & Conſtantino tribuat diadema, quo nec alii Imperatores, necdum ipſe uſus erat: quæ duo quàm abſona ſint, quis non videt?

III. Diſcrimen diadematis & coronæ.

Coronæ & diademati diverſa erant hæc præcipuè tria, materies, uſus, ſedes. Corona erat vel ex auro, argento alióve metallo, vel ex lauro, pinu, quercu, aliáve arbore; diadema ex linteo lineo ut plurimùm vel albo, vel purpureo. Albo enim uſi ſunt Macedonum Reges, Perſarum purpureo; albo purpurâ intertexto poſt devictum Darium Alexander. Deinde diadema apud Græcos & Romanos regiæ poteſtatis erat inſigne, corona non item; ſed præmium relatæ, ſive in ludo, ſive in bello victoriæ, de quo dictum eſt à nobis uberiùs in libro de Romana Republica. Denique

fronti impoſitum diadema, corona ſummo capiti: quam in rem, ut à pluribus teſtimoniis abſtineam, unum Corippi de Juſtino Juniore proferre ſufficiat:

JUS GESTANDÆ CORONÆ.

Adſtantem benedixit eum, cœlique potentem
Exorans Dominum, ſacro diademate juſſit
Auguſtum vincire caput: ſummoque coronam
Imponens capiti, &c.

IV. Quando diadema & corona adhiberi cœpta à Romanis Imperatoribus.

Quàm inviſa Populo Romano fuerint regiæ dignitatis inſignia, penè omnes loquuntur Hiſtoriæ: quare nec Auguſtus, nec alii poſt eum Cæſares diadema unquam inter ornamenta ſua adſciverunt, ut ex eorum nummis diſcimus. Primus, ut ab Aurelio Victore & Cedreno proditum eſt, Conſtantinus, poſtquam in Thracia Imperii ſedem conſtituit, diademate Aſianorum more uſus eſt, & alii deinceps Imperatores: deinde corona diademati addita eſt à Leone I, ſi Cedreno & Zonaræ credimus, ut & frontem diadema, & ſummum caput corona tegeret; quod docent ea, quæ priùs deſcripſimus, Corippi verba. Denique diadema, vel repudiatum eſt, vel annexum coronæ: unde aliquantò pòſt coronam inter & diadema nihil eſſe diſcriminis vulgò creditum eſt. Nemo jam non videt Silveſtro, nec coronæ uſum, nec diadematis conceſſum eſſe à Conſtantino, qui necdum diademate ipſe uteretur, nec coronam uſquam adhibuerit.

V. A quibus Pontificibus inducta triplicis coronæ uſus.

Ubi Roma, Ravenna, aliæque, tum Romani Ducatus, tum Exarchatus civitates, à Francis Regibus Summo Pontifici permiſſæ ſunt, eodem, quo cæteri Principes, jure coronâ uti potuit. Quare Nicolaus I anno circiter DCCCLX circulum aureum civilis poteſtatis inſigne mitræ addidiſſe perhibetur: eadem tamen, quæ priùs erat, ſervata mitræ figura eſt, mitræ, quæ nunc ab Epiſcopis adhiberi ſolet, longè abſimilis: hæc enim bifida, & duos in apices diſtracta; illa verò oblonga erat, & in acumen deſinens, cujus uſus ad Bonifacium uſque VIII obtinuit, à quo & mitra in eam, quæ nunc eſt, figuram conformata eſt, & circulo aureo alter item aureus additus anno MCCC, cui Urbanus V anno MCCCLXV tertium etiam impoſuit: unde Tiara Summi Pontificis triplici coronâ, quod ipſi, & ſingulare eſt, & præcipuum, decoratur. Alius verò eſt uſus coronæ, quæ & regnum dici-

RITUS CORONANDI IMPERATORIS.

tur; alius mitræ. Coronâ utitur, ut Princeps; mitrâ, ut Summus Pontifex. Quò pertinent ea Innocentii verba: *Romanus Pontifex in ſignum Imperii utitur regno; & in ſignum Pontificii utitur mitrâ: ſed mitrâ ſemper utitur & ubique; regno verò nec ubique, nec ſemper.*

Quando Imperatores coronari cœpti à Romano Pontifice.

I. Coronandi Imperatoris conſuetudo à Francis fluxit.

ANNO DCCC ipſo natalis Dominici die Leo III Carolum Magnum, dum in Baſilica beati Petri flexis genibus oraret, nec opinantem invaſit, & coronâ capiti impoſitâ Romanorum appellavit Imperatorem: inde conſecrandi Imperatoris conſuetudo manavit in Occidente; & perpetua certaque lex fuit, ut is unus Imperaror & eſſet, & diceretur, qui à Romano Pontifice Imperii accepiſſet inſignia: ita conſecrati Auguſti ab Eugenio II Ludovicus Pius; Lotharius à Paſchali I; ab Adriano II Ludovicus II; Carolus Calvus à Joanne VIII, & ab aliis alii. Idem etiam factitatum, poſtquam Carolinæ ſtirpis virtus indoleſque defecit, & devolutum ad Italicos Principes Imperium eſt: nec ab eo more deſcivit Otho Magnus, cujus virtute Imperium ab Italicis ad Germanos tranſiit: ipſe enim à Joanne XII auguſtalibus decoratus eſt ornamentis; Otho II à Joanne XIII; à Gregorio V Otho III, &c. Quibus verò ceremoniis id peragi ſoleret, vix à quoquam intelligi poſſit, niſi priùs, quænam fuerit Regis & Germaniæ, & Italiæ, ſive eligendi, ſive ungendi ratio, paucis explicemus.

II. Triplex corona, Germaniæ, Italiæ, Imperii.

Duplex illis temporibus fuit ad Imperium capeſſendum gradus. Alter, regni Germanici titulus, alter Italici: ſolemne enim fuit hunc dici Imperatorem, qui priùs & Germaniæ Rex fuerat, & Italiæ appellatus. Sua cuique genti erant Regis eligendi jura, & varii conſecrandi ritus; unique triplicem coronam imponi moris fuit, regni Germanici argenteam Aquiſgrani; Italici ferream Mediolani; Romæ Imperii auream. Argenteam dabat Moguntinus Archiepiſcopus, quanquam id muneris eſſe ſui contendebant, & Colonienſis & Treverenſis: ille, quòd Cancellarius eſſet Italiæ; hic quòd utrique antiquitate præſtaret. Mediolanenſis Archiepiſcopus

piſcopus ferream dabat; auream Summus Pontifex. Hi ferè ſive Regis, ſive Imperatoris conſecrandi ritus fuiſſe perhibentur.

RITUS CORONANDI IMPERATORIS.

III. Ritus coronandi Regis Germaniæ.

Poſtquam obierat Imperator, continuò Germaniæ tum Epiſcopi, tum Principes Aquiſgranum convocati, ab iis è Procerum numero, qui plura ſuffragia tuliſſet, Rex appellatus. Is in aula Baſilicæ, quæ beatæ Virgini ſacra erat, è ſolio ſublimis primùm omnium ſacramenta excipiebat: deinde in Baſilicam eunti obviàm prodibat Archiepiſcopus Moguntinus unà cum Clero & Populo, qui fauſta omnia novo Regi apprecabatur: tum ad altare ut ventum erat, eo ferè ordine data regni inſignia, gladius cum baltheo, armillæ, chlamys, ſceptrum, baculus; & poſtquam oleo ſacro inunctus erat, corona capiti impoſita, quæ argentea fuit, ut Luitprando placet; aurea, ut Vitichindo: denique poſt ſolemnem hymnum deducebatur in regiam, ubi epulo regio, & Epiſcopos, & Principes exciperet.

IV. Regis Italiæ.

Poſtquam rite peracta hæc inauguratio erat, miſſi in Italiam, qui & electum Regem nunciarent, & illius in Italiam adventum, ut Duces, Marchiones, urbium Magiſtratus venienti præſtò eſſent. Rex vel Mediolanum rectè pergebat; vel Modoëtiam, quæ Mediolano duodecim tantùm millibus aberat, de qua in Hiſtoria Eccleſiæ Mediolanenſis dicendi locus erit uberior. Si Mediolani conſiſteret, in Ambroſiana Baſilica; ſi Modoëtiæ, in ſancti Joannis Baptiſtæ templo, conſecrabatur. Solemne fuit illum depoſitis regiis veſtibus Diaconi tunicâ indui, & eo ornatu Archiepiſcopo divinam rem facienti miniſtrare; deinde inungi oleo; tum eadem propè, quæ Aquiſgrani, recipere regni inſignia, enſem, baltheum, armillas, &c. & ferreâ ad extremum ornari coronâ, quæ, ut pluribus viſum, aurea quidem erat, ſed ferreo circumdata circulo, unde inditum illi nomen eſt.

V. Qui jus publicè dicebat.

Præterea Rex ſolemni ſacramento palam profeſſus ſe nihil Italiæ juribus unquam nociturum, ex legum ſcitis de rebus publicis cognoſcebat: pòſt ducebatur ad Padum in campum, cui Roncaliæ nomen erat, non procul à Placentia exercitus; ibi poſita, vel in orbem vel in quadrum caſtra, quæ urbium in morem variis erant diſtincta vicis: in medio

Ee

RITUS CORONANDI IMPERATORIS.

erectum Regis tabernaculum, ſcutum ſuſpenſum è ſtipite; & qui feuda haberent, ad excubias circa Regis tabernaculum agendas per præconem evocati, citati etiam à Principibus ſingulis ſinguli, qui ipſis addicti erant, valvaſores, ut tum loquebantur; & qui poſtridie non adeſſent, feudo mulctati; denique Rex pro tribunali jus dicere, Principum & civium lites componere & diſſidia, novaſque, ſi opus erat, ſancire leges.

VI. Imperatoris.

Dimiſſo conventu, ad tertiam, quæ Imperii erat, coronam ſuſcipiendam Romam verſus itum eſt. In itinere ex ſingulis civitatibus cum faculis proditum eſt obviàm. Ad Urbem ubi ventum erat, hæ Regi, ne quid tumultus fieret, præſcriptæ leges: ut extra muros in pratis Neronianis dimitteret exercitum, & ipſe cum honeſto Procerum comitatu ad Pontificem pergeret. Is pro æde Vaticana Regem de more opperiri ſolebat. Illius ut pedes Rex erat oſculatus, deducebatur *ad confeſſionem* ſancti Petri, ut dicitur. Ibi tantiſper orabat: tum Diaconi vice functus, dum Pontifex ſacrum faceret, ab Epiſcopo Mediolanenſi coram Pontifice ſiſtebatur. Poſtquam hi adhibiti ritus erant, ipſe perfuſus oleo eſt, digito inſertus annulus, ſceptrum & nudus enſis illi tradita, ut alterum altera manu ferret; & ubi ſe ſolemni ſacramento obligarat, futurum ſe Romanæ Eccleſiæ Defenſorem, corona capiti imponebatur: denique Pontifici in equo ſedenti ſtratoris vice fungebatur.

VII. Tempus Imperii ab illo die numeratum.

A diebus, quibus Aquiſgrani, Mediolani, Romæ datæ erant hujuſmodi coronæ, repetitum & Regni & Imperii initium eſt, tumque vel Rex, vel Imperator dici cœptus. Quod verò de Friderico I ab Othone Friſingenſi traditur, illum fuiſſe quinque coronis inſignitum; in illo id ſanè ſingulare fuit, & contigit præterea nemini. Unam Aquiſgrani accepiſſe perhibetur pro Regno Francico; pro Germanico Ratiſponæ alteram; tertiam Papiæ pro Longobardico; pro Italico quartam Mediolani; quintam denique Romæ pro Imperio. Nec tamen perpetua certaque lex fuit, ut Romæ ſemper daretur Imperii corona: data enim eſt & olim Remis Ludovico Pio à Stephano V, & Ludovico Balbo à Joanne VIII Trecis; & ſæculo ſuperiori Carolo V à Clemente VII Bononiæ.

CAPUT VI.

Historia urbis Romæ.

Hiſtoria urbis Romæ à Carolo Magno ad noſtram uſque ætatem.

POSTQUAM Romæ Francorum Regum indulgentiâ ſumma Romani Antiſtitis poteſtas eſſe cœpit, Urbis regendæ varia ratio fuit & multiplex : ſummum quidem, ſi jus legeſque ſpectes, penes Romanum Pontificem, & Imperium erat, &, ut loquuntur, dominatus : at libertatis recuperandæ cupido, Procerumque gratia apud populum potior ſæpe fuit, quàm Pontificum autoritas. Nobilium diſſenſio, levitas populi, Imperatorum ambitio ſæpe & Urbi, & Pontificibus exitio penè fuit : ſæpe in duas pluréſve factiones cives diſtracti ; ſæpe ejecti ex Urbe Pontifices ; ſæpe mutata publicæ rei adminiſtrandæ forma ; ſæpe Urbs capta, direpta, diruta, incenſa : quæ, qua ratione, quando, quorúmve aut induſtriâ, aut ſcelere facta ſint, paucis hoc loco explicare nobis propoſitum eſt. I. Sæpe Romæ à civibus turbatum eſt.

Tempus verò illud omne, quod à Carolo Magno ad nos uſque fluxit, in ſeptem ſive ætates, ſive partes, memoriæ juvandæ causâ tribuimus. Prima ab anno DCCC, quo Carolus Magnus Imperator appellatus eſt, pertinet ad annum DCCCCXXVIII, quo Albericus præter illius ætatis morem creatus eſt *Conſul*. Altera ad annum DCCCCXCVII, quo Creſcentis morte abdicato Conſulatu, ſumma rerum *Præfecto* Urbis permiſſa eſt. Tertia ad annum MCXLIV, quo *Patricius* ſub Innocentio II eligi cœptus Jordanes Petri Leonis filius. Quarta ad annum MCCVIII, quo ab Innocentio III inſtituta *Senatoris* dignitas. Quinta ad annum MCCCXLIII, quo Roberti Siciliæ Regis morte *Senator* creari deſiit ; Urbſque, vel *Legato* paruit, vel *Vicario* : aberat enim in Gallia Pontifex. Sexta ad annum MCCCXCV, quo moles Adriani à Bonifacio IX reſtituta, & præſidiario firmata milite. Septima denique ad noſtram uſque ætatem. II. Tempus à Carolo Magno ad nos in ſeptem ætates deſcriptum. III.

HISTORIA URBIS ROMÆ.

III. Singulis ætatibus præfixi tituli.

Quò verò ætates ſingulas alias ab aliis faciliùs ſecernere liceat, ſuus cuique præfixus erit titulus, ſuaque inſcriptio, ab iis potiſſimùm petita, qui tum in Urbe plus cæteris poterant. Primæ igitur ætatis inſcriptio erit hujuſmodi: *Imperatores & Comites Tuſculani:* ſecundæ, *Conſules:* tertiæ, *Præfectus Urbis & Proceres:* quartæ, *Patricius:* quintæ, *Senator:* ſextæ, *Legatus vel Vicarius:* ſeptimæ, *Summus Pontifex.*

Imperatores & Comites Tuſculani.

I. Romani Proceres conſpirant adverſus Leonem III.

CAROLI Magni auſpiciis ſumma pace florebat Italia, cùm anno DCCXCIX à Romanis turbari cœptum eſt. Ægrè erat Proceribus Romano Pontifici ſervire, ſeu priſtinæ libertatis amore, ſeu odio Leonis III: ipſi inſidias comparant. Conjurationis Duces erant Paſchalis & Campulus, alter Primicerius, Sacellarius alter, dum Leo ſolemnem ad ſancti Georgii, ſupplicationis ergò, Cleri Populique pompam ducit: in eum fit impetus; abjectuſque in terram ſacris exuitur veſtibus, & oculis, linguaque mutilatus, quod nonnullis viſum eſt, & multis confoſſus vulneribus detruditur in carcerem, ubi ſingulari Dei beneficio linguam & oculos recepit: de quo ubi Spoleti auditum eſt, Vinigiſus Dux Romam accurrit, & Leonem in Franciam ad Carolum dimiſit. Ab eo ſolemni ritu, ut mos Francorum erat, exceptus, Regem perpulit, ut Romam diſſidii componendi causâ contenderet. Ibi Leo innocentiâ tutus, objecta ſibi crimina ſponte jurejurando diluit: tum habita de admiſſo ſcelere quæſtio eſt, rei damnati à Rege capitis; ſed extremum ſupplicium deprecante Pontifice exilio mulctati ſunt.

II. Urbs Leonina condita.

Anno DCCCXL gravis Romæ clades illata eſt à Saracenis, qui ſpe prædæ illecti ex Africa ad Italiæ litora appulerunt; S S. Petri & Pauli Baſilicæ direptæ: ornamenta penè omnia ablata: valvæ etiam templi Vaticani aſportatæ; quod ne iterum tentarent, Leo IV Pontifex Vaticanum munire inſtituit: ſexto quàm cœperat anno, perfecta munitio eſt: urbſque Leonina nomine Leonis Pontificis vulgò dicta: paulò pòſt cùm Gratianus Magiſter militum novis ſtudere rebus, & cauſas diſſidii inter Regnum & Sacerdotium ſerere falsò

diceretur: Leo apud Ludovicum Italiæ Regem ſe purgavit, & ad Lotharium literis profeſſus eſt, *ſe præcepta ejus & majorum ſervare, & in perpetuum ſervaturum eſſe.*

Historia Urbis Romæ. III. Proceres in Joannem VIII conſpirant.

Mortuo abſque liberis Ludovico Imperatore, magna Francos inter, Germanos & Italos de Imperio contentio fuit. Tuſculani Comites, quorum magna in Urbe autoritas erat, Joanni Pontifici vehementer autores ſunt, ut Imperii titulum Italo Principi deferat: deinde ob repulſam irati, in Galliam ut rediit Carolus Calvus, quem Joannes Auguſtum appellaverat, in Pontificem conſpirant audita Caroli morte: exorto tumultu Joannes anno DCCCLXXVIII capitur, & conjicitur in carcerem: unde ope ſuorum elapſus ad Ludovicum Caroli filium fugit in Galliam, quem ubi inunxit Imperatorem, Romam Comitante Boſone rediit, ne qua ipſi ab inimicis injuria inferretur.

IV. Admiſſa in Formoſum ſcelera.

Anno DCCCLXXXIV Tuſculani Comites Adrianum III adeunt, orantque ut ſalutari decreto in poſterum reipublicæ caveat, ne ſi Carolus Craſſus abſque prole maſcula moreretur, exteris Principibus Imperii decus traderetur. Adrianus, ſive metu, ſive Italiæ laude permotus, annuiſſe fertur, & re ipſa poſt Craſſi obitum Stephanus VI Vidoni Spoletano Duci anno DCCCXCI Imperii detulit inſignia. Sub hæc Romæ turbatum eſt: Stephano duo ſuffecti; Sergius ex Tuſculanorum Comitum ſtemmate; & Formoſus Portuenſis Epiſcopus: vicit quidem Formoſus, at in eum, quoad vixit, & in ejus cadaver poſt mortem à Sergianis ſævitum eſt, de quo dicetur infrà. Subinde Pontifices, modò ex una, modò ex altera factione creati, aliorumque acta ab aliis reſciſſa, ut Formoſi à Stephano VI, & Stephani VI à Romano, Theodoro, Joanne IX: alii ab aliis abdicare ſe coacti, ut Leo V à Chriſtophoro, & Chriſtophorus à Sergio III.

Conſules.

I. Conſules reſtituti & Tribuni plebis.

ANNO DCCCCXXVIII nova regendæ Urbis ratio inducta eſt: qua de cauſa, paucis dabo. Marocia, penes quam in Urbe ſumma rerum erat, Hugoni Burgundo nupſerat. Is Albericum, Marociæ ex Alberto Marchione fi-

HISTORIA URBIS ROMÆ. lium, quod ad manus abluendas aquam haud ſcitè infudiſſet, in faciem cecidit. Ignominiæ impatiens juvenis Romanos adit, turpe eſſe oſtendit homini Burgundioni ſervire Romanos; hortaturque vehementer, ut veterem Reipublicæ adminiſtrandæ formam revocent. Continuò, & Ducis, & Magiſtri militum appellatio repudiata; & eorum in locum inducti Tribuni plebis, Præfectus Urbis, amboque Conſules, quorum alter Albericus fuit: arx repentè obſeſſa, captaque: Hugo ſibi fugâ conſuluit, fruſtraque paulò pòſt Urbem obſedit.

II. Ab Othone depoſiti. Secundùm hæc Albericus filium Octavianum creari Pontificem curat, cui Joanni XII nomen fuit. Is ditionis parte à Berengario II ſpoliatus, Othonem Germaniæ Regem in Italiam evocat, eumque ſolemni ritu appellat Imperatorem, à quo cùm paulò pòſt defeciſſet, abrogatus eſt illi Pontificatus, intruſuſque ab Othone Leo VIII, à Romanis Joanni Benedictus V, quo abdicato Leoni ab Othone & Romanis Joannes XIII ſublectus eſt. Is dum Præfecto Urbis, Conſulibus, Tribunis, qui novis rebus ſtudebant, obſiſtit, in carcerem truditur: deinde in Campaniam anno DCCCCLXV pellitur: de quo cùm in Germaniam allatum eſſet, Otho in Italiam cum exercitu properat, ſumptumque ab eo de ſeditioſis ſupplicium eſt: pulſi Conſules: Tribuni plebis ſuſpendio necati: Præfectus Urbis per vicos aſino averſus ad ludibrium deductus, cæſuſque virgis in carcere includitur, reſtitutaque prior Urbis regendæ forma.

III. Proceres necati ab Othone II. Sub Othonis interitum, cùm in multis Italiæ urbibus, tum potiſſimùm Romæ de libertate recuperanda tumultuatum eſt. Tumultûs autor fuit Cincius Romanus civis, à quo Benedictus VI Papà anno DCCCCLXXIII, quòd Imperii & Eccleſiæ jura retineret, in vinculis mori coactus eſt: tum Bonifacius Sedem invaſit, quo pulſo Benedictus VII à Tuſculanorum Comitum factione intruſus eſt. Anno DCCCCLXXXI Otho II cum ingenti exercitu Romam venit, Italiciſque Proceribus ad convivium invitatis, inter epulas cæteris inſpectantibus, de ſeditioſis ſupplicium ſumpſit, unde *Sanguinarii* nomen illi factum.

IV. Abrogati Conſules. Anno DCCCCXCIII Creſcens Romæ Conſulatum ade-

ptus, dum Imperii titulum ſibi cupit aſciſcere, ingentem tumultum excitavit. Primùm Joannem XVI Pontificem ex Urbe pellit, quem paulò pòſt per amicos, Othonis III metu, revocat: deinde Gregorium V, qui Joanni ſubrogatus erat, fugat in Etruriam: tum Urbis mœnia, arcemque ad Tiberim munire inſtituit. Interim Otho infeſto agmine Romam petit: Urbs obſidetur: acriter primò pugnant Romani, ſed tandem malis victi, deditionem faciunt. Creſcentius in arcem refugit: pſeudo-Pontifex per Urbem ignominioſè circumducitur. Creſcenti, quòd in longum duceretur obſidio, ſi ſe dedat, veniæ ſpes facta; ſed arce reddita contra datam fidem damnatur majeſtatis, & cum duodecim ſociis ſuſpendio necatur anno DCCCCXCVII. HISTORIA URBIS ROMÆ.

Præfectus Urbis.

I. Diſſidia Romanorum ab Henrico ſopita.

SECUNDÙM hæc multi è Tuſculanis Comitibus in Romanos Pontifices adſciti, Benedictus VIII, Joannes XIX & Benedictus IX, qui tredecim annis pòſt Sede dejectus eſt: huic ſuffectus Silveſter III, tertiuſque Pontifex paulò pòſt additus Joannes; quod ſchiſma Gratiani induſtriâ quoquomodo ſopitum, ab Henrico II Imperatore anno MXLVII penitus extinctum eſt: illius enim operâ ad Pontificatum evecti ſunt Clemens II, Damaſus II, Leo IX, ſummâ & pietate & prudentiâ viri; à quibus multa ad caſtigandos Clericorum mores, qui à vetere diſciplina deſciverant, ſancita ſunt.

II. Romani fovent Henrico IV contra Alexandrum II.

Hanc Romanæ rei tranquillitatem graviſſimi tumultus exceperunt, Henrici Germaniæ Regis pervicaciâ. Is duos pſeudo-Pontifices Romanis obtrudere molitus eſt: Cadaloum Parmenſem adverſus Alexandrum II, & contra Gregorium VII, Guibertum Ravennatem. Cadalous à Gilberto, Lombardiæ præfectus erat, Romam anno MLXIII deducitur: ad Urbem pugnatum acriter: Pontifici auxilio venerat Gothefredus, cum valida Tuſcorum manu: ab eo Cadalous cum regiis copiis victus fugatuſque eſt; ſed ineunte vere à Principibus Romanis revocatus, urbe Leonina per noctem capta, Baſilicam Vaticanam occupat; ſed ut illuxit, repente armis à civibus appetitus, Cincii ope, qui

HISTORIA URBIS ROMÆ.

Henrici partes fovebat, in arcem refugit, ubi à Romanis obſeſſus eſt; ſed à Cincio clam dimiſſus, ad Sedem ſuam rediit.

III. Contra Gregorium VIII.

Gravius etiam multò fuit ſub Gregorio VII diſſidium: Henricus à Gregorio piorum cœtu prohibitus, Guibertum in conciliabulo Papam appellat: continuò infeſto agmine Romam venit: urbs Leonina occupata, SS. Petri & Pauli ædes direptæ, Urbs civium ſocordiâ capta, arxque, quò rebus afflictis fugerat Pontifex, obſeſſa: nihilque ſpei reliquum erat, cum Robertus Viſcardus ad Urbem advolat, & Henricum in fugam conjicit; belli vis in Romanos, qui ab Henrico ſteterant, verſa: iis enim prælio fuſis, ſontium tecta, vel diruta, vel incenſa. Detractus ex arce Gregorius Salernum perductus eſt, ubi paulò pòſt obiit. Henricus Urbem vacuam iterum occupat, Guibertum in Petri Sede conſtituit; ab eoque recipit Imperii inſignia. Varia deinde fuit Guiberti fortuna: paulò pòſt à Romanis ejectus eſt: deinde ſub Urbano II, qui in Galliam abierat, Urbem recepit; tum ab Urbano in arcem compulſus, unde clam profugit.

IV. Paſchali contra Henricum V.

Sub Henrico IV juſtior quidem pugnandi cauſa Romanis fuit, major etiam eorum fortitudo; ſed non minor ab iis accepta clades. Henricus paterni ſceleris ultor idem & æmulator, Romam cum exercitu venerat anno MCXI, cùm inter ipſum & Paſchalem II non conveniret de inveſtituris: Pontificem, Cardinales, Clericos, captivos detinet. Epiſcopi duo, Tuſculanus & Oſtienſis, plebeio habitu in Urbem ſe proripiunt: continuò ad arma concurritur: Germani, qui, vel religionis, vel negotii causâ, ingreſſi Urbem erant, necantur: poſtridie in exercitum facta eruptio eſt. Henricus, qui ſuis auxilio venerat, dejectus ex equo, & in facie vulneratus: tum acrior pugna exorta eſt, multis utrinque cæſis; tandem pulſi Germani: ſed dum Romani onuſti ſpoliis in Urbem ſe recipiunt, multi à Germanis oppreſſi. Sub hæc Henricus à captivo Pontifice Imperii titulos, jus deferendi Epiſcopatus, aliaque Eccleſiaſtica numera extorſit. Verùm quamprimùm Italiâ deceſſit: hæc omnia, quippe per vim expreſſa, irrita eſſe Paſchalis decrevit, aliique poſt eum Pontifices.

Paſchali

Paſchali II Gelaſius item II legitimis ſuffragiis anno MCXVIII ſublectus erat, cùm Cincius Frangipanius, vir in Urbe pollens opibus, in eum armata manu irruit. Gelaſius obtorto collo in terram dejicitur, & pedibus conculcatus truditur in vincula. At Præfectus Urbis Petrus Leonis, & alii Proceres extrema omnia, nî Gelaſium liberet, Frangipanio minantur: dimiſſus quidem eſt: at continuò Henrici adventu territus Caïetam profugit; inde in Galliam, dum Burdinus Braccarenſis Epiſcopus in ejus locum obtruditur.

HISTORIA URBIS ROMÆ. V. Gelaſio II contra Henricum.

Anno MCXXX diſtracta eſt iterum duas in factiones Civitas. Mortuo Honorio II, Patrum pars major ſaniorque Innocentium II. legerat; minor Petrum Leonis, cui Anacleto nomen factum eſt. Apud pleroſque cives Petri nobilitas potior fuit, quàm Innocentii virtus: quare æmulo viribus impar cæterorum Pontificum exemplo in Galliam abiir. A Lothario Germaniæ Rege aliquantò pòſt reductus, eum in Lateranenſi Baſilica præter morem Imperatorem appellavit, quòd Vaticanam Anacletus occuparet, iterum & à Romanis pulſus eſt, & reſtitutus à Lothario. Sub hæc moritur Anacletus, & Romani ad Innocentii obſequium redeunt.

VI. Anacleto contra Innocentium II.

Patricius.

DEINDE in Tiburtes Tuſculanos, Prǣneſtinos, &c. vis belli verſa eſt: Tiburtes obſeſſi; ſed facta eruptione Romanos fugant, exuuntque caſtris: at majori belli mole territi, veniam à Pontifice impetrant: ut eorum urbs diruatur, inſtant Romani; abnuit Pontifex: unde Romanorum ira ab hoſte in Innocentium vertit; ab illo certatim deſciſcunt: antiquæ libertatis ſpecies revocata, Conſules, Senatus, priſcique Magiſtratus reſtituti. Huic incendio faces ſubdebat Arnaldus hæreticus: ſola ſacrorum procuratio permiſſa Pontifici: tum bellum Tiburtibus illatum, quod ea animorum acerbitate geſtum eſt, ut non ante urbis excidium bellandi finis factus ſit. Interim Romanos Innocentius à ſacris removet; ſed fruſtra: cæteris enim Magiſtratibus *Patricius* additus; vectigalia omnia Pontifici adempta. Eorum audaciam dum armis coërcere tentat

I. Creatur Patricius.

HISTORIA URBIS ROMÆ.

Lucius II anno MCXLV lapide percuſſus haud multò pòſt interiit.

II. Eugenius III recipitur & pellitur.

Lucio ſublectus Eugenius III, Viterbium ſeceſſit, indeque Tiburtes, alioſque Latii populos, à quibus factum belli initium erat, in Romanos incitat: primò utrinque dimicatum acriter; tandem Romani tectorum incendia, patriæque ruinam metuentes, pacem expoſcunt. His conditionibus ſancita eſt, ut abrogaretur Patricius, Præfectus Urbis reſtitueretur, Senatores ſubeſſent Pontifici, & Arnaldus turbarum incentor Urbe pelleretur. Poſtea Eugenius ſummâ totius Urbis lætitiâ Romam rediit: dum Clerus Populuſque fauſtis vocibus concineret: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Non diuturnum tamen otium illud fuit: paulò pòſt petunt ab Eugenio, ut Tibur evertat: negat ille, inde recruduit odium. Eugenius Urbe iterum cedere coactus, primùm Tibur abiit, deinde in Galliam: unde reverſus, modò in Vaticano ſedit, modò in ſuburbanis Latii oppidis civium animis diffiſus.

III. Et Adrianus IV.

Haud aliâ Adriani IV cum Romanis gratia, atque Eugenii fuit. Duo rogatus ab iis, ut in Laterano conſecraretur, & Urbis adminiſtrationem Senatoribus permitteret: primùm diſertis verbis facturum ſe negavit; alterum etiam, niſi Arnaldus, qui redierat, iterum ejiceretur. Adeo exarſit populi furor, ut Adrianum Cardinalem multis vulneribus confoderit. Adrianus Papa odio populi, quem anathemate perculerat, Urbevetanum ſeceſſit anno MCLIV: deinde miſſi à Romanis ad Fridericum Germaniæ Regem, qui Viterbium venerat, Legati, qui Senatus Populique nomine ab eo peterent, ut, & injuſtum Clericorum dominatum à ſe depelleret, & veterem reſtitueret Reipublicæ formam. Irriſit hominum audaciam Fridericus; & cum Adriano pactus urbem Leoninam imprudentibus Romanis occupat, & ab Adriano in Vaticano coronatur: quod ut à Romanis auditum eſt, in Germanos irruunt: prælium nox diremit; Romani tamen ad mille cæſi; reliqui in Urbem fugati.

IV. Alexandro III Romani parere coacti.

Varia fuit, ut ſemper aliàs, ſub Alexandro III Romanorum & indoles & fortuna. Primùm enim ab Alexandro contra Fridericum; deinde à Friderico contra Alexandrum

ſteterunt: nec lætus tamen illis fuit ſchiſmatis exitus. Alexander afflictis Eccleſiæ rebus civili Urbis adminiſtratione ceſſurum ſe pollicitus erat, ſi Calixtus Antipapa pelleretur: ne id quidem impetravit. Ubi verò pax Fridericum inter & Alexandrum ſummâ Pontificis gloriâ inita eſt anno MCLXXVII, Legatos ad Pontificem mittunt Romani; qui, quòd Senatores retineri vellent, repudiati ſunt: iis tandem conditionibus convenit, ut Senatores quidem Populus legeret; at ii, niſi præſtito Pontifici ſacramento magiſtratum non inirent. Itaque Alexander Romam reverſus, non Urbi modò, ſed univerſæ Italiæ priſtinum reddidit decus. HISTORIA URBIS ROMÆ.

Nova iterum de recuperanda libertate ſub Lucio III à Romanis inita ſunt conſilia: bellum illatum Tuſculanis; exitium Pontifici, nî Imperio cederet, intentatum: Lucius Romanorum odio Veronam abiit anno MCLXXXIV, ubi ad mortem ſubſtitit; illiuſque exemplo, qui ipſi ſublectus eſt, Urbanus III; quique huic ſuffectus Gregorius VIII, donec anno MCLXXXVIII Clemens III, ut ad obſequium Eccleſiæ redirent, evicit: major enim illius, quàm cæterorum, apud Populum gratia, quòd civis Romanus eſſet. Legibus fœderis abrogata eſt Patricii dignitas, reſtitutus Urbis Præfectus, Senatores permiſſi: qui tamen inveſtituram à Pontifice *per mantum*, ut vocabant, acciperent. Ita tandem diuturna Romanorum ſeditio, quæ omnes poſt Innocentium II Pontifices exercuerat, ſedata eſt. V. Ejiciunt Lucium III: cum Clemente III pacem ineunt.

Nec ideo tamen à bello contra Tuſculanos gerendo ceſſatum eſt: eos urebat haud ita pridem ingens ab iis accepta clades: Tuſculani ſuis diffiſi viribus Henrico VI, qui ad Imperii inſignia Romam venerat, ſe dedunt: qua re infenſi Romani Henrico denunciant; niſi Tuſculum traderet, ſe Vaticani ingreſſum prohibituros. Henricus, ne quid ſibi obſtarent, Tuſculum Cæleſtino III tradidit: Cæleſtinus, ne vetus diſcordia inſtauraretur, Romanis, à quibus, & in tecta, & in cives, atroci crudelitate ſævitum eſt: plerique enim nobilium necati: urbs funditus diruta, lapideſque in Capitolium ad ſatiandum animum ruinæ hoſtilis aſpectu tranſvecti. VI. Tuſculum evertunt.

HISTORIA URBIS ROMÆ.

Senator.

I. Ab Innocentio III creatur Senator.

INNOCENTIUS III Cæleſtino ſummo conſenſu ſubrogatus eſt anno MCXCVIII, cui Petrus Urbis Præfectus ſolemne præſtitit ſacramentum, atque *ligium*, ut loquebantur, *hominium* fecit, & ab eo Præfecturæ *inveſtituram per mantum* recepit. Ita firmata Romæ Summi Pontificis autoritas eſt: tum cives mutuis diſſidere inter ſe odiis cœperunt. At ſopita tandem Innocentii ſtudio diſſidia, à quo ad preces populi quinquaginta ſex Senatores creati, penes quos ſumma eſſet in Urbe poteſtas: eorum ſeu negligentiâ, ſeu crimine, neglectæ leges: multæ paſſim admiſſa ſcelera: quare abrogata iis eſt ſumma autoritas ab Innocentio; unique permiſſa; qui *Senator* vulgò dictus eſt.

II. Romani modò Friderico, modò Gregorio faventes.

Anno MCCXXVIII Romani à Gregorio IX ad Fridericum II deſciverunt. Peruſium Pontifex migravit; unde duobus annis pôſt revocatus in Urbem ſummo honore excipitur. At brevis ea concordia fuit: anno enim MCCXXXIV iterum deficiunt Romani; pulſuſque iterum Gregorius Viterbium ſeceſſit: Senatorem Urbis ſeditionis incentorem anathemate perculit: victi ad Viterbium Romani; paxque anno MCCXXXV compoſita: itaque civium animos ſibi devinxit Gregorius, ut plerique crucem contra Fridericum ſuſceperint. Anno MCCXLIV cùm Innocentius IV inſidias à Friderico ſibi ſtrui intelligeret; in Urbem veterem noctu ſe proripit; inde Genuam, tum in Galliam fugit; unde redire ante Friderici mortem anno MCCLI non licuit.

III. Brancaleo Senator.

Anno MCCLVIII Brancaleo obſcuræ ſortis homo, quòd Manfredianæ factionis ſtudio populum adverſus Senatorem excitaret, in vincula conjectus eſt: plebecula, cui gratioſus erat, ad carcerem convolat: vinculis ſolvitur Brancaleo; Senator ſalutatur; & regionatim Magiſtratus creari cœpti cum poteſtate vitæ neciſque: Brancaleo in adverſarios deſævire inſtituit: alii ſuſpendio damnati, alii exilio: ejectuſque ex Urbe Alexander: Anagniæ, patria erat Pontificis, ruina intentata, cujus metu inita cum Brancaleone concordia: qui, dum Manfredi fœdere potentiam ſuam augere

ſtudet, eodem anno extinctus eſt, cujus caput in vaſe pretioſo incluſum, & à Populo marmoreæ columnæ impoſitum.

HISTORIA URBIS ROMÆ.

IV. Carolus Andegavenſis Senator.

Anno MCCLXIV dum Urbanus IV Carolum Andegavenſem ad ſpem regni Siculi evocat, Romani perpetuam illi Senatoris dignitatem deferunt. Urbanus ſubveritus, ne quid exteri Principis in Urbe potentia de autoritate Pontificis detraheret, eam dignitatem Carolo non perpetuam, ſed ad certum tempus indulſit. Summo honore Romæ exceptus eſt Carolus à Clemente IV, munuſque ſenatorium aliquandiu obiit, ut populares tumultus comprimeret. At verò regni titulo nitens ut in Manfredum movit: renovata Romæ ſeditio eſt: Henricum, tum Urbis Senator erat, fruſtra ad officium revocare ſtuduit Clemens. Conradinus triumphantium in morem ab eo exceptus, atque in Capitolium perductus: at paulò pòſt victo Conradino, fracta illius potentia eſt, ipſeque poſt acre certamen in poteſtatem Caroli venit. Mitiùs tamen de illo, quàm de Conradino conſultum eſt: in vincula enim conjectus, aliquantò pòſt liberatus eſt: partâ victoriâ Carolus Romam rediit, Senatoriſque dignitatem recepit, & Romæ relicto, qui ſuas obiret vices, in Apuliam rediit.

V. Illa dignitas ipſi abrogata & reſtituta.

Tranquillior fuit ſub Gregorio X Caroli Siculi auſpiciis Romana res: anno tamen MCCLXXVIII juſſus eſt Carolus à Nicolao III ſenatoriam dignitatem abdicare; & Etruriæ dominatum: paruit Carolus; inſigneque illius in tanta potentia modeſtiæ impertitum à Nicolao teſtimonium eſt, cùm Cardinalem ab eo miſſum perbenignè excepiſſet. Illius enim de Carolo fertur illa vox: *Fidelitatem Carolus habet à Domo Franciæ, ingenii perſpicacitatem à Regno Hiſpaniæ, diſcretionem verborum à frequentatione Romanæ Curiæ.* Ubi ea dignitate ceſſit Carolus, à Nicolao ſanctione edita cautum eſt, ne in poſterum id muneris Regi ulli extero, Regibúſve oriundo Principi, aut Marchioni deferretur: reſciſſa tamen anno MCCLXXXI à Martino IV ea conſtitutio. Dum enim cives mutuis diſſident odiis, nec una factio Senatorem ex alia eligi patitur; communi conſenſu ea dignitas defertur Pontifici: Martinus, quamvis ad ipſum ſummum Urbis Imperium pertineret, oblatam ſibi dignitatem accipit concordiæ ſtu-

HISTORIA URBIS ROMÆ.

dio, quam Carolo Regi paulò pòſt reſtituit; vicariam in Etruria poteſtatem non item: Rodulpho enim Imperatori ſua jura aſſeruit.

VI. Robertus Siciliæ Rex Senator.

Ubi Clemens V in Galliam ſedem tranſtulit, Legatus Romam miſſus eſt, qui ipſius nomine Urbi præeſſet: cumque multæ in Italia Urbes à Romana Sede deficerent, Joannes XXII veritus ne quid ſimile Romæ fieret, Robertum Siciliæ Regem, qui jam in Italia Imperii Vicarius fuerat, Urbis Senatorem appellat anno MCCCXVI. Urebat interim Romanos non amiſſus tantùm veteris Imperii ſplendor, ſed aliò etiam tranſlata ſummi ſacerdotii dignitas. Miſſi itaque anno MCCCXXVII ad Joannem Legati, qui rogarent, ut Sedem Apoſtolicam Romæ reſtitueret: quos cùm blandis verbis, inanique ſpe duceret Joannes, regendæ Urbis mutata forma eſt. Neapoleo Urſinus & Stephanus Columna Pontificiarum partium vindices Urbe pulſi; aditus Roberto Siciliæ Regi prohibitus: Sciarra Columna Gibellinæ factionis princeps, urbanis rebus præfectus eſt: huic adjuncti quinquaginta-duo viri: miſſa tamen iterum ad Joannem legatio, ſed fruſtra: quare & Joannes Roberti Regis frater, & Joannes Urſinus Pontificis Legatus ab Urbe excluſi, miſſique ad Ludovicum Bavarum, qui eum vocarent in Urbem.

VII. Romani favent Ludovico Bavaro contra Joannem XXII.

Romam ut advenit, habet in Capitolio Populi comitia: in iis Rex ſalutatur, & Urbis Senator ad annum creatur anno MCCCXXVIII; deinde in Baſilica ſancti Petri, vel à Sciarra Columna, ut tradit ſanctus Antoninus, vel à quatuor Populi Romani *Syndicis*, ut vocant, aureâ coronâ decoratus; pòſt Joannes Pontifex à Bavaro, qui ad porticum Baſilicæ ſancti Petri in ſolio conſederat, hæreſis damnatus. Pòſt è Schiſmaticorum fæce Petrus de Corbaria pſeudo-Pontifex appellatur, à quo creati pſeudo-Cardinales: cum is thiaram Pontificiam accepit à Bavaro, illique coronam impoſuit: cæterùm temere uſurpatus honos utrique probro fuit. Nam pſeudo-Pontifex Piſis interceptus in vinculis ad Joannem XXII Avenionem miſſus eſt: & ipſe Ludovicus odio Romanis eſſe cœpit, ab iiſque ſibi metuens diſceſſit, & nocte inſequente Bertholdus, Urſinus, Stephanus Colum-

na in Urbe recepti, Urbſque deinceps in Pontificis poteſtate fuit: duas tamen in factiones cives diſtracti; unius principes erant Columnenſes, alterius Urſini: unde multa in Urbe diſſidia. HISTORIA URBIS ROMÆ.

Legatus.

HIs temporibus miſſi ſæpe ad Pontifices Joannem, Benedictum, &c. Legati, in Urbem ut redirent: at nulla illuſtrior legatio fuit eâ, quæ ad Clementem VI anno MCCCXLII miſſa eſt. Legationis principes erant Nicolaus Laurentius, & Franciſcus Petrarcha, quorum uterque ſingulari eloquentia inſignis erat; hic præterea Poëta eximius. Cùm nihil ambo profeciſſent, reverſus in Urbem Laurentius anno MCCCXLVII tyrannidem occupat: deinde inter ſacrorum ſolemnia Clementem VI Romanum Pontificem citat, ut Romam quamprimùm redeat; Cardinales, ut ſuos quiſque titulos curet; Carolum Bohemum & Ludovicum Bavarum, ut quid juris ad Imperium habeant, exponant. At brevis Nicolai dominatus fuit: percuſſus enim anathemate, & hæreſis poſtulatus, & Pipini Minervini Comitis inſidias veritus, Tribunitiæ poteſtatis inſignia abjicit, & ſeptimo pòſt arreptam tyrannidem menſe fugâ ſe clam ſubduxit.

I. Nicolaus Laurentius Tribunus plebis.

Enituit in primis his temporibus Innocentii VI & autoritas, & felicitas: plurimas ditionis Pontificiæ urbes Ægidii Albornotii Cardinalis virtute & induſtriâ recepit. Carolum Bohemiæ Regem à tribus Patriarchis, Conſtantinopolitano, Aquileienſi, & Gradenſi, Modoëtiæ in Regem Italiæ præter morem coronari juſſit anno MCCCLIV: Archiepiſcopi tamen Mediolanenſis juribus cautum eſſe voluit, ne quid in poſterum detrahi poſſet. Illius etiam Cardinales duo, Petrus Oſtienſis, & Ægidius Albornotius Carolo Romæ Imperii dederunt inſignia: quod ſolemni omnium Ordinum apparatu peractum eſt anno MCCCLV. Cumque inſtarent Romani, ut Urbem, ſedem olim Imperii, vel ipſe invaderet, vel in veterem reipublicæ formam reſtitueret; per venationis ſpeciem Urbe egreſſus, monuit Romanos, ne novis tam ſæpe

II. Summa Innocentii VI Romæ autoritas.

HISTORIA URBIS ROMÆ.

rebus ſtuderent. Innocentius anno MCCCLVII Ludovicum Hungariæ Regem Eccleſiæ Signiferum conſtituit, ut Ægidium in Italia Legatum militari auxilio juvaret. Anno MCCCLXII Romani, qui defecerant, ad Innocentii obſequium redierunt. Seditionis autor Lellus Pocadote Urbe nobiles exegerat, à quibus prædonum cohors auxilio evocata: horum metu Romani ſe ſuaque Innocentio permiſerunt.

III. Arx S. Angeli everſa à Romanis.

Anno MCCCLXVII Urbanus V in Italiam abiit, venitque Romam, ubi ſummâ & Populi & Cleri lætitiâ exceptus eſt. Eò etiam anno ſequenti ſe contulit Carolus Imperator, & ab Urbano ornamenta auguſtalia accepit. In Gallias poſtea rediit Pontifex. Anno MCCCLXXVII Gregorius XI Urbani exemplo Romam petit, Populo & Clero obviàm effuſis. Anno MCCCLXXVIII mortuo Gregorio Romani à Cardinalibus, vel Romanum, vel Italum creari Pontificem poſtulant: electus Urbanus VI; & paulò pòſt Cardinales in prioribus comitiis illatam ſibi vim cauſati, Clementem VII Pontificem appellant: unde duas in partes diſtracta Chriſtiana res. Qui Adriani moli præfectus erat Gallus, parere Urbano abnuit, & Romanorum impetus per annum eluſit: ſed tandem victis ad Urbem Britonibus & Vaſconibus, à quibus auxilium ſperabat, cum Urbano pactus illi arcem reddidit anno MCCCLXXIX, quæ à Romanis magna ex parte diruta eſt; quod maximo illis fuerat incommodo.

Summi Pontifices.

I. Arx S. Angeli à Bonifacio IX occupata.

DUM novis rebus ſtudent Romani, Bonifacius IX anno MCCCXCV molem Adriani à Romanis, uti dictum eſt, priùs dirutam, refici jubet, & Capitolium arcis in formam operibus muniri; deinde utrumque militari præſidio firmat: hinc repreſſa populi, ſive audacia, ſive levitas, ſummaque deinceps Pontificis autoritas fuit, quam nimia Innocentii VII clementia, & nepotis illius crudelitas paulò pòſt corrupit. Dum enim Romanos mitiùs habet, orta ſeditione Urbe pellitur. Mali totius origo Innocentii nepos, à quo Romani ſex per ſummam crudelitatem necari juſſi: Ladiſlai copiæ, quæ auxilio venerant, ab Urbe quidem prohibitæ;

tæ; ſed Præfecti proditionis mole Adriani potitæ ſunt, quæ anno MCCCCVI Innocentio reſtituta eſt.

Historia Urbis Romæ.

Secundùm hæc, Roma à Ladiſlao bis capta eſt: ſemel ſub Gregorio XII; iterum ſub Joanne XXIII; toticſque recepta. Gregorius XII colloquii cum Petro de Luna ineundi causâ aberat anno MCCCCVIII, cùm Ladiſlaus collecto exercitu caſtra ad Urbem admovet. Paulus Urſinus, qui militari præſidio Urbem tenebat, ad ipſius partes allectus, ipſeque more triumphali admiſſus à Romanis, è quibus Patricii octo umbraculum auro intertextum honoris ergò triumphanti prætulerunt. Inde tamen ejectus anno proximè ſequenti Ladiſlaus, tum Ludovici Andegavenſis, tum Pauli Urſini & virtute & induſtriâ. Nec ideo ſpem potiundæ Urbis Ladiſlaus abjecit: rupto enim cum Joanne XXIII fœdere, mœnibus noctu perruptis, anno MCCCCXIII illam occupat: diſtracti contraria in ſtudia Romani nihil obſtiterunt: Joannes Pontifex ſeſe fugâ proripuit. Extincto aliquantò pòſt ſchiſmate poſt Ladiſlai interitum Martinus V anno MCCCCXX in Urbem ſummâ civium lætitiâ receptus eſt. II Roma bis à Ladiſlao capta.

Inſignis fuit, ſi quando aliàs, Populi Romani in Eugenium IV & audacia & levitas. Anno MCCCCXXXIV Nicolaus Fortebraccius agrum Romanum crebris populationibus vexabat. Romani ob pecora abacta in furorem acti, in Capitolium continuò concurrunt. Vox una omnium, mutandam reipublicæ formam: tum Populi duces belli incommoda apud Eugenium conqueſti, arces & Adriani, & Oſtienſem ſibi tradi poſtulant. Quod cùm negaret Pontifex, illius nepos in cuſtodiam truditur: ipſe armato ſeptus milite, ne palatio pedem efferat, prohibetur: pòſt ſcribitur, tum ad Philippum Mariam Ducem Mediolanenſem, tum ad Baſileenſem Synodum, quid de Eugenio fieri velint. Interim Eugenius monaſtico cultu fallit cuſtodes, & conſcensâ ſcaphâ Oſtiam, inde Piſas, denique Florentiam contendit, quò ut advenit, Romanos pœnituit admiſſi criminis, multique nobiles illius ſe culpæ affines negarunt. Veniam omnibus Eugenius indulſit, Urbſque à Joanne Viteleſco & Urſino recepta eſt, & Capitolium militari præſidio firmatum. III. Romani Eugenium IV captivum detinent.

Gg

HISTORIA URBIS ROMÆ.

IV. Porcarii conſpiratio.

At nihil hæc ſunt ad Stephani Porcarii immanitatem, cujus in Nicolaum V conjurationis hæc ſumma fuit: cum ſociis in Pontificem irruere; eum catenâ aureâ, quam identidem amicis per jocum oſtentabat, vincire; tum illum ad arcem ſancti Angeli deducere, ibique necem minitari, niſi præſidiarios ex arce milites deduceret: ſed detectæ anno MCCCCLIV inſidiæ, meritaſque concepto ſcelere pœnas Porcarius luit.

V. Roma ab Hiſpanis bis capta. Semel duce Moncada.

Geminam ſubinde cladem Roma ab Hiſpanis accepit; utramque ſub Clemente VII, ſed alteram altera graviorem. Ob vectigal impoſitum infenſus Clementi populus erat: Columnenſes Pompeius & Aſcanius nuper in Urbem redierant: nihil ab iis hoſtile verebatur Clemens, cùm illi fœdus cum Hugone de Moncada ineunt, Is Neapolitani Regni Prorex erat. Collecto exercitu in Urbem irrumpunt: nihil Clementi in populo præſidii fuit: ipſe fugit in arcem; palatii pretioſa ſupellex ab hoſtibus direpta, theſaurus ſancti Petri Baſilicæ expilatus. At hæc ſequentis cladis præludia fuerunt.

VI. Iterum duce Borbonio.

Poſtquam Regium Lepidi à Carolo V Imperatore ademptum eſt Romanæ Sedi, Clemens à Cæſare alienatus ad Francos acceſſerat; ea tamen conditione pacem paulò pòſt cum Carolo fecit, ut Lanoius Prorex Neapolis Carolum Borbonium Cæſarei exercitus ducem ab Urbe averteret. At ille ſpreto Lanoii interdicto Romam advolat anno MDXXVII; ipſe quidem, dum inter primos murum conſcendit, glande ferrea trajectus cecidit. Illius milites poſt paucarum horarum certamen in Urbem pulſis Romanis penetrant: tum Urbs fœdè direpta eſt: in Populum, in Nobiles, in Clerum, ab Hiſpanis, Germanis, Brutiis ſævitum eſt: templa ſpoliata: reliquiæ Sanctorum combuſtæ: Euchariſtia contrita pedibus: Vaticana bibliotheca vaſtata: regeſta Pontificum, vel lacerata, vel flammis abſumpta: Cardinales, & Romanæ Curiæ Antiſtites, pars variis tormentis cruciati, pars ſuæ dignitatis ornati inſignibus per Urbem vilibus jumentis ad ludibrium circumducti: ſacellum Pontificis equis pro ſtabulo fuit: creatus etiam jocularis Papa Landsknetus neſcio quis, qui Papatum Luthero ultro detulit: illuſa etiam Pon-

tificis dignitas, dum è militari fæce calones Cardinalium veſtibus & pileis inſignes per Urbem obambulant. HISTORIA URBIS ROMÆ.

Bellè tamen in tanta calamitate Clementi cecidit, quòd Georgius Fronſbergius morbo, ne Romam veniret, prohibitus fuit. Is enim ſæpe palam profeſſus erat, ſe Pontificis nece, Cæſari & Luthero litaturum: hunc in uſum, ſi Jovio credimus, laqueum auratum in ſinu geſtare ſolitus. Interim à Philiberto Arauſicano Principe, qui Borbonio ſuffectus erat, arx, quò fugerat Pontifex, obſeſſa eſt. Is, quòd nulla ſpes, ſive fugæ eſſet, ſive auxilii, Urbini Ducis negligentiâ, ſexto Junii deditionem facit. Deditionis hæ ferè conditiones fuerunt: ut Pontifex arces quinque ditionis Eccleſiaſticæ munitiſſimas Cæſari, quoad ipſi libitum eſſet, permitteret: ſolveret quadringenta aureorum millia: ipſe, & qui cum ipſo erant, Cardinales tredecim, donec pecuniæ pars ſolveretur, captivì detinerentur: deinde pro reliqua pecunia darentur obſides: Germanis & Hiſpanis ſtipendia penderet, aliæ etiam paulò pòſt æquè graves leges additæ ſunt. VII. Leges captivo Pontifici præſcriptæ.

Ubi verò de Franci exercitus in Italiam adventu Lautreco duce in Urbem allatum eſt, Cæſarianæ copiæ receſſerunt, peſte in Urbe relicta, ſolutuſque vinculis eſt Pontifex, qui ſibi à Moncada Neapolitani Regni Prorege metuens, ad montem Faliſcum mercatoris habitu fugit. Tantas Romano Pontifici injurias à Catholicis illatas fuiſſe, indignum multis viſum eſt. Quin etiam in Hiſpanos exarſiſſe dicitur Solimanus Turcarum Imperator, dum Catholicæ fidei, quam ipſi profitebantur, ſummum Antiſtitem duriùs ab iis habitum quereretur, quàm à ſe Græcorum, à quorum religione abhorrebat, Patriarcham. Quanquam quidquid ſceleris Romæ admiſſum eſt, nec Carolo V, qui procul aberat, nec Hiſpanis adſcribere nolim, ſed Germanis Lutheri contactis hæreſi. VIII. Pontifex à Francis liberatur.

Hæc ferè habui, quæ de urbis Romæ à Carolo Magno ad noſtram uſque ætatem, hiſtoria ſcriberem: cætera enim vel levia ſunt, vel ad iſtud, quod ſequimur, inſtitutum nihil pertinent. Ex his verò, quæ dicta ſunt hactenus, duo cuivis intelligere licet: unum, qua ratione Romani Pontifices ſummam in Urbe poteſtatem adepti ſint; alterum, quanta ſint Francorum Regum, ſive è Carolina, ſive è Capetia- IX. Francorum Regum in Romanam Sedem merita.

HISTORIA URBIS ROMÆ.

na ſtirpe in Romanam Sedem merita: quorum pietas Romanis Antiſtitibus, & præſidio ſemper fuit in rebus afflictis, & in proſperis ornamento.

X. Pontifices qui in Galliam fugerunt

Si quis verò avet ſcire, qui Pontifices in Galliam, tanquam ad commune afflictæ Chriſtianæ rei perfugium venerint, eorum nomina hîc adſcribere non pigebit. Venit anno DCCXXXVIII ad Pipinum Stephanus II vel III, auxilii adverſus Longobardos petendi cauſâ. Anno DCCXCIX ad Carolum Magnum Leo III, malè acceptus à Romanis. Ad Ludovicum Pium Stephanus V anno DCCCXVI, & Gregorius IV anno DCCCXXXIII; ille de rebus Italiæ ordinandis, hic de pace Ludovicum inter & filios concilianda. Anno DCCCLXXVIII ad Ludovicum Balbum Joannes VIII, ſibi metuens à Romanis Proceribus. Multò pòſt in Henriciano ſchiſmate Urbanus II anno MXCV ad Philippum I: Paſchalis II anno MCVII, & Gelaſius II anno MCXIX ad Ludovicum Craſſum. Quo etiam tempore Gelaſio ſublectus in Gallia eſt Callixtus II: venit etiam Innocentius II anno MCXXX ob ſchiſma Petri Leonis. Ad Ludovicum Juniorem anno MCXLVII Eugenius III, & anno MCLXI Alexander III; alter ob Romanorum protervịam, alter ob Friderici Imperatoris odium. Et anno MCCXXIV ad ſanctum Ludovicum Innocentius IV, Friderici II fugiens inſidias. Venit denique ad Philippum III anno MCCLXXIII Synodi Lugdunenſis celebrandæ cauſâ Gregorius X. Præterea Clemens V, Joannes XXII, Clemens VI, Innocentius VI, Urbanus V, Gregorius XI, ſive Populi Romani levitatem averſati, ſive Galliæ amœnitate illecti, Avenione ſubſtiterunt ſummâ tum doctrinâ, tum pietate Pontifices.

CAPUT VII.

Urbes ditionis Pontificiæ, Spoletum, Mutina, Ferraria, Parma, Tuſcia Provincia.

URBIUM, quæ ditionis ſunt Pontificiæ, aliæ metropolitana dignitate inſignes ſunt, ut Ravenna, Bononia,

&c. aliæ Ducatûs titulo, ut Spoletum, Parma, &c. aliæ nihil præ cæteris habent præcipui. Has de induſtria omiſimus; Metropoles in alterum hujus Operis tomum rejecimus: de illis tantùm, quæ ſuos olim, vel nunc, Duces habent, & de donatione Mathildis nobis ſermo erit.

HISTORIA URBIS ROMÆ.

Spoletum.

I. Spoletum à quo conditum, captum, ornatum.

SPOLETUM, Umbriæ olim caput, à Via Flaminia ad radices montium conditum eſt: nomen traxiſſe dicitur à Polo Etruſco Duce, ſi Annio tamen adhibenda fides. Anno Urbis DXII eò colonia deducta eſt: deinde quòd ſtrenuam Romanis adverſus Annibalem navaſſet operam, inter municipia hæc urbs adſcita fuit: multò pòſt à Gothis diruta: reſtituta deinde à Narſete, anno DLXXIII in Longobardorum poteſtatem venit. Dum obſidio Ticinenſis in longum ducitur, Alboïnus moræ impatiens, parte exercitûs ad Ticinum relicta, cum reliqua in Æmiliam & Umbriam penetrat; cùm multas urbes, quà armis, quà voluntaria deditione, tum Spoletum cepit: cujus ſive amœnitate, ſive ſplendore captus, Ducatus, quem in Umbria inſtituebat, voluit eſſe caput. Ut in reliqua penè Italia, ita Spoleti Duces fuerunt primùm Longobardi; deinde Franci; denique Itali: Longobardi fuerunt omnino novem; octo Franci; ſex Itali. De ſingulis pauca, quæ ad rem noſtram pertinent, ſubjiciemus.

II. Duces Spoletani Longobardi.

Faroaldus ab Alboïno primus Spoleti Dux inſtitutus eſt anno, uti diximus, DLXXIII. Is à Longobardis bello contra Exarchum præfectus Claſſem, non procul à Ravenna oppidum erat, diripuit: Faroaldum Ariulphus excepit, à quo obſeſſa Roma eſt: captum Camertium oppidum: vexati Ravennates. Illi Teudolapius Faroaldi filius ſucceſſit, cui Zotho ab Ariperto ſuffectus eſt: deinde à Grimoaldo Tranſemundus ex Capuæ Comite. Faroaldus filius illi ſublectus eſt, qui à Tranſemundo filio ſe abdicare coactus, Clericum profeſſus eſt. Eadem Tranſemundi, quæ patris, ſors tandem fuit: is enim primùm contra Paulum Exarchum pro Gregorio II ſtetit: deinde defecit à Luitprando Rege, à quo Ducatu dejectus fugit ad Gregorium: tum Hilderi-

HISTORIA URBIS ROMÆ.

cum, qui ipſi ſubrogatus erat, occîdit: denique à Luitprando iterum ſpoliatus, Clericus eſſe juſſus eſt: Aſprandus Luitprandi nepos illi ſuffectus eſt.

III. Franci.

Ubi Deſiderium à Carolo Magno ex Alpium faucibus depulſum per Italiam nunciatum eſt, cùm multæ urbes, Reate, Auxumum, Ancona, &c. tum Spoletum, ſe ſuaque ultro Adriano Pontifici permiſerunt: Spoletanis ab Adriano Dux, ſi Sigonio credimus, datus eſt Hildebrandus: quem tamen à Carolo Magno Spoleti Præfectum veriùs dixerim. Quod cur affirmem, duo ſunt: unum eſt, quòd in Ducatum Spoletanum nihil juris Adrianus haberet ante Carolum Magnum, à quo Romanæ Sedi datus eſt; alterum, quòd Hildebrando Vinigiſus à Carolo Magno ſuffectus eſt; Vinigiſo Suppo à Ludovico Pio: Supponi à Lothario Adelardus, & Adelardo Mauringus, Mauringo Vido & Lambertus fratres à Ludovico II, & utrique Vido Lamberti filius à Carolo Calvo. Cur illi omnes, quos appellavi, à Romanis Epiſcopis Duces inſtituti non ſunt, ſi Hildebrandus ab Adriano fuit? idem enim juris illis fuit in Spoletanos, quod Adriano fuerat.

IV. Itali.

Longè major paulò pòſt fuit Spoletanorum Ducum gloria: qui & Spoletani Duces, iidem erant & Italiæ Reges & Imperatores. Nam Vido, illiuſque filius Lambertus, ille à Stephano V, hic à Stephano VI, Imperii inſignia adepti ſunt: poſtea tamen iis, qui Spoleto præerant, Ducis nomen detractum eſt, Marchionis inditum. Ita Bonifacius, Theobaldus & Anſcarius Marchiones Spoleti fuiſſe perhibentur. Denique Sarlioni, qui ab Hugone Rege Anſcario ſuffectus erat, Ducis appellatio reſtituta: at Sarlione, vel mortuo, vel ejecto, Berengarius Junior Ducatum Spoletanum invaſit: quem Otho Magnus anno DCCCCLXVIII, victo Berengario, Romano Pontifici reſtituit.

V. Urbs Romanæ Sedi reſtituta.

Poſt Othonis tempora ter abſtracta eſt à Romanis Pontificibus ditio Spoletana; ſemel à Gothefrido, cui Mathildis Tuſciæ Duciſſa nupſerat. Is enim Dux Spoleti dictus eſt: nec armis tamen præter jus faſque id uſurpavit Gothifridus, qui Romanæ Sedis jura contra Fridericum ſumma laude tutatus eſt. Hunc titulum, ut conjectura eſt, vel dotali jure

adeptus eſt, quod verius putem, vel illi Gregorius VII indulſit. Aliquantò pòſt Fridericus anno MCLII Vilſoni avunculo ſuo, & Henricus VI Conrado anno MCXCV Spoleti Ducatum conceſſit: quorum utrique tamen id malè ceſſit. Nec enim illi Spoleto diu præeſſe licuit, quod paulò pòſt à Friderico captum eſt, direptum, incenſum. Conradus verò ab Innocentio III perculſus anathemate, quòd quæ Pontificiæ ditionis erant, retineret, Ducatum omnem anno MCXCVIII Innocentio dimiſit, à quo ea, & juris dicendi, & Urbis regendæ inſtituta ratio eſt: de civium cauſis, litibus, diſſidiis cognoſcunt in Prætorio viri ſeptem: illis aſſiſtunt alii quadraginta: omnibus præficitur is, penes quem ſumma poteſtas eſt, Legatus, ut plurimùm, Cardinalis. HISTORIA URBIS ROMÆ.

Mutina.

MUTINA ad Apenninos montes Inſubriæ Ciſpadanæ perantiqua civitas, à Tuſcis, ut fama eſt, olim condita. Anno Urbis DLXVIII colonia facta eſt; & aliquantò pòſt, ut Tacitus indicat, municipium. Civili bello M. Antonii & D. Bruti nobilitata eſt. A Conſtantino Magno primùm, quòd Maxentio faveret, diruta: deinde reſtituta, ut in veteri inſcriptione legitur: deinde à Gothis & Longobardis penitus exciſa. Caroli Magni ætate nova Mutina prope veteris ruinas exſtrui cœpit, & civibus frequentari, ut cæteræ Italiæ civitates, ob Guelphorum & Gibellinorum diſſidia, multis affecta eſt cladibus, varioſque habuit Principes. I. Mutina à quo condita.

Anno MCCLXXXVIII Obizzo ex gente Ateſtina principatum Mutinæ arripuit: deinde ab Henrico VII ſumma in ea urbe poteſtas permiſſa Franciſco Mirandulæ Comiti: tum ſerviit Bonacoltiis Mantuæ Tyrannis: pòſt Obizzoni II, cui Legati, à quo victus fuerat, operâ, Benedictus XII Mutinæ Vicariatum detulit anno MCCCXXXII. Ateſtini ſtemmatis Principibus paruit ad annum MDX, quibus à Julio II erepta eſt, dataque Maximiliano Imperatori, à quo Leoni X pro quadraginta aureorum millibus reddita. Denique dum Clemens VII anno MDXXVII ab Hiſpanis & II. Duces Mutinenſes.

HISTORIA URBIS ROMÆ. Germanis in mole Adriani captivus detinetur: Alphonſus Eſtenſis Mutinam occupat, reque ad Imperatorem delata, utrius jura potiora eſſent, Alphonſi, an Pontificis, pro Alphonſo pronunciatum eſt. Inde ad noſtram uſque ætatem penes Ateſtinos Principes ſummum Mutinæ imperium fuit.

Ferraria.

I. Ferraria à quo condita, data Romanæ Sedi. FERRARIÆ à Ferrariola (tenuis ad Padum vicus erat) nomen inditum eſt: modicum ad Mauricii Imperatoris tempora oppidum fuit, necdum cinctum mœnibus. Anno DXCV ab Smaragdo Exarcho, & muris circumdari, & muniri operibus cœpta eſt; & ſenſim in eam, quæ nunc eſt, confluentibus undique incolis aucta eſt magnitudinem. Eadem deinceps illius urbis, quæ Exarchatûs, fortuna fuit: ab Aiſtulpho capta de Græcis; à Pipino, & recepta, & data Romanæ Sedi, cui à Deſiderio reſtituta eſt: deinde à Berengario erepta eſt Joanni XII, & Joanni XIII ab Othone Magno reddita. Eam verò Joannes feudi nomine conceſſit Tetaldo Canuſino Comiti (Sigeberti Ateſtini Marchionis frater erat) anno DCCCCLXX. Huic ſucceſſit Bonifacius filius Canuſii Comes, Parmæ, Mantuæ, & Ferrariæ Marchio, & Dux Tuſciæ, & potentiâ, & opibus illa ætate clariſſimus. Filia Mathildis mortuo fratre hæres fuit, cui Henricus IV Ferrariam ademit, quæ paulò pòſt à Mathilde recepta, poſt illius mortem ad Romanam Sedem rediit.

II. Proprios habet Principes. Subinde Ferraria, & communibus Italiæ totius diſſidiis laboravit, & propriis: adhæſit enim Longobardis adverſus Fridericum, & duas in factiones anno MCLXVII diſtracta eſt. Partis unius principes erant Taurelli; Adelardi alterius. Sub hæc Innocentius III Ferrariæ Vicarii titulum indulſit Azoni III Eſtenſi, à quo ad illius poſteros ea dignitas propagata eſt. Mortuo tamen Azone IV anno MCCCVIII, dum Franciſcus & Fliſcus illius frater, (legitimus erat alter, alter nothus) de principatu dimicant, Ferrarienſes utrumque ex urbe ejiciunt: de quo, ut in Galliam allatum eſt, miſſi continuò à Clemente V Legati, qui ipſius nomine urbem Romanæ Sedi reſtituerent. Ab iis dati civibus Magiſtratus,

ſtratus, præſidium militare urbi impoſitum, ſingulíſque arcibus præfecti Duces. Interim Superantius, Veneti Dux exercitus, Ferrariam advolat; pontem, ſuburbia, arcem, urbem denique occupat. Dux Senatuſque Venetus à Clemente anathemate perculſi ſunt, miſſuſque cùm valida manu Arnaldus de Palagrua Legatus Cardinalis, à quo victi pulſique Veneti, urbſque Romanæ Sedi reſtituta. Historia urbis Romæ.

Anno MCCCXVII Ferraria ad Azonem & Opizonem Eſtenſes defecit: Opizoni anno MCCCXL Vicarii dignitas à Benedicto XII data eſt. Vectigal etiam impoſitum quotannis decem millia nummûm auri. Ea Ferrariæ regendæ ratio fuit ad annum MCCCCLXXI, quo Borſius Ateſtinus optimè de Romana Sede meritus, à Paulo II Romæ Ferrariæ Dux appellatus eſt. Hunc Hercules frater excepit, cujus filius Alphonſus vario marte adverſus Julium II pro Ferraria, Mutina, &c. bellum geſſit. Anno tandem MDXCV Cæſar Eſtenſis, motâ à Clemente VIII controverſiâ, Ferrariam Pontifici dimiſit; Ducatum Clemens anno MDXCVI ſumma celebritate iniit: Legatus urbi præfectus; arx, ne novis deinceps rebus cives ſtuderent, extructa, & militari præſidio firmata. III. Romanæ Sedi reſtituta.

Parma.

PARMA, Inſubriæ Ciſpadanæ celebre oppidum, non procul à montibus Apenninis viſitur. A figura, ut par eſt credere, nomen *Parmæ*, ſcuti genus erat, ſortita eſt. Anno Urbis DLXXI eò deducta à Romanis colonia: florente Romano Imperio & ipſa floruit: deinde Gothis paruit, Longobardis, Francis. Anno DCCCXCVI Sigefridus Comes ex Ateſtino oriundus ſtemmate, urbem ob Saracenos identidem à fraxineto incurrentes metu perculſam in deditionem accepit. Huic ſucceſſit Atho, Athoni Tetaldus, Tetaldo Bonifacius, & Bonifacio Mathildis: deinde in publicis Italiæ diſſenſionibus, variis impliciti bellis Parmenſes, variâ etiam fortunâ uſi ſunt. Nihil ab iis factum ad gloriam illuſtrius, quàm in relata de Friderico II victoria. Is Parmam obſidione anno MCCXLVII cinxerat eo conſilio, ut urbem dirueret. In longum trahebatur obſidio, cùm Par- I. Parmæ varia bella.

HISTORIA URBIS ROMÆ.

menſes poſt menſes plus minùs ſex illius caſtra de nocte aggreſſi ſunt. Multi è Germanis cæſi; Fridericus actus in fugam; illius ſuppellex direpta; Victoria incenſa: id enim nominis novæ urbi in ſpem victoriæ fecerat.

II. Principes.

Multis ſubinde Principibus, jure, an injuriâ, ſervire coacta eſt, primùm Corrigiis, deinde Vicecomitibus, cum Scaligeris, Eſtenſibus, Rubeis, Sfortianis, quorum ſingulos appellare infinitum ſit. Pòſt, victis à Ludovico XII Francorum Rege Sfortianis, Gallis ceſſit, quibus poſt prælium ad Ravennam ejectis ex Italia, Julius II anno MDXII Parmâ potitus eſt: eam tamen Franciſco Regi Leo X & reſtituit, & paulò pòſt inito cum Carolo V fœdere armis recepit. Ita ditionis Pontificiæ fuit ad annum MDXLV, quo Petrus Aloyſius Farneſius à Paulo III, cujus filius erat, Dux Parmæ inſtitutus eſt. Ex filio Octavio nepos fuit Alexander ille Farneſius Belgii Gubernator, laude bellica longè clariſſimus.

Tuſcia, ſive Donatio Comitiſſæ Mathildis.

I. Tuſcia triplex.

UT, quæ pars Italiæ Romanæ Sedi à Mathilde Comitiſſa data ſit, quivis intelligat; operæ pretium eſt, quotuplex Tuſcia fuerit, explicare paucis: id enim, vel eruditis, interdum negotium faceſſere ſolet. Tuſcia triplex fuit: una Ducatui Romano; altera Ducatui Tuſciæ; tertia Regno Italiæ contributa. Tuſciæ, quæ Ducatus Romani pars erat, hæ præcipuæ urbes fuerunt: Portus, Cære, Sutrium, Ameria, Tudertum, Peruſia, Narnia, Ocriculi. Altera, quæ Duces habuit, hæc ferè oppida complexa eſt: Orbitum, Balneo-regium, Viterbium, Populonium, Marchiam Tuſcanam. Tertia verò, quæ Regni Italiæ portio fuit, hæc habuit oppida: Lucam, Florentiam, Piſas, Piſtorium, Volaterras, Arretium.

II. Quæ Tuſcia data Romanæ Sedi à Francis Regibus.

Prima Tuſcia iiſdem, quibus Ducatus Romanus, cui vel à Juſtino, vel à Longino annexa erat, Principibus paruit: primùm Græcis, deinde Francis, denique Summis Pontificibus: quibus tum à Carolo Magno, tum à Ludovico Pio unà cum Ducatu Romano conceſſa eſt. Secundam Carolus item Magnus Longobardis ereptam dedit Adriano Pontifi-

ci. Tertia eoſdem diu, quos Italia, Reges habuit, Longobardos, Francos, Italos. Demum in Ducatûs ſive Marchiæ formulam redacta eſt; & ii, qui præerant, Principes, modò Lucæ, modò Tuſciæ, & *Duces*, & *Marchiones* vulgò dicti ſunt; ut Adelbertus, Vido, Lambertus & alii, quorum apud Hiſtoricos frequens mentio eſt. Ea verò Tuſciæ pars nuſquam, quod memoriæ proditum ſit, Romanæ Sedi data eſt; ſed pleræque civitates ſublatis Ducibus primùm Regno Italiæ iterum contributæ ſunt; deinde ab Imperatoribus Germanis, aliæ alio tempore, vel pecuniâ, vel armis libertatem adeptæ ſunt. HISTORIA URBIS ROMÆ.

Ex Tuſciæ Ducibus prognata Mathildis erat, de qua hîc nobis inſtitutus ſermo eſt. Illius enim pater Bonifacius, avus Tetaldus, de quibus paulò antè actum eſt. Tuſciam geminam obtinuit Mathildis, ſecundam & tertiam: alterutram, an utramque, dederit, affirmare non auſim. Datam utramque indicant verba & Domnizonis, qui tum vivebat, & Leonis Oſtienſis, qui huic ætati ſuppar erat. Domnizonis verba ſunt hæc: *Propria clavigero ſua ſubdidit omnia Petro.* Leo etiam Oſtienſis, *Tuſciam & Liguriam provincias dediſſe* teſtatur. Cùm verò utrique Tuſciæ præeſſet Mathildis, & eorum neuter alteram ſecernat ab altera; utramque ab ea datam par eſt credere. Eſt tamen, cur quis ſuſpicetur, datam quidem ſecundam Tuſciam, tertiam non item: Florentiam enim, Piſas, Lucam, &c. aut ditionis Pontificiæ fuiſſe, aut à Romanis Pontificibus repetitas nuſquam, quod ſciam, legere eſt. III. A Mathilde Comitiſſa.

Tuſcia igitur utraque, vel ſecunda tantùm, Romanæ Sedi à Mathilde Comitiſſa bis data eſt; ſemel anno MLXXVIII iterum anno MCII. Priùs enim diploma perierat. Ut obiit Mathildis anno MCXV, ditio illius omnis varias in partes diſtracta eſt: Ferraria Summo Pontifici ceſſit; Parma & Mantua Henrico III Imperatori: Hugoni etiam Malaſpinæ, qui Mathildis patruelis erat, nonnulla, ut aliquibus viſum eſt, oppida, de reliqua Tuſcia, iiſque poſſeſſionibus, quæ in Longobardia ad Padum erant, diuturna Pontifices inter & Imperatores contentio fuit. Tuſciæ, Marchionis titulo, anno MCXXVI Conradus præfectus erat, à Pontifice, an ab Im- V. Data Tuſcia ab Innocentio II Lothario Imperatori.

HISTORIA URBIS ROMÆ.

peratore, non liquet. Deinde Innocentius II Lothario Imperatori, à quo reſtitutus fuerat, bona Mathildis ob fidelem ipſi navatam operam anno MCXXXIII indulſit: ne id tamen in damnum Romanæ Sedis verteret, triplex appoſita conditio eſt. Prima, ut *hominium*, ita loquebantur, & fidelitatis ſacramentum præſtaret Lotharius; altera, ut centum argenti libras quotannis penderet: tertia, ut ſi abſque liberis moreretur, quidquid Mathildis fuerat, Romanæ Sedi reſtitueretur.

V. Tandem Romanæ Sedi reſtituta.

De his provinciis inter Alexandrum III & Fridericum Imperatorem aliquantò pòſt diu diſceptatum eſt. Dum illas uterque ſibi, ille Romanæ Sedi, hic Imperio vindicare nititur; ita tandem inter eos convenit, ut cùm alia multa, tum bona Mathildis Alexandro Fridericus redderet. Ubi verò ad rem ipſam anno MCLXXVII ventum eſt, negavit Fridericus id ſibi eſſe integrum, quòd ditio Mathildis ad Imperii jura pertineret. Alexander, ne quid noceret paci mox ineundæ illa Friderici cavillatio, aſſenſus eſt, ut delectis ex utraque parte Judicibus tota controverſia permitteretur. Eluſa etiam iiſdem penè artibus & Lucii III & Urbani III expoſtulatio: deinceps enim Fridericus non Pontificem, ſed Imperatorem ſcriptum à Mathilde hæredem probare voluit. Anno MCXCV Henricus Friderici filius, ut Marcoaldum Ravennæ, ut Conradum Spoleti; ita Philippum fratrem Tuſciæ Ducem appellat. Is continuò urbes Tuſciæ, quæ ditionis erant Pontificiæ, & vexare, & oppugnare inſtituit. Quare à Cæleſtino III piorum cœtu prohibitus eſt: ſed anno MCXCVIII Henrici fratris interitu ad ſpem Imperii erectus, ne quid ipſi noceret Innocentius III, Tuſciam Romanæ Sedi integram dimiſit.

DISSERTATIO TERTIA.

Provinciæ Sedi Romanæ olim vectigales.

ROMANÆ Sedi cùm multa ſunt, quibus ſedibus præſtat cæteris, ornamenta; tum illud præ aliis præcipuum eſt & ſingulare, quòd omnes ferè Europæ totius Principes, vel ab ea petierint jus coronæ geſtandæ, quæ regiæ poteſtatis inſigne eſt; vel provincias, quibus præerant, vectigales eſſe voluerint, quæ ſumma illorum fuit in Romanos Pontifices obſervantia. Lubet hoc loco ſingulas appellare, ut quanta ſit Romanæ Sedis majeſtas, cuivis cognoſcere liceat. Provinciarum verò & urbium & regnorum nomina ſunt hæc: Anglia, Hibernia, Scotia: in Gallia Britannia minor, Provincia, Avenio, Comitatus Venaſcinus, Valentinus, Dienſis: Hiſpania, & in ea Portugallia, Aragonia, Tarraco: Regnum Neapolitanum, Sicilia, Sardinia, Corſica: Dalmatia, Croatia, Servia, Raſcia, Boſnia, Bulgaria, Hungaria, Polonia, Lithuania, Ruſſia, Bohemia, Saxonia, Bamberga, Dania, Norvegia, Suecia, & ultra Europæ fines Gerba, Inſulæ Cercinæ, Fortunatæ inſulæ, Armenia, &c. Vel inde intelligant, qui Lutheri, Calvini, aliorúmve ſcelere à Romana Sede deſciverunt, Angli, Bohemi, Germani, Sueci, Dani, quantùm inter ipſos ipſorumque parentes interſit. In Romanos Pontifices, quos ipſi oderunt peſſimè, tanta illorum pietas erat, ut quotannis vectigal pietatis ergò illi pendere gloriæ ducerent. Religio tum erat à Romanæ Sedis fide, doctrina, inſtitutis vel minimùm recedere, à quibus ipſi vel maximè abhorrent: Calvinum, Lutherum, Socinum, aliaque id genus portenta ſequi, laudi ducitur: illorum hæreſes & errores amplecti fas eſt; Roma-

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

num verò Pontificem, qui Chriſti Vicarius eſt, appellare; illiuſque fidem, quæ una & ſincera eſt & Catholica, profiteri nefas.

CAPUT I.

Anglia, Hibernia, Scotia.

INTER Angliæ, Hiberniæ & Scotiæ Regna, cùm in omnibus ferè, tum in iis, de quibus hoc loco agimus, ea cognatio eſt, ut quæ ad Hiberniam, Scotiámve pertinent, explicari commodè vix poſſint, niſi quæ Angliam ſpectant, præmittamus. Agemus igitur primò de Anglia, deinde de Hibernia, denique de Scotia. In Anglia verò duo ſunt, quæ ad rem noſtram pertinent; denarius ſancti Petri, & Anglia Romanæ Sedis vectigalis. Utriuſque quænam & origo & cauſa ſit quærimus, de ſingulis ſingula erunt capita.

Denarius ſancti Petri in Anglia.

I. Denarium ſolvi jubet Ina.

QUONAM potiſſimùm tempore denarius ſancti Petri in Anglia pendi cœptus ſit, cùm à multis memoriæ proditum eſt, tum maximè à Polydoro Virgilio l. 4. Anno circiter DCCXXX apud Occidentales Saxones regnabat Ina Princeps, non minùs ſpreto, quàm geſto Imperio inſignis. Is de abjicienda dignitate dum cogitat, extare voluit apud poſteros, hoc ſuæ adverſus Deum & Eccleſiam Romanam pietatis monimentum, ut Anglorum, quibus imperabat, domus ſingulæ ſingulos denarios quotannis ſancto Petro penſitarent, quò fides Anglorum annuo tributo & firmior eſſet, & illuſtrior: quod lege perpetua, ut ſancitum eſt, uxor illius Edilburga in Monaſterium, ipſe Romam ſeceſſit, ubi arctiorem vitæ rationem ſecutus, virtutibus Chriſtianis maximè enituit.

II. Deinde Offa.

Aliquantò pòſt Offa Saxonum Orientalium ſive Merciorum Rex, multa pauperibus, multa Clericis & Epiſcopis, Inæ exemplo, largitus eſt: Romam etiam pietatis ergò, &

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES. III. Tam Ethelulphus.

veniæ de peccatis admiſſis impetrandæ causâ anno DCCLXXV petiit; & eadem ferè lege, quâ priùs Ina Regnum ſuum ſancto Petro vectigale eſſe voluit, ut ex domibus ſingulis ſinguli argentei penderentur.

Quod tributum ab Ethelulpho Rege anno DCCCXLVII longiùs propagatum eſt. Is enim Inæ Offæque pietate par, potentiâ verò longè ſuperior, quippe qui totam ferè Angliam imperio ſuo complexus eſſet: dum illius ſubditi pace & opibus florerent, Romam profectus, Scholam ab Offa olim Romæ conditam inſtaurari ſumptibus ſuis juſſit; & eam Angliæ partem, quæ ab Egberto patre Regno adjecta fuerat, reddidit Romanæ Sedi vectigalem: publico enim edicto ſancitum ab eo dicitur, ut ii, qui ex prædiis ſuis denarios triginta colligerent, denarium quotannis unum ad diem, qui Petro & Paulo Apoſtolis ſacer eſt, ſolverent.

IV. Pecuniæ ſumma in duas partes tributa.

Inde Anglia Romanæ Sedi vectigalis eſſe cœpit, cuſique nummi argentei, qui Denarii ſancti Petri vulgò dicti ſunt: quos à Quæſtoribus Pontificiis exigi moris fuit. Hæc verò pecunia ut plurimùm duas in partes diviſa eſt; quarum altera Romano Pontifici cederet; altera Baſilicæ ſanctæ Mariæ, quæ Schola Anglorum vulgò dicebatur.

Anglia vectigalis.

I. Joannes-Sine-terra anathemate percuſſus.

JOANNES, cognomento *Sine-terra*, Angliæ Rex, ſæpe victus à Francis, multiſque è provinciis ejectus, in Clericos anno MCCXII ſævire cœpit: vectigal ab eo Monachis imperatum: expreſſa contra jus faſque à ſubditis pecunia; Epiſcopi plures è ſedibus pulſi. Quare ab Innocentio III ipſe percuſſus eſt anathemate. Rex Galliæ ad Angliam occupandam invitatus: jam ornata ad littus Francorum claſſis erat, cùm Joannes veritus, ne Regno tandem pelleretur, Legatos Romam mittit, ſeque in Pontificis poteſtate futurum pollicetur. Venit in Angliam Innocentii juſſu Pandulphus Subdiaconus, qui Regis animum exploraret.

II. Angliam reddit vectigalem.

Tum Joannes vel pietatis ſtudio incenſus, vel à Francis ſibi metuens, ad Doveram apud Milites Templi, ut autor eſt Pariſius, Comitia Regni convocat. Ibi coram Legato, Re-

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

gna, tum Angliæ, tum Hiberniæ ſubjicit Summo Pontifici qui ea beneficii loco deinceps haberet. Quo verò ipſius in Romanam Sedem obſervantia & teſtatior eſſet & illuſtrior, ſingulis annis mille marchas ſterlingorum, partim die Paſchatis, partim die ſancto Michaëli ſacro daturum ſe paciſcitur. Hæc etiam adjecta conditio eſt, ut ſi, vel ipſe, vel quis deinceps è Regibus Angliæ id non præſtiterit, is jure regni decidat. Deinde fidei ſacramento ſe ut fiduciarium Romano Pontifici obſtrinxit, eâ uſus formulâ: *Non ero in facto, dicto, conſenſu, vel conſilio, ut vitam perdant, vel mala captione capiantur: eorum deſiderium, ſi ſcivero, impediam, &c.*

III. Regno à Francis ejicitur.

De his Romam ut allatum eſt, miſſus ab Innocentio in Angliam Tuſculanus Epiſcopus, à quo & Joannes cenſuris, ut loquuntur, ſolutus eſt, & revocati exules Epiſcopi. Oblatum eſt Legato Regni diadema, & diploma datum aureo obſignatum ſigillo, quo ſe Joannes Romanæ Sedi obnoxium profitetur. Inde Reges Angliæ Romanorum Pontificum fiduciarii & eſſe & dici cœpti ſunt. Secundùm hæc egit cum Ludovico Galliæ Regis filio Innocentius, ne in Angliam tranſmitteret: primùm adhibitæ preces; deinde minæ, niſi morem gereret, intentatæ: ſed fruſtra fuit. Trajecit in Angliam Ludovicus, Regnoque occupato Joannem expulit, qui tanto impar dolori anno MCCXVI moriens, Romano Pontifici Regnum filiumque Henricum commendatum voluit.

IV. Henricus illius filius fidei ſacramentum præſtat.

Henricus poſt patris obitum, coronam regni inſigne ſuſcepit: at priùs *homagium*, ut vocant, coram Proceribus Romanæ Sedi præſtitit: mille præterea marchas ob Regna Angliæ & Hiberniæ pollicitus. Ubi de Joannis interitu, & ſingulari novi Regis in Romanam Sedem obſervantia Romæ nuntiatum eſt, Honorius III, qui Innocentio ſublectus fuerat, Henrici partes impensè fovit; nihilque habuit antiquius, quàm ut Francos ad pacem, Angliæ Proceres ad officium hortaretur. Unde ſenſim Francorum copiæ ex Anglia revocari cœperunt, Angli ad Henrici obſequium redicere, & priſtinum Angliæ decus redditum eſt.

V. Ratio exigendi tributi.

Exigendi illius tributi hæc ferè ratio fuit: ſi quando gravioribus Anglia, vel cladibus, vel bellis perfuncta eſſet,

nihil

nihil datum Romanæ Sedi. Ubi verò reddita pace florebat opibus, tum à Pontifice Rex officii admonitus. Ita Urbanus V anno MCCCLXV Eduardum Regem ad cenſum, qui ab annis plus minùs triginta penſitari deſierat, ſolvendum cohortatur. Nec etiam, ut mea opinio eſt; dum vacaret à bellis Anglia, hoc vectigal ſingulis annis exigi moris fuit; ſed poſt decem, quindecim, aut viginti plus minùs annos pro Pontificum arbitrio. Anno MCCLXXVII exegit Nicolaus III, Martinus IV anno MCCLXXXIV, & anno MCCCI. Bonifacius VIII, & alii aliis temporibus. Si quando Romani Pontificis ope egerent Reges Angliæ, tum tributum illud ſæpius perſolutum eſt; ſin minùs, multò rariùs. Exemplo nobis ſit, ut à pluribus abſtineam, Eduardus: ab eo ut defecit Robertus Bruſius, Regnumque Scoticum ſibi vindicare inſtitit; Eduardus è re ſua fore arbitratus, ſi Romanum ſibi conciliaret Antiſtitem: miſit continuò Avenionem ad Joannem XXII anno MCCCXVI Legatos, qui marchas ſterlingorum mille Pontifici pro annuo cenſu deferrent, & pro viginti-quatuor annis, quibus nihil dederat, viginti-quatuor marcharum millia pollicerentur.

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

Quanta fuerit apud Angliæ Reges Romani Pontificis autoritas, vel ex uno, quod ſubjiciam, exemplo cuivis intelligere licet: plura enim in eam rem proferre nihil opus eſt. Ibat Legatus in Angliam ſub Gregorio IX Otho ſancti Nicolai Diaconus Cardinalis; miſſi à Rege Henrico III Lutetiam uſque, qui eum perhonorificè exciperent: oblata ſupellex pretioſa, vaſa aurea, aliaque id genus munera: Proceres, Epiſcopi, Rex ipſe ad littus maris prodiit obviam; & ad regiam Legatum officioſè deduxit: deinde habita Londonii Regni Comitia, in quibus Rex *non licere ſibi abſque conſenſu vel Summi Pontificis, vel Legati quidquam in Anglia immutare, diſtrahere, diſponere palam profeſſus eſt.* Hæc erat illis temporibus adverſus Romanam Sedem Anglorum obſervantia.

VI. Summa Romani Pontificis in Anglia autoritas.

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

Hibernia.

I. Hibernia data Romanæ Sedi.

CONSTAT Hiberniam jam diu fiduciario jure Romanæ Sedi ſubditam eſſe. Quo verò potiſſimùm tempore id cœptum ſit, conjicere haud promptum eſt; ſi quid tamen conjecturâ aſſequi poſſum, id factum ſub Cæleſtino Papa anno circiter CCCCXXIX ſuſpicor. Hiberni, vel à Palladio, vel à Patricio, quorum alter ſancti Cæleſtini Diaconus fuit, alter ſancti Martini diſcipulus; vel ab utroque potiùs fidem Chriſtianam ſuſceperunt: magna enim Scotos inter & Hibernos ea de re contentio eſt. Utut eſt, ſub Cæleſtino certè Chriſtiana religio in Hibernia prædicari cœpit; quod apud omnes extra controverſiam eſt. Jam inde verò ab his ſuſceptæ fidei primordiis Romanis Epiſcopis paruiſſe Hiberniam arbitror; quod ex his quæ ſequuntur, planum erit.

II. Henricus Angliæ Rex Hiberniam occupat.

Regnabat apud Anglos anno MCLVIII Henricus ille, cujus diuturna cum ſancto Thoma Cantuarienſi de juribus Eccleſiæ diſſidia omnibus nota ſunt. Is nihil magis è re ſua fore putavit, quàm ſi Hiberniam Angliæ adjungeret, quòd & anguſto tantùm freto ab Anglia disjuncta eſſet, & inde à Gallis adverſus Anglos auxilia ſæpius peterentur. Eò major erat victoriæ ſpes, quòd nuſquam ferè antea externis fuiſſet armis vexata, & in varios tum eſſet diſtracta Principes. Comparato igitur exercitu in Hiberniam trajecit. Hiberni ſubita irruptione conterriti deditionem faciunt: unus Connaciæ Regulus Rodericus, qui & aliis potentior erat, & Hiberniæ Regem nominari ſe volebat, externum reſpuit imperium.

III. Ea lege ut tributum ſolvat Romanæ Sedi.

Henricus Epiſcopos & Principes, qui ſe dederant, Dublinum, inſulæ caput erat, evocat, Quid velit, quid conſilii habeat, aperit, Hiberniam Angliæ adjungendam: id in utriuſque inſulæ, & commodum, & gloriam aliquando ceſſurum. Id fieri poſſe negant omnes abſque conſenſu Summi Pontificis, penes quem jam inde ab primis ſuſceptæ religionis Chriſtianæ initiis ſummum Inſulæ imperium erat. Miſſi continuò ab Henrico Romam Legati, qui à Pontifice id ſibi ut liceret, ſuo nomine expoſcerent. Legationis hæc

ſumma fuit, Hibernos rerum divinarum rudes eſſe: Anglorum conſuetudine & Regum curâ ad Chriſtianæ pietatis præcepta erudiendos, id non rei Chriſtianæ minùs, quàm Anglicæ glorioſum fore. Adriano IV, qui & ipſe Anglus erat, probatur Regis conſilium: hæ tamen appoſitæ conditiones, ut Hiberni ad omnia Chriſtianæ religionis munera ab Anglis erudirentur: ut Jus Romanæ Sedis in Hiberniam eſſet integrum: ut ſancto Petro de domibus ſingulis ſinguli denarii ſolverentur. Iis legibus adjuncta Angliæ Hibernia eſt, & eadem ratione denarium ſancti Petri ab utraque exigi deinceps moris fuit.

Scotia.

I. Scoti ſub Victore Chriſtianâ fidem amplexi.

EADEM propè Scotiæ, quæ Hiberniæ, in his, de quibus agimus, ratio eſt. Jamdiu enim Romanæ Sedi fiduciario jure ſubdita fuit: at à quo, quando, quâve de cauſa, non liquet. Sanctus Petrus ad Scotiam uſque pervenit, indeque Manſuetum ſibi aſcivit diſcipulum, ut Camerario, aliiſque viſum eſt, quibus ego vix aſſentiri poſſim: ſimilius enim vero eſt Chriſtianam fidem ſub Victore Pontifice anno CCIII primùm in Scotia prædicari cœptam eſſe: tum enim Donaldus Scotorum Rex, ut in gentis illius Annalibus proditum eſt, à Victore viros & pietate & doctrinâ inſignes obtinuit, à quibus ad religionem eruditus, cùm ipſe baptizatus eſt, tum ipſius uxor, liberi, affines, aliique è ſubditis viri nobiles.

II. Scotia Romanæ Sedi ſubdita.

Aliquantò pòſt Palladius à Cæleſtino Papa in Scotiam miſſus eſt, ut Pelagianam hæreſim, quæ jam per Britanniam graſſabatur, ab ea regione prohiberet; & Scoticam gentem, quæ diuturnis bellis à vera pietate deſciverat, ad ſincerum Dei cultum revocaret. Ea fuit Palladii in Scotis excolendis induſtria, ii laborum fructus, ut apud eas gentes Apoſtoli nomen ſibi pepererit. An Donaldus Victori; an is, qui Palladii tempore regnabat apud Scotos, Cæleſtino; an quis alius alii Pontifici Scotiam ſubjecerit, obſcurum eſt: id factum à Donaldo vix crediderim. Cæleſtini ætate, an aliquantò pòſt id contigerit, cur affirmem, aut negem, nihil habeo.

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES. Scotia tamen Romanæ Sedi ſubditáne fuerit, an ſecus, ambigere non licet; cùm multi Romani Antiſtites & pietate & doctrinâ clariſſimi id aſſeveranter dicere non dubitent; & Romanæ Sedis in Scotiam jura contra Reges Angliæ ſæpe ab iis defenſa legere ſit: quam in rem unum exemplum hoc loco adſcribere ſatis erit.

III. Eduardus Angliæ Rex illam occupat. Alexandro III. Scotorum Rege unà cum ſtirpe extincto, præter unam ex filia nepotem, ſumma contentione inter Eduardum Angliæ Regem, Baliolum & Robertum Bruſium, quis hæres eſſet, dimicatum eſt. Jus omnibus propè par: at Eduardi longè major potentia. Baliolus Scotorum ſuffragiis primas tulit: at paulò pôſt ab Eduardo & victus eſt, & in deditionem acceptus. Robertus Bruſius, vir quidem manu ſtrenuus, ſed Eduardo viribus impar, actus eſt in fugam. Jam domita Scotia erat; Proceres ad Comitia vocati, ut Regnum Scoticum Anglico jungeretur; cùm ecce advenit, qui Bonifacii VIII nomine ſignificaret Eduardo, ne quid in Scotos præter jus, faſque auderet: illos non ſui juris eſſe, ſed ad Romanam Sedem fiduciario jure pertinere: ſi qui è Scotorum Regibus fidelitatis ſacramentum Anglis præſtiterant, id ab iis non pro Scotia, ſed pro feudis, quæ in Anglia erant, factitatum.

IV. Joannes XXI regium nomen Roberto Bruſio indulget. Eduardus Angliæ Principes evocat: ipſius, an Pontificis jura potiora ſint, exquirit. Pro Eduardo pronunciatum eſt, Scotiam Anglicæ ditionis eſſe: bellum contra rebelles à Rege geſtum; quibus victis penes Eduardum eſſe Scotiam, aut regere per ſeſe, aut, cui libuerit, permittere: omnia Anglis prona fuerunt, quoad vixit Eduardus, cujus mira in bellis gerendis & fortitudo erat, & felicitas. At ejus filius utraque laude patri inferior, à Roberto Bruſio multis attritus eſt cladibus: unde anno MCCCXX à Joanne XXI regium nomen Bruſio conceſſum eſt; cui etiam Joannes indulſit, ut ſicut ſuperiores Scotorum Reges, ita & ipſe, & cæteri deinceps ſucceſſores ab Archiepiſcopo ſancti Andreæ ungerentur.

CAPUT II.

Gallia non fuit vectigalis; ſed Britannia minor, Provincia, Avenio, Comitatus Venaſcinus, Valentinus & Dienſis.

Gallia.

GREGORIUS VII in ea, quam ad Petrum Albanenſem in Gallia Legatum ſcripſit, epiſtola, quæ octavi libri ultima eſt, jubet, ut è domibus ſingulis denarium unum exigat. Id verò, cur velit, cauſam affert, moris fuiſſe ſub Carolo Magno, ut Franci ſinguli, qui familiarum Principes eſſent, ſingulos denarios B. Petro quotannis ſolverent: quod ne cui dubium eſſet, multa, quibus id probet, ſubjicit. Primò id pluribus in *tomo ejus*, hoc eſt, Caroli Magni, *qui in Archivo Eccleſiæ B. Petri habetur*, explicari: deinde eam pecuniam colligi ſolitam tribus in locis, Aquiſgrani, apud Podium S. Mariæ, & apud S. Ægidium: tum ex ea pecunia ſingulis annis confici mille & ducentas libras: denique data etiam à multis alia munera pro cujuſque & liberalitate & opibus. I. Galliam tributum ſolviſſe ſcribit Gregorius VII.

In ea ſententia eſt Spondanus, ut dicat cenſum illum in Occitania quidem, poſtquam Comitibus à Carolo Magno permiſſa eſt, ſolutum eſſe; in aliis verò Galliæ provinciis non item: deinde cùm ſublatis Comitibus, Coronæ Gallicæ, ut dicitur, iterum annexa eſt, pendi deſitum. In his ego duobus ab illo diſſentio vehementer: cur enim id Occitaniæ ſingulare fuerit, nihil eſt. In aliis etiam provinciis haud aliter ac in Occitania datam hujuſmodi pecuniam, vel inde intelligere eſt, (in omnibus tamen collectam vix putem) quòd Aquiſgrani itidem, ac apud Podium S. Mariæ colligeretur. Præterea unde habet vectigal hujuſmodi à Carolo Magno ad S. Ludovici ætatem propagatum eſſe? Qui enim cenſus illius præter Gregorium VII meminerit, vidit, niſi falſus ſum, neminem. Quare nec ante, nec poſt II. Gallia nũquam vectigalis fuit.

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

Carolum Magnum impoſitum illud vectigal eò arbitror, quòd & nulla apud antiquos Scriptores, quod ſciam, illius rei mentio ſit, & Gregorius VII unum Carolum Magnum appellet: aliorum enim, ſi quos præterea noviſſet, itidem ac Caroli, quò res teſtatior eſſet, appoſita fuiſſent nomina. Ea igitur pecunia nec tributi, nec vectigalis, ſed eleemoſynæ nomine, nulla certa lege, ſed pro Caroli arbitrio, Romanæ Sedi pietatis ergò data eſt, ter quatérve vel ſæpius, quoad vixit Carolus; poſtea penſitari deſiit.

Britannia minor.

I. Britanniæ Principes, modò Reges, modò Duces, modò Comites.

VETUS illa fuit & percelebris inter Galliæ Reges & Principes Britanniæ minoris controverſia, ea Galliarum pars ſuine juris eſſet, an Regibus, ut cæteræ provinciæ, contributa: unde qui Britanniæ præerant, Principibus ſolemne fuit, ut pro varia Galliæ fortuna, varia etiam ſibi aſciſcerent cognomina. Si afflicta eſſet Gallica res, *Reges* vulgò dicti ſunt; ſi floreret, vel *Duces*, vel *Comites:* unaque aſſumendi cognominis lex erat, timor. Si quid enim ſibi à Regibus metuebant, vulgaris appellatio fuit; ſin minùs, illuſtrior. Ut ab Hiſtoricis, ita à Romanis etiam Pontificibus alia aliis data ſunt nomina. Salomon ab Adriano II Rex dicitur: *Dilectiſſimo filio amantiſſimoque Salomoni Regi Britonum cum omnibus ſuis fidelibus Adrianus gratiâ Dei Papa perennem ſalutem.*

II. Dolenſi Epiſcopo datum Pallium.

His Britanniæ ſive Ducibus, ſive Regibus, è ſua re fore viſum erat, ſi diœceſis Turonenſis duas in partes diſtraheretur, quarum altera, quæ ditionis erat Gallicæ, Turonenſi; altera, quæ Britannicæ, Dolenſi Epiſcopo ſubeſſet. Data igitur Dolenſi, Archiepiſcopi & appellatio & dignitas: permiſſus etiam Pallii uſus, de quo aliàs pluribus. Salomon petierat à Nicolao I, ut Epiſcopo Dolenſi itidem ac aliis antea Pallio uti liceret: negavit Nicolaus. Cur negarit, id cauſæ fuit, quòd in epiſtola nomen Salomonis nomini Pontificis præpoſitum eſſet; quòd literæ nullâ ſigilli notâ inſignes; Legatus è plebe neſcio quis: repulſam graviter tulit Salomon. Quare ut primùm Nicolao ſublectus eſt Adrianus II, illum eadem iterum rogavit.

Sed, quæ priùs peccaverat, correxit: plena enim honoris & officii epiſtola, cujus inſcriptio eſt hujuſmodi: *Domino ac beatiſſimo Apoſtolicæ Sedis Romanæ Adriano Salomon Britonum Rex, flexis genibus, inclinatoque capite in Chriſto fideliter pacis diuturnitatem.* Adjuncta etiam, quò gratiores eſſent literæ, munera, ſtatua aurea, mulus phaleris inſignis, triginta *camiſiæ*, totidem *drapæ* laneæ variis diſtinctæ coloribus; triginta etiam tum cervinæ pelles, tum *pallia pedalia*, & *trecenti quoque ſolidi denarii quotannis deinceps perſolvendi, quatenus dignitas à prædeceſſoribus veſtris anteceſſoribus noſtr s impenſa nobis noſtriſque ſucceſſoribus autoritate veſtra confirmetur in ſæcula.* Jucunda Adriano Papæ legatio fuit *de corpore S. Leonis Papæ III* ſacras reliquias miſit: Dolenſi etiam Epiſcopo indulſit Pallii honorem; niſi fortè in extremam Adriani epiſtolam error irrepſit: quod ex Innocentio aliàs viderimus.

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

III. Britannia fit vectigalis.

Provincia.

I. Fit vectigalis.

POSTQUAM Gregorius VII Henricum Imperatorem piorum cœtu prohibuit; ut in Italia & Germania, ita in Provincia, quæ Imperii feudum erat, varia extitere diſſidia, dum alii Henrici partes fovent, alii Pontificis. Bertrandus, vel Arelatenſis, vel Provinciæ Orientalis Comes: aliter enim ab aliis appellatur; ne qua ratione anathema ad ſe pertineret, ab Henrico deſciyit ad Gregorium Pontificem. Quò verò ipſius in Romanam Sedem obſervantia teſtatior eſſet & illuſtrior, ſe ſuaque Romanæ Sedi permiſit; & in iis, quæ ſuæ ditionis erant, urbibus, ſummum Gregorio, aliiſque deinceps Pontificibus anno MLXXXI detulit imperium.

II. Sacramenti formula.

Duplex eſt formula; altera ſacramenti, ut dicitur, fidelitatis, quam, quia aliis non eſt abſimilis, omittimus; altera donationis, cujus partem, quia nonnihil habet ſingulare & præcipuum, hoc loco deſcribere non pigebit: *Ego Bertrandus Dei gratiâ Comes Provinciæ, pro remiſſione peccatorum meorum, offero, concedo, dono omnem honorem meum, quantum ad me jure parentum pertinet, omnipotenti Deo, & ſanctis*

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

Apoſtolis Petro & Paulo, & Domino Gregorio Papæ VII, & omnibus ſucceſſoribus ſuis; ita ut quidquid placuerit deinceps Domino Papæ Gregorio, de me & de toto honore meo, ſine ullo contradicto faciat, &c.

Avenio.

I. Antiqui Comitatus Venaſcini Principes.

AVENIO bis Romanæ Sedi data eſt: ſemel à S. Ludovico; iterum à Joanna Neapolis Regina: utrique quid cauſæ fuit, ut ea urbe & Comitatu Venaſcino cederet Romano Pontifici, paucis exequor.

Comitatus Venaſcinus Regni Arelatenſis portio olim fuit, à quo diſtractus eſt vel anno DCCCCXLVI; quo Hugo & Arelatis & Italiæ Rex Raymundo Toloſano, cui Bertha ipſius ex fratre Bozone neptis nupſerat, tum Venaſcenſem Comitatum, tum Forum Neronis conceſſit: vel anno circiter MXXX, quo Guillelmus III cognomento *Taillefer*, quæ ſuæ ditionis erant in Provincia, inter duos filios, Pontium & Bertrandum, ita partitus eſt, ut Pontius, qui natu major erat, Comitatum Venaſcenſem; Bertrandus, qui minor, Forum Neronis obtineret: quæ eruditè, ut ſolet omnia, in Provinciæ Hiſtoria explicat Bonaventura *Bouche*. Ut ut eſt, poſtquam Regnum Arelatenſe concidit, is Comitatus Comitibus; quibus à Neronis Foro nomen erat, paruit; deinde Guillelmo III Comiti Toloſano, cui Elma Rotbaldi III & filia & hæres nupſerat, ceſſit anno circiter MVI.

II. Avenio fit libera.

Ab his temporibus ad annum MCCX ſumma fuit, & Avenioni, & in Comitatu Venaſcenſi Comitis Toloſani autoritas. Ubi verò Raymundus VI, quòd Albigenſium foveret hæreſim, anathemate percuſſus eſt, Avenio & Arelatis & Maſſiliæ exemplo in libertatem ſe vindicat. Primùm creati Conſules; deinde uni, cui *Poteſtas* nomen fuit, ſumma rerum permiſſa eſt. Eorum nomina in actis publicis aſcripta; unum alterúmve exemplum apponere libitum eſt. *Notum ſit omnibus, quòd anno Dom.* MCCXVIII, *&* IV *Id. Octob. exiſtentibus in civitate Avenionenſi Conſulibus Raymundo de Polo, Iſnardo Malavicino*, &c. Alterum erit: *Notum ſit omnibus, quòd anno Dom.* MCCXXXIV *exiſtente Avenioni Poteſtate Domino Henrico de Spingo, &c.*

Interea

Interea autoritate, tum Summi Pontificis, tum Regis Galliæ, Raymundo Toloſano bellum indicitur. Simon Monfortius, vir petæquè religioſus & ſtrenuus, bello præficitur, ea lege, ut quas urbes caperet, ipſi ipſiuſque poſteris cederent. Commiſſo prælio fugatus Raymundus, cæſuſque in acie, qui illius partes tuebatur, Petrus Aragonius: tum multæ, quà vi, quà deditione, captæ urbes. Eas ex pacto occupat Simon: id licere negat Raymundus junior. Litis judicium, Lateranenſi, quæ tum habebatur, Synodo permittitur. Romam petunt: inde Raymundus uterque, pater & filius; hinc, Vido Simonis Monfortii frater: pro Simone pronunciatum eſt, ditioque omnis, quæ in Occitania Raymundi fuerat, illi conceſſa eſt: hæ tamen appoſitæ conditiones, ut ſingulis annis, tum Raymundo, tum illius uxori, quæ Catholica erat, certa pecuniæ ſumma ſolveretur; quæ verò & urbes & oppida cis Rhodanum in provincia erant, Raymundus junior obtineret.

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES. III. Raymundo Toloſano paret.

In Hiſpaniam Raymundus ſenior ſeceſſit; junior in Provinciam, ubi mirâ populorum benevolentiâ exceptus, bellum in Simonem renovat. Primùm Belcarium, deinde alias urbes capit: de quo ut auditum Toloſæ eſt, cives à Simone deficiunt, quos dum obſidet Simon, lapide percuſſus occubuit anno MCCXVIII. Omnia deinde Raymundo prona fuerunt, multæque urbes nullo negotio receptæ. Sub hæc Amalricus Simonis filius ſuis in Occitaniam juribus Ludovico VIII Galliæ Regi cedit: continuò inſtauratur bellum: Avenio obſidetur & capitur: tum in Occitaniam Toloſam uſque penetratum, à multiſque urbibus facta deditio eſt: nec mortuo interea Rege ceſſatum eſt à bello: jamque Toloſæ imminebat Imbertus de *Bellojoco*, cùm Raymundus, ſeu bello feſſus, ſeu ſuis diffiſus viribus, impetrat, ut cum Rege Ludovico ipſi agere liceat.

IV. A Galliæ Rege capitur.

Hæ ferè ſanciendæ pacis leges præſcriptæ ſunt: ut ipſius filia Alphonſo Pictavienſi Regis fratri nuberet: ut urbes, quæ cis Rhodanum in Cemmeniis montibus erant, Regi cederent; quæ ultra Rhodanum Romano Pontifici: ipſi Toloſa, & aliæ circùm urbes permiſſæ: deinde Raymundus unicâ, eaque vulgari tectus tunicâ, nudis pedibus coram Rege & Legato,

V. A S. Ludovico datur Romano Pontifici, à quo Raymundo redditur.

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

& infinita propè populi multitudine, admiſſi ſceleris veniam petiit, eumque abſolvit Legatus. Tum, ut par eſt credere, ab Honorio III anno MCCXXIX Avenionis inita poſſeſſio eſt, quam haud multò pòſt Raymundo, vel Friderici II metu, vel ipſius Raymundi precibus flexus reſtituit Innocentius IV. Unde & ipſe poſtea, & qui ipſius gener erat, Alphonſus, Marchiones Provinciæ vulgò inſcribuntur.

VI. Comitatus redditur Romanæ Sedi: Avenionis pars una paret Gallo Regi, altera Neapolitano.

Poſtquam Alphonſus abſque liberis deceſſit, Comitatus Venaſcenſis ex inito priùs cum Raymundo fœdere, in Regis Galliæ ditionem venit: ſed anno MCCLXXIII duas in partes à Philippo III diſtractus eſt, multò enim ea ætate, quàm noſtra, lariùs patebat: alteram Philippus conceſſit Gregorio X, ut ex duabus Gregorii ipſius epiſtolis intelligere eſt, quarum alterâ gratias agit Philippo, alterâ Guillelmum de Villareto Comitatui præficit. Ita Venaſcini, ut tum loquebantur, Comitatûs portio maxima Romanæ Sedi reſtituta eſt. Hic tamen annotare operæ pretium eſt, Avenionem, quæ ad Comitatum Venaſcenſem nihil pertinebat, Gregorio non redditam: erat id ætatis ea civitas pariter ac Comitatus, duas in partes diviſa, quarum neutra Summo Pontifici parebat; ſed altera Philippo Galliæ Regi, Regi Siciliæ Carolo altera, permutatione Ducatus Andegavenſis. Sua etiam parte anno MCCXC Philippus Pulcher ceſſit Carolo II Siciliæ Regi. Unde deinceps Comitatus Venaſcinus in Pontificum Romanorum; Avenio in Regum Neapolitanorum ditione fuit.

VII. Avenio Clementi VI vendita.

Secundùm hæc Joanna Roberti Regis Neapolitani ex filia neptis, Andreæ Caroli Hungariæ Regis filio nupſerat: ſed ſponſo biennio pòſt, ut tum fama fuit, laqueo gulam fregit. Ludovicus Hungariæ Rex infeſto exercitu venit Neapolim fratris necem ulturus: Joanna impar viribus in Provinciam, quæ ipſius juris erat, ſe recipit. Ludovicus Neapolim occupat, relictoque militari præſidio abiit in Germaniam; continuò cives, Regnique Principes, Germanorum & indolem & ferociam averſati, Joannam, ut redeat, literis, nunciis, ſpe victoriæ invitant. Nihil tum Joannæ militum erat, nec unde conſcriberet exercitum,

habebat. Quare Avenionem, ubi jam Romani Pontificis Sedes erat, anno MCCCXLVIII Clementi VI vendidit. Emptionis pretium fuit octoginta millia florenorum aureorum Florentinorum : quæ ſumma, ſi ad pecuniæ noſtratis hodiernæ rationem exigatur, quadraginta tantùm & octo librarum millia, ut nonnullis viſum eſt, conficit. Sunt, qui ſummam integram Joannæ datam velint : ſunt, qui illius partem tantùm, quòd aliquot ab annis annuum pro Regno Neapolitano vectigal non ſolverat : quanquam Joanna octoginta florenorum millia ſibi data in pacto profitetur. PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

Quòd verò ea civitas viliori pretio empta eſſet, cavit etiam in pactis Joanna, ne id aliquando Romanæ Sedi fraudi eſſet. Suis enim omnibus in eam juribus ceſſit : nec voces tantùm adhibuit, ſive *venditionis*, ſive emptionis, ſed *donationis* etiam, *tranſlationis*, *ceſſionis*, *quitationis*. Verba illius, ſi quis ea requirit, ſunt hæc : *Jurantes nihilominus nos dicta Regina tactis ſacroſanctis Evangeliis manu noſtra contra præſentem venditionem, donationem & contractum, ratione minoris ætatis, vel aliàs, nullatenus in poſterum non venire: nec aliquid per nos, vel alium, ſeu alios facere, vel procurare, clam vel palam, directè vel indirectè, propter quod venditio, donatio, tranſlatio, ceſſio, quitatio, hujuſmodi poſſit aliqualiter in totum, vel in parte infirmari, vel etiam irritari,* &c. Anno MCCCCLXXV Avenionenſis ſedes, quæ Epiſcopalis hactenus fuerat, à Sixto IV Metropolis dignitatem adepta eſt, ipſique contributi, qui priùs Arelatenſi parebant, Carpentoratenſis, Cavellionenſis, & Vaſionenſis Epiſcopi. VIII. Vel data.

Comitatus Valentinus & Dienſis.

QUANDO Valentiæ Comites inſtitui cœpti ſint, unde eorum ſtemma deductum, obſcurum eſt. Illis à *Pictavo* nomen fuit : an à Pictavi Comitibus oriundi, an ſecus, aliis aliter videtur. Quæ affirmem duo ſunt : alterum, ante Philippi Auguſti tempora fuiſſe jam Valentiæ Comites ; alterum, Ademaro Valentino Comiti Comitatum Dienſem anno MCLXXXIX datum eſſe à Raymundo Toloſano. Ab I. Comites Valentini.

PROVINCIÆ ROM. SEDI OLIM VECTIGALES.

II. Vendunt has urbes Galliæ Regibus.

Ademaro ſeptimus ordine fuit Ludovicus ille, qui cùm careret prole maſcula, Carolum VI Galliæ Regem & Viennæ Delphinum, ea lege ſcripſit hæredem, ut ipſi nummorum aureorum centum millia ſolveret.

De quo ut audiit Ludovicus S. Valerii Comes, valida amicorum manu ſtipatus adit Ludovicum Valentinum Comitem: eum vi miniſque adigit, ut quæ cum Carolo Delphino pactus erat, revocet; ipſumque, qui affinitate cæteris propior erat, inſtituat hæredem. Ubi Ludovicus ſui juris fuit, quæ S. Valerii Comes extorſerat, nulla; quæ cum Delphino pactus erat, rata eſſe voluit. Duplex tamen appoſita conditio eſt: prima, ut Carolus VII Delphinus quinquaginta aureorum millia creditoribus ſolveret; altera, ut litem adverſus S. Valerii Comitem jam inceptam perſequeretur: ſin minùs, vel Summo Pontifici, ſi Pio II & Gobelino credimus; vel Amedeo Sabaudiæ Duci, ut in inſtrumento ipſo legitur, Comitatum tum Valentinum, tum Dienſem legat anno MCCCCXIX. Ut obiit Ludovicus, continuò S. Valerii Comes à Rege Valentiam Diamque repetit: tandem inter utrumque convenit, ut Comes Regi ſuo jure cederet, Rex Comiti penderet quotannis ſeptem florenorum millia.

III. Dat Ludovicus XI Pio II: Pius II Ludovico reſtituit.

Secundùm hæc Ludovicus XI, qui patri ſucceſſerat, Legatos Romam ad Pium II mittit. Legationis princeps erat Cardinalis Atrebatenſis. Is Regis nomine Comitatus & Valentinum & Dienſem dat Pontifici anno MCCCCLXII. Hærebat Ludovico ſcrupulus, quòd Carolus pater pactis cum Ludovico Comite non ſteti ſſet: cautum enim erat illius teſtamento, ne quid fructus aut commodi S. Valerii Comes ex hæreditate perciperet; cui tamen data erant in annos ſingulos ſeptem florenorum millia. Pergrata Pio fuit Ludovici Regis liberalitas; ne tamen ab eo munificentiâ vinceretur, primùm Comitibus S. Valerii nihil in hos Comitatus juris eſſe decrevit; tum Ludovico reſtituit omnia, quibus ceſſerat, jura; hoſque Comitatus eadem, quâ cæteras provincias, ratione Gallicæ ditionis deinceps fore juſſit. Illius verba ſunt hæc; *Eidem Regi non obſtante donatione & tranſlatione præmiſſis, omne jus qualitercumque, nobis competens, in*

caſtris antedictis, quæ in Regno Franciæ clauduntur & conſiſtunt, permittimus, ſinimuſque integrum ac illibatum; illis quoque ad ipſius Regis commodum renuntiamus & cedimus, &c.

CAPUT III.

Hiſpania, Tarraco, Aragonia, Luſitania.

Hiſpania.

HISPANIAM Romanæ olim Sedi vectigalem fuiſſe, à nullo, quod ſciam, Scriptore Hiſpano memoriæ proditum eſt: extant tamen Gregorii VII duæ in eam rem epiſtolæ, ex quarum utraque Hiſpaniæ Regnum ſub Gothis Regibus fuiſſe Romanis Pontificibus fiduciario jure ſubditum intelligere licet. Primæ epiſtolæ ad omnes Principes hæc ferè ſumma eſt: ſe Comiti Evulo de Bocceio, natione Gallo, quæ in Hiſpania Mauris eriperet, ea lege conceſſiſſe, ut vectigal ſancto Petro perſolveret; illum milite, pecuniâ, conſilio juvent: quæ de Mauris armis receperint, iiſdem conditionibus obtineant; ſin minùs, Mauris ne bellum inferant, prohibet. *Non latere vos credimus*, inquit, *Regnum Hiſpaniæ ab antiquo proprii juris ſancti Petri fuiſſe, & adhuc, licèt diu à paganis ſit occupatum; lege tamen juſtitiæ non evacuata, nulli mortalium, ſed ſoli Apoſtolicæ Sedi ex æquo pertinere.*

I. Gregorius VII vectigalem fuiſſe ſcribit. L. 1 ep. 7.

Epiſtolæ etiam alterius ad Reges, Comites & cæteros Principes Hiſpaniæ eadem ſententia eſt. Duo enim dicit; unum, *Regnum Hiſpaniæ ex antiquis conſtitutionibus beato Petro & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in jus & proprietatem eſſe traditum*: alterùm, *ſervitium quod beato Petro inde fieri ſolebat, propter infidelitatem Saracenorum, & tyrannidem detentum, &c.* Id temere à Gregorio confictum, nemo, opinor, dixerit: id enim à moribus, à prudentia, à pietate abhorret tanti Pontificis. Eò pertinere putat Cardinalis Baronius Vitizæ Regis edictum, quo Romani Pontificis, cujus auſpiciis hactenus religio & Gothica res ſteterat, anno DCCI imperium in

II. A quo id inſtitutum non liquet. L. 4 ep. ult.

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

Hiſpania abrogatum eſt. Eò etiam ſpectare vult Berengarii Comitis Barcinonenſis pietatem, qui receptam de Mauris haud multò pòſt Tarraconenſem urbem Romanæ Sedi vectigalem eſſe voluit: vectigal tamen à Gothis Regibus penſitari ſolitum, ne minimum quidem, niſi falſus ſum, uſquam veſtigium eſt. Quare, qui inquirat pluribus, à Recaredo, an ab Ervigio, an ab alio id fieri cœptum ſit, operam luſerit.

Tarraco.

I. Duplex vectigal datum ab Aragoniis Regibus.

AB Aragoniis Regibus duplex Romanæ Sedi vectigal pendi ſolitum eſt: alterum, pro Barcinonenſi Comitatu, pro Aragoniæ Regno alterum. Utriuſque ſolvendi quæ cauſa fuerit, ut quivis intelligat, priùs explicandum eſt paucis, quænam utriuſque Principatûs origo ſit.

II. A quo inſtitutus Comitatus Barcinonenſis.

Mauris ab ea Hiſpaniæ parte, quæ cis Hebrum eſt, à Carolo Magno ejectis, inſtitutus eſt Barcinonenſis Comes, qui nomine Regis Galliæ eam provinciam regeret. Omnium princeps Bernardus fuit, cui à Ludovico Pio Wifredus ſuffectus eſt. Non hæreditario quidem jure ea poteſtas data eſt; ſed vel certo annorum numero, vel vitæ ſpatio definita: donec Wifredo alteri (prioris filius erat) à Carolo Craſſo datum eſt, ut eam provinciam hæreditario jure obtineret anno circiter DCCCLXXXIV. Cautum tamen eſt, ut liceret ſubditis, ſi quis quid damni præter jus faſque illis inferret, ad Regem Galliæ appellare. Ab iſto Wifredo Barcinonenſium Comitum ſtemma ducitur.

III. Tarraco de Mauris recepta, & facta vectigalis.

Hos inter Comites, cùm pietatis, tum fortitudinis laude clarus fuit Berengarius ille, qui de Mauris Tarraconem recepit. Urbs erat antiquitate, & Imperii Romani, cujus olim in Hiſpania ſedes fuerat, majeſtate nobilis. Cæterum ea ætate ad caſas penè redacta: miſſus tamen Romam Berengarius Auſetanus Epiſcopus, qui Comitis nomine eam urbem Urbano II offerret, cum cenſu annuo quinque librarum argenti. Pergrata Urbano legatio fuit: Auſetana civitas Tarraconenſi contributa eſt: Berengarius in eam ſedem tranſlatus, illique Pallium honoris ergò datum eſt. Sub hæc Bernardus Toletanus Præſul, natione Gallus, incredibili

animi magnitudine vir, Romam venit, in Syriam adverſus Saracenos iturus. Urbanus II illi autor eſt, ne Toletum, quod etiam tum egebat Paſtoris præſidio, deſerat; ſed pecuniâ, quam in bellum ſacrum paraverat, Tarraconem inſtaurandam curet. Paruit Bernardus, illiuſque curâ & impenſâ Tarraco reſtituta eſt: pro qua tributum Romanæ Sedi penſitatum eſt, primùm à Barcinonenſibus Comitibus; deinde à Regibus Aragoniis: poſtquam Raymundus Barcinonenſis anno MCXXXVII à Ramiro & gener & hæres adſcitus eſt, & adjuncta fuit Aragoniæ Catalaunia. PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

Aragonia.

ANNO DCCXXXVII mortuo Eudone Aquitaniæ Comite, Carolus Martellus principatum illius armis occupat. Eudonis filii Aſnar, Hunnoldus, & Vaiferus, paternæ ſimultatis hæredes, arma continuò corripiunt. Dum alii in Carolum movent, Aſnar in eam Hiſpaniæ partem, quæ Vaſconibus finitima erat, irrumpit, multaſque urbes Mauris eripit, multaque oppida: dicique cœptus eſt Aragoniæ Comes. Huic enim regioni ab Aragone fluvio id nominis inditum erat. Aragonia primùm Comitatûs nomine Vaſconibus contributa fuit: deinde, ubi Aſnaris genus defecit, paruit Vaſconiæ Regibus: tum Regni titulo cohoneſtata eſt. I. Aragonia Regni nomen adepta.

Gentis Princeps Ramirus fuit, Sanctii Vaſconum Regis ex impari matre filius, qui Aragoniæ Rex, vel Nunniæ Reginæ voluntate, vel patris teſtamento appellatus eſt. Is non pietate minùs, quàm bellica laude inſignis, Regnum, liberos, ſe Romanis Pontificibus vectigales fore ſanxit anno circiter MLXI quod ratum eſſe juſſerunt illius tum filius, tum nepos, Sanctius & Petrus, ſingulari pietate Principes. Quingentos Jaccenſis monetæ mancuſos aureos quotannis pro cenſu ſolvi moris fuit, ut teſtis eſt Urbanus II apud Innocentium III lib. 4 Ep. 87 apud Boſquetum. Quid verò ſibi velit illud pecuniæ genus, quæve ex quingentis mancuſis ſumma confecta ſit, viderint alii. II. Vectigalis facta bis. Semel à Ramiro.

A Ramiro cæteri Aragoniæ propagati Reges ad Ramirum alterum, cujus hæres Petronilla anno MCXXXVII Barci- III. Iterum à Petro.

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

nonenſi, quem jam appellavi, Raymundo nupſit. Raymundi ex Alfonſo filio nepos fuit Petrus ille Aragonius, qui Aragoniam Romanis Pontificibus vectigalem reddidit. Conſtitutum illi erat Baleares inſulas, quæ in Maurorum ditione erant, armis invadere: at priùs conciliandi erant, tum Piſani, tum Genuenſes, quorum tum ingens maritimis præliis gloria fuit: adhibenda etiam Innocentii III autoritas. Quare primùm in Provinciam abiit, pacis inter Provinciæ & Forcalquerii Comites conciliandæ causâ: deinde Romam ad Innocentium Pontificem anno MCCIV.

IV. Qui à Pontifice coronam accipit.

Perhonorificè ab Innocentio exceptus eſt: tum in D. Pancratii, quæ Baſilica ultra Tiberim eſt, à Petro Portuenſi Epiſcopo inunctus, à Pontifice coronam, ſceptrum, infulas, aliaque regiæ dignitatis inſignia accepit, datumque illi eſt, ut deinceps Aragoniis Regibus accipiendæ in Regno coronæ jus eſſet: coronæ verò imponendæ poteſtas facta Metropolitano Tarraconenſi, quaſi Romani Pontificis Vicario. Moris enim erat apud Aragonios, ut à morte patris filius regium nec inſigne, nec nomen uſurparet; ſed aliquantò pòſt, cùm aut miles crearetur, aut uxorem duceret.

V. Cui præſtat fidei ſacramentum.

Petrus, ut gratiam referret, ſceptrum & coronam ſuper altare beati Petri depoſuit, & Aragoniam voluit eſſe Romanæ Sedi tributariam, ducentas quinquaginta maſſas mutinæ, vel nutinæ, hoc eſt, unciarum auri, Apoſtolicæ Sedi pendere quotannis pollicitus; eaque uſus eſt formulâ, quæ etiam nunc extat in geſtis Innocentii III. Eſt verò hujuſmodi: *Ego Petrus Aragonum Rex profiteor & polliceor, quòd ſemper ero fidelis & obediens Domino meo Papæ Innocentio, ejus Catholicis ſucceſſoribus & Eccleſiæ Romanæ, Regnumque meum in ipſius obedientia conſervabo, &c.* Nec grata Aragoniis fuit ea Petri in Romanam Sedem liberalitas, nec ipſe promiſſis ſtetit, qui pro Albigenſibus, quorum partes tuebatur, contrà Simonem Monfortium dimicans in acie cæſus eſt.

VI Vectigalis eſſe deſiit.

Quin etiam impoſitum Aragoniæ vectigal, Jacobo Petri filio aliquantò pòſt dedecori fuit. Is ad Lugdunenſem Conventum anno MCCLXXIV abierat, ut quo pater ipſius ab Innocentio Romæ, eodem ipſe Lugduni à Gregorio X ritu coronam ſuſciperet: ſed ipſum ſua ſpes fefellit. Negavit

Gregorius

Gregorius id ſibi eſſe integrum: niſi priùs, quod illius pater pendere quotannis pactus erat, tributum perſolveret. Indigna res Jacobo viſa, Regnum Aragoniæ majorum virtute partum externo eſſe Principi vectigale, oblatam conditionem repudiat, & Gregorio ſubiratus Lugduno diſceſſit: inde cenſum annuum pro Aragonia penſitari deſitum eſt. Sæpius enim poſtea pro Sardinia & Corſica, quas Bonifacius VIII conceſſerat, ab Aragoniis Regibus & vectigal exactum legere eſt, & præſtitum fidelitatis Sacramentum: ut à Jacobo Bonifacio VIII; ut ab Alfonſo Benedicto XI, &c. Nuſquam verò hujuſmodi cenſus, ſive pro Aragonia ſive pro Comitatu Barcinonenſi, quod ſciam, à quoquam deinceps repetitus eſt. PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

Luſitania.

DUM Alfonſus VI, cognomento Fortis, Caſtiliæ Rex, capto Toleto Mauros bello perſequitur, externa in Hiſpaniam advocat auxilia. Cùm ex omni penè Europa, tum ex Gallia maximè, multi venerunt mira ad bellum alacritate Principes, de quibus præſtabant Raymundus Toloſæ Comes, Raymundus alter, & Henricus, uterque Burgundionis, ille Comitis, hic Ducis frater. Hoſte ex finibus depulſo, Alfonſus metu novi belli hos Principes ut ſibi conciliet, ſingulis ſingulas filias uxores dat: Raymundo Toloſano Elvira nupſit, Henrico Theraſia, Raymundo Burgundo Urraca: huic Caleciæ Præfectura data, Comitis nomine: Toloſano Comiti varia ſupellex, veſtis pretioſa, auri atque argenti pondus dos fuit, nulla in Hiſpania ditio: Henrico attributa ea Portugalliæ pars, quæ de Mauris recepta erat: datum etiam Comitis nomen, is tamen legibus, ut Regum Caſtellæ beneficiarius eſſet, veniret ad Regni Comitia, & Regem adverſus Mauros juvaret armis. Hæc anno MXCII Luſitanici Regni initia fuerunt. I. Regni Luſitaniæ initia.

Ab Henrico ſæpe victi Mauri: nonnullæ urbes iis ereptæ: aliæ in priſtinum ſplendorem reſtitutæ, ut Braccara, Conimbrica, Lamecus, Portus: revocati in eas ſedes Epiſcopi. At longè major fuit Alfonſi, qui Henricum excepit, gloria. II. Luſitania Ducatûs nomen adepta.

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

Is Portugalliam bis, ut autor eſt Innocentius III, Romanæ Sedi vectigalem fecit: ſemel, ut Ducis; iterum, ut Regis titulum obtineret. Theraſia illius mater Luſitano homini poſt Henrici obitum nupſerat: indignum illud Alfonſo viſum: unde bellum civile oritur: fit pugna: Theraſia vincitur ab Alfonſo, & in cuſtodiam traditur. Caſtellæ Rex Alfonſus VII materteræ miſeratus calamitates, valida manu Portugalliam invadit: acriter dimicatum eſt: fuſus tandem fugatuſque Caſtellanus: inde Luſitani majores ſpiritus gerere, ſuique juris factos ſe prædicare. Tum, ut augurot, Alfonſus repudiata Comitis appellatione, Dux Portugalliæ appellari cœptus eſt: quod ut ratum eſſet, impetravit à Lucio II anno MCXLIV, pactus pro annuo cenſu quatuor auri uncias.

III. Deinde Regni.

Sub hæc ingens à quinque Mauris Regibus in Alfonſum bellum exortum eſt: jam in conſpectu erant exercitus, cùm milites altero ante pugnam die, qui divi Jacobi memoriâ ſacer erat, Alfonſum in caſtris Regem proclamant. Pugnatum eſt utrinque acriter: vicerunt Chriſtiani; Mauri partim cæſi, partim capti, & quinque Regulorum ſigna in poteſtatem venerunt. Ex eo Regum Luſitaniæ inſignia in clypeo cæruleo quinque alia minora ſcuta eſſe cœperunt; quanquam aliter aliis ſuper hac re viſum ſit. Deinde evocatis undique auxiliis, Olyſſipo, quæ regionis caput erat, obſeſſa, multa prælia vario eventu facta, urbs denique vi capta eſt: magna Maurorum cædes fuit; poſtea multa de Mauris recepta oppida, ingenſque Alfonſi, cùm apud ſuos, tum apud gentes exteras gloria.

IV. Fit vectigalis.

Victoriæ famâ permotus Eugenius III Pontifex regium nomen & autoritatem anno MCL rata habuit, ejuſque exemplo anno MCLXXIX Alexander III: vectigal annuum ab utroque Pontifice imperatum; ab Eugenio quatuor auri pondo; ab Alexandro libra cum triente; ex Innocentio III duæ auri marchæ ep. 144; ex Raynaldo centum byzantii. De illo cenſu inter Sanctium (Alfonſi filius erat) & Innocentium III poſtea contentio fuit: apud utrumque in confeſſo erat, datam ab Alfonſo Romanæ Sedi pecuniam, quo nomine, oblationis, an tributi, incertum. Tributi nomine datam

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

affirmabat Innocentius; Sanctius negabat: vicit tandem Innocentius, à quo Alfonſi ipſius inſtrumentum Sanctio miſſum eſt, ex quo palam erat Alexandro III datos ab Alfonſo aureos mille, qui centum etiam in annos ſingulos diſertis verbis pollicetur. Paruit Sanctius, & pro annuo cenſu quatuór unciarum auri quingentos & quatuor marabutinos ſolvit, ut tradit Innocentius ipſe epiſt. 434. l. 1.

L. 1. Ep. 426. & 433.

V. Sæpe vectigal ſolutũ.

Quòd illo tributo necdum Innocentio factum erat ſatis, ea controverſia ab Alfonſo Sanctii filio anno MCCXII ita compoſita eſt, ut & ipſe & cæteri deinceps Luſitaniæ Reges pro cenſu annuo duas auri marchas ſingulis annis Romanæ Sedi penderent: exigendæ verò illius pecuniæ provincia Epiſcopo Braccarenſi ab Innocentio data eſt. Intra hunc modum poſtea ſtetit ſolutum à Luſitaniæ Regibus vectigal, eaque ſumma exigi ſolita eſt à Romanis Pontificibus, ut ab Honorio III anno MCCXVIII, & à Benedicto XI anno MCCCXXXVIII, &c. hic tamen cenſus aliquantò pòſt ſolvi deſitus eſt, ut locuples eſt teſtis Joannes Mariana. Ita tamen Romanis poſtea Pontificibus perſuaſum fuit, Luſitaniam Romanæ Sedis eſſe fiduciariàm, ut Gregorius XIII & pietate & modeſtiâ inſignis Pontifex, poſt Sebaſtiani in Africa cædem, ſuum eſſe diceret, Luſitaniæ Regnum, cui liberet, concedere: quòd & Henricus, penes quem tum ſumma rerum erat, eſſet Cardinalis, & Luſitania fiduciario jure Romanæ Sedi contributa eſſet. Hæc quidem ille: ſed Philippi Hiſpani, cujus potentia major erat, potior etiam cauſa fuit.

VI. Regiones verſus Orientem cedunt Luſitano.

Bis Luſitani Reges Romano Pontifice, ut arbitro, uſi ſunt. Semel anno MCCCCLXXXIV, cùm Jacobus Canus magnam Africæ partem circumvectus ad regnum uſque Congi penetravit. Iterum anno MCCCCXCIII, cùm Columbus repertâ Americâ nobilis in Hiſpaniam rediit. Hæc controverſiæ totius ſumma erat: an Guinea, aliæque quæ ad Orientem ſunt, regiones uni Luſitano; America uni Hiſpano cederet. Primam litem obtinuit Luſitanus, alterâ cecidit: Innocentius enim VIII Guineam & cæteras, quæ Orientem ſpectant, gentes Luſitano attribuit: Alexander verò VI, quæ verſus Meridiem ſunt & Occidentem, Hiſpano.

CAPUT IV.

Regnum Neapolitanum, Sicilia, Sardinia, Corſica.

Regnum Neapolitanum & Sicilia.

I. Illa Italiæ pars in varios Principatus diſtracta.

DE Regno Neapolitano & Sicilia eò breviores erimus, quò pluribus utriuſque hiſtoriam in ſecunda parte perſequimur: quæ verò nunc dicturi ſumus, ut certo quodam ordine tradantur, multiplex adhibenda diſtinctio eſt. Necdum enim ea regio, quæ Regnum Neapolitanum vulgò dicitur, in unum veluti corpus coaluerat; ſed in varias erat diſtracta partes, quarum aliæ aliis temporibus Romanæ Sedi datæ ſunt: erant enim Principatus Capuanus, Ducatus Beneventanus, Neapolitanus, Apuliæ, Calabriæ, &c. Singulos quis, quóve tempore dederit, paucis accipe.

II. Aliæ urbes Saracenis, aliæ Græcis parebant.

Poſtquam Carolus Magnus Imperii decus adeptus eſt, bellum Græcis intulit: victi ſæpe fugatique Græci, quibus Carolus anno DCCCIII pacem indulſit; eaque Italiæ portio duas in partes deſcripta eſt, quarum altera, quæ à Neapoli & Siponto ad litus uſque maris verſus Siciliam pertinet, ceſſit Græcis; Carolo altera. Deinde urbes maritimæ ab Ancona ad Hydruntum à Sarracenis occupatæ ſunt: Apuliæ & Calabriæ pars Græcis erepta; tum victi ſæpe à Ludovico II Imperatore Saraceni; Græci ab Othone Magno, à quibus tamen Calabria Saracenorum ope iterum recepta eſt. Poſtea ſingulæ ferè provinciæ in varia Imperia diviſæ ſunt: ſuus enim cuique civitati Princeps fuit, ſive Græcus, ſive Italus, ſive Saracenus. Inde extiterunt variæ ex ſingulis tum urbium, tum provinciarum nominibus petitæ appellationes, quæ rariùs antea uſurpatæ.

III. Multæ Romanæ Sedi datæ à Francis Regibus.

Sub hæc in Italiam venit è Gallia invicta Normannorum manus: poſt varia, tum in Græcos, tum in Saracenos bella, Robertus cognomento Viſcardus, qui fratribus ſuis ſublectus fuerat, Calabriam & Apuliam; Ricardus ſororis maritus, Capuam & vicinas urbes occupat. Illis Germanorum

ope bellum infert Leo IX: at Germani à Normannis ad internecionem cæſi, captuſque Pontifex & ſummo honore habitus à Roberto, gratìs Romam reductus eſt. Inferendi belli cauſa ſuberat Campania à Ricardo ſubacta, & Calabria, ſive Græcis, ſive Saracenis à Roberto erepta, quæ Pontificiæ ditionis erant: Campaniæ enim pars & Ducatus Beneventanus à Carolo Magno data erant, quæ cum Ludovicus Pius, tum Carolus Calvus rata eſſe juſſerunt, à quibus aliæ, & provinciæ, & urbes additæ ſunt; à Ludovico, cùm multæ urbes in Campania, tum Capua ipſa, tum multa Patrimonia, ut Salernitanum, Neapolitanum, Calabriæ inferioris & ſuperioris, & cætera, quæ Imperii erant, Patrimonia, ut in illius diplomate apud Cardinalem Baronium legere eſt ad annum DCCCXVII; à Carolo Calvo Ducatûs Beneventani oppida omnia, regio Samnitium, & Calabria integra, ut tradit Eutropius Longobardus Preſbyter. PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

IV. Robertus Viſcardus vectigales reddit Pontifici.

Roberto Viſcardo, cujus pietas fortitudini par erat, teſte Leone Oſtienſi, nihil antiquius fuit, quàm ut Romanum ſibi conciliaret Antiſtitem. Romam igitur, & ſuo, & Ricardi nomine, Legatos mittit ad Nicolaum II: rogat ut in Apuliam venire ne gravetur. Annuit Pontifex: Melphis habetur Conventus anno MLIX: aderant multi Epiſcopi, & Robertus & Ricardus Principes: quos inter & Nicolaum ita convenit, ut ille Dux & Apuliæ & Calabriæ; hic Princeps Capuæ diceretur. Cæterum utriuſque fides ſacramento Romano Pontifici obligata, certaque in annos ſingulos conſtituta penſio eſt: pro quoque boum jugo quotannis Papienſis monetæ denarii duodecim. Inde Apulia, Calabria, Campania, fiduciariæ poſſeſſionis, quam feudum dicimus, eſſe cœperunt.

V. Sacramenti quod præſtitit, formula.

Juvat juramenti utriuſque formulam, quâ Robertus Viſcardus uſus eſt, hoc loco appingere; non integram tamen, ne longior ſit. Eſt verò in utroque, quòd quis jure miretur Robertum, ut Apuliæ & Capuæ, ita & Siciliæ, quæ tum ſerviebat Saracenis, Ducem appellari. Primâ, quâ cenſus explicatur, formula eſt hujuſmodi: *Ego Robertus Dei gratia & ſancti Petri Dux Apuliæ & Calabriæ, & utroque ſubveniente futurus Siciliæ, ad confirmationem traditionis, &*

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

ad recognitionem fidelitatis de omni terra, quam ego propriè ſub dominio meo teneo, & quàm adhuc ulli Ultramontanorum uſquam conceſſi, ut teneat, promitto me annualiter pro unoquoque jugo boum penſionem, ſcilicet duodecim denarios Papienſis monetæ, perſoluturum beato Petro & tibi Domino meo Nicolao Papæ, & omnibus ſucceſſoribus tuis, aut tuis aut tuorum ſucceſſorum Nuntiis, &c. Sacramenti verò, quod vocant fidelitatis, verba ſunt hæc: *Ego Robertus Dei gratiâ & S. Petri Dux Apuliæ & Calabriæ, & utroque ſubveniente futurus Siciliæ, ab hac hora & deinceps ero fidelis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & tibi Domino meo Nicolao Papæ, in conſilio, vel in facto, unde vitam, aut membrum perdas, aut captus ſis mala captione, non ero: conſilium, quod mihi credideris, & contradices, ne illud manifeſtem, non manifeſtabo ad tuum damnum, me ſciente: ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ubique adjutor ero ad tenendum & ad acquirendum regalia S. Petri, ejuſque poſſeſſiones pro meo poſſe, contra omnes homines, &c.* Nec ſpem Nicolai feſellit Robertus: illi enim reſtituta omnia, quæ in Ducatu Beneventano erant, Patrimonia, & ſubmiſſæ Romam verſus Normannorum copiæ, à quibus omnes, ſive Principes, ſive Reguli, qui in ditione erant Pontificia, ad officium redire, & Romano Epiſcopo parere juſſi ſunt.

VI. Roberti & Normannorum laudes.

Secundùm hæc Robertus in Siciliam trajicit, victiſque ſæpe Saracenis, Meſſanâ, Panormo, aliis Inſulæ oppidis potitus, duas in partes regionem omnem deſcripſit: una ipſi, cujus Panormus caput erat; altera Rogerio fratri ceſſit: tum Tarentum Bariumque Græcis eripit; Salernitanum Principatum ſuæ ditionis fecit; & victis ſæpe Græcis, Venetis, Germanis, Italis, Saracenis, non pietate minùs, quàm victoriis inclytus obiit anno MLXXXIV: cujus in laudem & fratrum & cæterorum Normannorum ex Fazello, qui Siciliæ ſcripſit Hiſtoriam, hæc apponere libitum eſt: *Erant namque in his fratribus, totoque eorum comitatu ea ferme majeſtas, corporis proceritas, virium ac ſapientiæ magnitudo, ut qui eos ignorabat, non ex uno parente, ſed ex toto terrarum orbe ſelectos, nec ad militandum, ſed & ad regnandum genitos judicaret. Gens audax, bellicoſa & in rebus gerendis ſagax, & quâ ſuo tempore nulla alia in Europa, militiâ fuit felicior. Nullus equi-*

dem unquam fuit hoſtis, quem ferociter bello non appetierint, aut laceſſiti magna cum laude non repulerint: neque aliqua fuit regio armis ab eis impetita, quâ non celeri victoria curſu ſint potiti. Gens demum non ſolùm fortitudine, verùm & pietate quoque inſignis. Nam cùm hi, tum ſeptem Italiæ regiones, tum Siciliam in regna contraxerint, Chriſtianæ fidei columina, Chriſtianorum tutores acerrimi fuerunt, fundatores templorum, cœnobiorumque illuſtrium, quæ ad memoriam uſque noſtram mira viſuntur.

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

VII. Rogerius nomen regium obtinet.

Roberto duo erant filii, Rogerius & Boamundus: ille Apuliæ & Calabriæ; hic Antiochiæ Princeps. Rogerius patris exemplo ſacramentum fidelitatis Urbano II præſtitit anno MXC. Huic ſucceſſit Willelmus, Willelmo Rogerius item alter, Rogerii, qui Viſcardi frater erat, filius. Is capta Neapoli regium nomen obtinuit: ſemel anno MCXXX ab Anacleto Antipapa, cujus partes fovebat; iterum ab Innocentio II anno MCXXXIX. Rogerio Innocentius bellum intulerat; at pari, quo olim Leo IX Roberto, eventu. Dum enim Rogerius Innocentium varia pacis ſpe deludit, à Willelmo illius filio circumſeſſus capitur: deductuſque Neapolim magnificè à Rogerio cultus ipſi regium nomen indulſit. Id ſanè Romanæ Sedi & glorioſum fuit & ſingulare, quòd & victus & captivus Pontifex victorem viderit ſupplicem, & coronæ jus, cæteraque regni inſignia conceſſerit. Vectigal etiam ſchiffatorum ſexcentorum ab Innocentio in annos ſingulos imperatum: inde Regum Neapolitanorum ſtemma propagatum eſt. An Sicilia fuerit à Ludovico Pio data, an ſecus, ſuprà egimus.

VIII. Carolus Andegavenſis pro Sicilia vectigal ſolvit.

A Normannis ad Suevos anno MCXCIII Siciliæ Regnum tranſiit; ſed ſumma autoritas penes Romanos Pontifices erat: quod cùm ſæpe aliàs, tum poſt Henrici VI & Conradi obitum maximè enituit. Miſſus eſt enim ab Innocentio in Siciliam Legatus, qui Friderici pueri nomine publicam rem adminiſtraret; & Carolus Andegavenſis ab Urbano IV, quòd Manfredus ditionem Pontificiam vexaret, ad ſpem regni evocatus, & à Clemente IV anno MCCLXVI Rex appellatus eſt: ea tamen lege, ut quinquaginta aureorum millia Romanæ Sedi quotannis ſolveret. Addita

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

etiam altera conditio eſt: ut & ipſi, & cæteris deinceps Siciliæ Regibus nefas eſſet, imperii inſignia aſſequi. Si quis verò ea fuiſſet adeptus, is continuò Siciliâ cederet; quæ conditio multò pòſt in gratiam Caroli V Imperatoris anno MDXXI à Leone X abrogata eſt.

IX. Sicilia à Regno Neapolitano abſtracta.

Qua ratione Siciliæ Regnum à Neapolitano abſtractum fuerit; quibus inde bellis arſerit Italia; quis præliorum exitus; quot fœdera inita, & reſciſſa; quî tandem utrumque Regnum Hiſpano Regi ceſſerit, deſcribere, tertiæ Partis munus erit, cùm de Hiſtoria Siculæ Eccleſiæ agendi locus erit uberior. Nunc ſatis habebo pauca è pluribus exempla ſubtexere, ex quibus quiſque intelligat, Regnum utriuſque Siciliæ, ut vulgò dicitur, Romanæ Sedis fuiſſe ad noſtram uſque ætatem vectigale.

X. Romanorum Pontificum in Siciliam & Neapolim jus ſummum.

Poſtquam ab Aragoniis erepta Gallis Sicilia eſt, Fridericus Aragonius anno MCCCIV per Legatos Benedicto XI profeſſus eſt, Regnum Trinacriæ, id enim nominis Siciliæ inditum erat, Romanæ Sedis eſſe fiduciarium. At vetuit Benedictus, ne Siciliæ Regis, quod Caroli Andegavenſis proprium erat, ſibi nomen adſciſceret. Anno MCCCVI dum Robertus Dux Calabriæ, Caroli Regis filius, patris nomine Clementi V fidem obligaret; à Clemente ſancitum eſt, ut à Romanis Pontificibus, ſi libitum eſſet, Rex ipſe Siciliæ ad ſacramentum præſtandum evocaretur. Carolo II plures erant filii, Carolus Martellus natu maximus, ſecundus Ludovicus Toloſanus Epiſcopus, Robertus Calabriæ Dux. Natus erat Carolo Martello Carolus filius, qui Hungariæ Regnum aviæ jure adeptus eſt: ſuperſtes etiam tum erat Carolus Siciliæ Rex. Is incertus utrius, filii Roberti, an Caroli nepotis in Regnum Neapolitanum potiora eſſent jura; Bonifacio VIII rem omnem permittit. Pro Roberto pronuntiatum eſt, decretumque anno MCCXCVII, ut qui Regi & ætate & ſanguinis gradu propior erat, is Regnum capeſſeret: quam Bonifacii ſanctionem ratam fore juſſit anno MCCCIX Clemens V, à quo Robertus Regis & nomen & inſignia Avenioni obtinuit, ubi ſe ſolemni obſtrinxit fidelitatis, ut vocant, ſacramento: quin etiam pro annuo cenſu octo millia unciarum auri bis ſolviſſe perhibetur; ſemel

anno

anno MCCCXXXV, iterum anno MCCCXXXIX.

Si quis verò Regum, & ſolemni ritu ſponſionem facere detrectaret, & pendere vectigal, hunc interdum objecto anathemate officii admoneri moris erat. Ita Innocentius VI anno MCCCLV ob cenſum non ſolutum Joannam Neapolitanam in jus vocavit. Diuturna fuerant inter Neapolis & Trinacriæ Reges bella, variæ utrinque & acceptæ & illatæ clades: cùm anno MCCCLXXII inter Joannam & Fridericum pax autore Gregorio XI conciliata eſt: Trinacria Friderico permiſſa eſt; triplex tamen adjuncta conditio: prima, ut Joannæ & aliis deinceps Neapolitanis Regibus pro vectigali annuo tria millia unciarum auri ſolveret: altera, ut Romanæ Sedi ſe & ſubditum & fidelem ſolemni formula profiteretur: tertia, ne Inſulam in plures, ſive Principatus, ſive Toparchias divideret.

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

XI. Friderico Trinacriæ Regi leges præſcriptæ.

A Joanna II, quæ Ladiſlai Regis ſoror erat, plures in ſpem Neapolitani Regni adoptati ſunt: primùm Alfonſus Aragonius; deinde Ludovicus Andegavenſis; denique poſt Ludovici interitum illius frater Renatus. Ubi Joanna obiit, miſſus eſt cum exercitu anno MCCCCXXXIV Joannes Vitelefcus Patriarcha Alexandrinus, qui Eugenii IV nomine Regnum & occuparet, & regeret: cùm diceret Eugenius Alfonſi adoptionem reſciſſam eſſe, Renati dubiam, utriuſque nullam; quòd Joannæ nihil juris fuerat Regni Neapolitani, quod Romanæ Sedi fiduciarium erat, hæredem pro arbitrio ſcribere. Mitior tandem factus Alfonſo Eugenius ob ejectum è Piceno Franciſcum Sfortiam, multaque oppida Romanæ Sedi reſtituta, adoptionem illius ratam habuit; iiſdemque ferè conditionibus, quibus olim Carolo Andegavenſi Clemens IV Regnum ipſi Neapolitanum conceſſit anno MCCCCXLIII.

XII. Eugenius IV Regnū Neapolitanum dat Alfonſo Aragonio.

Anno MCCCCLVI à Calixto III, qui Alfonſo infenſus erat, publico edicto ſancitum eſt, ut Regnum Neapolitanum Romanæ Sedi, cujus feudum erat, reſtitueretur. At decretum Callixti à Pio II anno MCCCCLVIII reſciſſum eſt, & Neapolis cum Regno integro Ferdinando (Alfonſi filius erat) conceſſa; durioribus tamen, paulò quàm antè, legibus: ut continuò Pontifici redderet Beneventum, poſt

XIII. Pius II Ferdinando illius filio.

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

decem annos Terracinam, cenſum à Joannæ Reginæ tempore, in illam uſque diem debitum ipſe perſolveret: quoties opus foret, Romanis Pontificibus mitteret auxilium. Cùm verò Ferdinandus, quod pactus erat, tributum non penderet, anno MCCCCLXXXIX illi jus regni ab Innocentio VIII abrogatum eſt, quod Alfonſo ejus filio anno MCCCCXCIV reſtituit Alexander VI: qui etiam anno MCCCCXCVII Friderico Alfonſi fratri regni inſignia deferri voluit à Cæſare Borgia Cardinale.

XIV. Julius II Ferdinando Aragonio.

Mutata eſt haud multò pòſt rerum facies. Fama erat, Fridericum cum Turca Bajazethe iniiſſe fœdus: inde, cùm Pontificis, tum Chriſtianorum Regum in Fridericum exarſerunt odia; illiuſque Regnum inter Galliæ & Hiſpaniæ Reges ita diviſum eſt, ut Apulia & Calabria Ferdinando Hiſpano, Neapolis Ludovico Franciæ Regi ceſſerint anno MDI. At paulò pòſt ejectis Gallis Regnum integrum obtinuit Ferdinandus: cui etiam anno MDX remiſſum eſt à Julio II annuum vectigal. Duo tantùm imperata: unum, ut equus albus quolibet triennio repræſentaretur; alterum, ut quoties in ditione Pontificia bellum eſſet, auxiliares mitterentur trecenti gravis armaturæ equites.

XV. Leo X Carolo V Imperatori.

Denique Leo X abrogata Clementis IV lege Carolo V indulſit, ut Regnum Neapolitanum unà cum Imperii titulis retineret: graviores tamen additæ ſunt initi inter ipſos fœderis pactiones: ut armato milite inſtructæ triremes duæ à mari Tyrrheno piratas prohiberent: ut pro cenſu annuo & ſeptem millia aureorum ducalium penderet, & equum offerret nivei coloris: ut reis, qui è Pontificia ditione fugiſſent, nihil eſſet in Regno Neapolitano præſidii: ut fidem ipſe ſolemni ritu præſtaret Pontifici, & vectigalia à Ferdinando non ſoluta perſolveret.

Sardinia.

I. Sardinia variis gentibus paruit.

SARDINIA, quamdiu ſui juris fuit, proprios habuit judices; quando alieni, exteris paruit Regibus; variis eſt perfuncta bellis: à Genſerico Vandalorum Rege anno CCCCLVI Romanis erepta eſt; à Leone Imperatore anno

CCCCLXVIII recepta, pòſt iterum amiſſa tum à Beliſario anno DXXXIV domita, & Præfecto Africæ contributa anno DXCVI occupata à Longobardis, anno DCCXXV à Saracenis, qui à Luitprando anno DCCXXX pulſi ſunt, ipſique poſtea anno circiter DCCC à Francis Longobardi. Si quando verò excuſſo exterorum jugo in libertatem ſe vindicavit, continuò à popularibus ex antiquo more creati Judices, penes quos ſumma rerum poteſtas erat. PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

Anno DCCCXVII Inſula integra Romanæ Sedi à Ludovico Pio data eſt, ſi donationis verbis credimus: *Et inſulas Corſicam & Sardiniam & Siciliam ſub integritate, cum omnibus adjacentibus, & territoriis maritimis, litoribus, portubus, ad ſupradictas civitates & inſulas pertinentibus.* Poſtea ſummum Inſulæ totius imperium penes Romanos Pontifices fuit: Sardis tamen proprios habere Magiſtratus licuit, qui gentis nomine ſolemni ſacramento fidem Romano Pontifici obligabant. Cujus rei locuples eſt teſtis Innocentius III. Is enim Piſanum Archiepiſcopum, cui Primatum in Sardiniam Innocentius II indulſerat, admonet, ne quid exhibeat moleſtiæ Marchioni Calaritano. *Quòd Apoſtolicæ Sedi ſolemni juramento fidelem ſe profiteretur: quòd Inſula*, inquit, *Sardiniæ juris ac proprietatis Apoſtolicæ exiſtat, & Judices ejus Eccleſiæ Romanæ ſacramentum fidelitatis debeant, & ſoleant exhibere, tua fraternitas non ignorat.* II. A Ludovico Pio data Romanæ Sedi. *L. 7. Ep. 109.*

Eò etiam pertinent Honorii III de Piſanis querelæ: ii tranſmiſſâ in Sardiniam validâ militum manu partem Inſulæ anno MCCXVII occupant, arcemque, quò bello parta tuerentur, conſtruunt: de quo, ut audiit Honorius, Piſas Legatum mittit Ugolinum Oſtienſem Epiſcopum, ut à Sardinia, quæ ditionis erat Pontificiæ, abſtineant, arcemque vel diruant funditus, vel dedant Pontifici; ſed fruſtra fuit. Honorio non paruerunt Piſani, variiſque bellis vexata, & in varios diſtracta Principatus Sardinia eſt, donec anno MCCXCVII Bonifacius VIII eam Inſulam dedit Jacobo Aragonio. Quæ verò dandi cauſa fuerit, paucis dabo. III. A Bonifacio VIII data Aragonio Regi.

Atrox fuerat & diuturnum inter Neapolitanos & Aragonios Reges de Sicilia bellum. Inter eos Bonifacii operâ pax facta tandem eſt: fœderis hæ leges ſcriptæ ſunt, ut Aragonius, IV. Sed vectigal impoſitum.

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

& Carolus Valeſius jure abſcedant, quo ille Siciliam, hic Aragoniam ſibi vindicat: ſi Siculi parere recuſent, Aragonius ad bellum copiarum tantum det, quantum Arbitri judicarint: ex arcano Sardiniæ & Corſicæ Aragonio injecta ſpes dono Pontificis: hæc quidem anno MCCXCV: ſed anno MCCXCVII utraque inſula Aragonio tradita eſt: imperatum duplex vectigal; alterum nummarium, marcharum auri duo millia; militare alterum, centum cataphracti equires, & quingenti pedites, ſi terreſtre bellum ingrueret; ſi navale, certus, habita ſumptuum ratione, & militum & navium numerus: additum etiam, ut nec Sardiniam à Corſica, nec utramque ab Aragonia diſtrahere fas eſſet; & ſi deeſſet legitimus hæres, utraque ad Romanam Sedem eodem, quo antea, jure pertineret.

V. Præſtitum etiam fidei ſacramentum.

Secundùm hæc præſtitum à Jacobo Rege Pontifici fidei ſacramentum, cujus formula eſt hæc: *Ego Jacobus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Rex Sardiniæ & Corſicæ plenum vaſſalagium, fidelitatem & ligium homagium faciens, & juramentum præſtans pro dicto Regno Sardiniæ & Corſicæ ab hac hora inantea fidelis & obediens ero B. Petro & Domino meo Domino Bonifacio divinâ providentiâ Papæ VIII, &c.* quod aliquantò pòſt bis Jacobus renovavit; ſemel anno MCCCIV per Legatos Benedicto XI Peruſii; iterum ipſe anno MCCCV Clementi V apud Montem Peſſulanum. Idem etiam illius exemplo factitatum à Petro Jacobi filio, à quo etiam vectigal anno MCCCXXXIX Benedicto XII perſolutum eſt, duo millia marcharum auri. Quæ verò bella inter Piſanos, Genuenſes, Aragonios in Sardinia geſta ſint, non eſt hujus loci explicare pluribus.

Corſica.

I. Corſica data Romanæ Sedi à Carolo Magno; pars Genuenſibus ab Honorio III.

QUÆ de Sardinia dicta ſunt à nobis hactenus, ad Corſicam etiam nonnihil pertinent: eadem enim propè Inſulæ utriuſque fortuna fuit; iiſdemque ſive populis, ſive Principibus ſervire coacta eſt. Primùm à Carolo Magno; deinde à Ludovico Pio, itidem ac Sardiniæ Romanæ Sedi data eſt; tum Saracenis ſæculo nono prædæ fuit: pòſt duas in partes deſcripta eſt, quarum altera ab Honorio III anno

MCCXVII Genuenſibus ideo promiſſa, quòd monenti Pontifici, ut abſtinerent à Sardinia, paruiſſent. Duo tamen ab Honorio imperata ſunt, ſacramentum fidelitatis, ut dicitur, quod urbis Prætor civium nomine emitteret, & libra auri quotannis. Eſt tamen in Honorii epiſtola, unde nec immeritò ſuſpicer, eam Corſicæ partem fuiſſe jam antea datam Genuenſibus; his enim verbis utitur: *Ianuenſi civitati medietatem inſulæ Corſicæ ad exemplar eorumdem prædeceſſorum noſtrorum concedimus.* PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

II. Integra Jacobo Aragonio à Bonifacio VIII.

Anno MCCXCVII Bonifacius VIII, uti dictum eſt, eam inſulam iiſdem, quibus Sardiniam, legibus Jacobo Aragonio conceſſit: unde bellum contra Piſanos, à quibus nullo jure occupata fuerat, exarſit: vario marte pugnatum, tandemque pax ſancita eſt: Calaris à Piſanis retenta, reliqua Inſula Aragonio ceſſit; idemque pro ea, quod pro Sardinia, vectigal ab Aragoniis pendi moris fuit: donec anno MCCCXLVII Procerum omnium conſenſu ad Genuenſes deficit: orto inde bello Joannes Montis-Ferrati adhibitus Arbiter: pro Genuenſibus pronuntiatum eſt anno MCCCLX, ad quos miſit Innocentius VI, qui ipſius nomine, & cenſum annuum, & ſolemne fidei ſacramentum exigeret.

CAPUT V.

Dalmatia, Croatia, Servia ſive Raſcia, Boſna, Bulgaria.

Dalmatia & Croatia.

I. Croatiæ diviſio.

De Croatiæ & Dalmatiæ Regibus eò pauciora dicam, quòd omnia ferè obſcura ſint & dubia; nihilque certi habeam, quod affirmare auſim. Qui enim regionis illius Hiſtoriam ſcripſit vir eruditus Joannes Lucius, conjecturis ſæpe, non argumentis certis utitur. Regni Croatiæ nomine regionem illam omnem intelligimus, quæ à Dravo flumine ad mare uſque Dalmaticum pertinet. Tres illius partes erant: prima, interamnenſis ſive Savia; altera, mediterranea, ſive

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

propria Croatia; tertia, maritima, quæ Dalmatiæ portio fuit. Regnum verò Dalmatiæ continebat, & omnes, quæ ad Occidentem ſunt, Dalmatiæ inſulas, & in continenti Jadrenſe, Tragarienſe, & Spalatenſe territoria; quæ anguſtis tum finibus circumſcripta erant.

II. Dalmatia multis gentibus paruit.

Dalmatia Occidentalis Imperii provincia olim fuit, & Præfectis Prætorio Italiæ paruit; deinde Herulis, tum Gothis Italiæ Regibus: pòſt devictis in Italia Gothis, ut præcipuis Italiæ urbibus, ita Dalmatiæ Dux inſtitutus eſt. Deinde dum Græci & inteſtinis & Bulgarorum bellis implicati ſunt, Dalmatæ Carolo Magno, qui Italiæ Regno jam potitus erat, anno DCCCVI ſe dedunt: paulò pòſt tamen miſſa à Nicephoro claſſis Dalmatas Græcis iterum ſervire compulit: denique imperante Michaële Balbo in libertatem ſe vindicant anno DCCCXXII, ſuique juris eſſe cœperunt. Sed haud multò pòſt, Slavorum metu ſe ſuaque permittunt Venetis: unde Dux, ut Venetiæ, ita Dalmatiæ dici cœpit.

III. Croatiæ & Dalmatiæ Duces & Reges.

Croatiam, quæ à Slavis paulò antè occupata fuerat, Occidentali adjecit Imperio Carolus Magnus: ita ut Savus flumen utriuſque Imperii limes eſſet, & terminus: eaque regio, quæ Forojulienſibus olim Ducibus paruerat, à Ludovico Pio inter quatuor Comites deſcripta eſt. Ubi verò Francorum Imperatorum virtus defecit, & indoles, à Croatis pulſi Comites, Duxque ſublectus eſt: quanquam Croatia his Ducibus an integra paruerit, an ſecus, non liquet, in plures ſive Banos, ſive Duces, diſtractam fuiſſe tradit Joannes Lucius: anno MLII ſumma rerum omnium poteſtas uni Creſimiro Petro permiſſa eſt; iſque omnium princeps & Croatiæ, & Dalmatiæ ſe Regem inſcribit: qua verò ratione Dalmatiâ potitus ſit, populorum defectione, fœdere aliquo, an armis, obſcurum eſt.

IV. Fiunt Romanæ Sedi vectigales.

Creſimirum excepit Slavizo; Slavizonem Demetrius ille Zuovimirus, qui ut ſua in Dalmatiam jura firmiora eſſent, à Legato Gregorii VII tradi ſibi voluit regni inſignia. Creſimiri filius, an nepos fuerit, ex regio ſtemmate, an ſecus, non conſtat. Ut ut eſt, Croatiæ & Dalmatiæ Ducis nomen primùm ſibi adſcivit; deinde ab Gebizone Cæſenate Epiſcopo anno MLXXVI Gregorii VII juſſu Rex appella-

tus eſt, regiaque ſolemni ritu accepit ornamenta, vexillum, enſem, ſceptrum & coronam: pactus etiam annuum vectigal ducentorum byzantiorum. Sacramenti verò, quod præſtitit, formula eſt hujuſmodi: *Ego Demetrius, qui & Suinmur D. G. & Apoſtolicæ Sedis dono Rex ab hac hora in antea S. Petro, & D. meo P. P. Greg. ſuiſque ſucceſſoribus canonicè intrantibus ero fidelis*, &c. quæ nos docuit Synodus in Dalmatia tum celebrata, cujus acta ex archivo Lateranenſi retulit Baronius. Qua verò ratione Croatia Hungaris Regibus, Venetis Dalmatia poſtea ceſſerit; quæ inter utroſque geſta ſint bella; quæ ſancita fœdera, explicare non eſt noſtri inſtituti. PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

Servia ſive Raſcia, & Boſna.

UT Servia Dalmatiæ veteris, ita Serviæ Boſna pars fuit. Nomen à Boſna flumine, quo alluitur, inditum eſt: anguſtioribus olim, dum paruit Hungaris; latioribus poſtea fuit definita terminis, maximè ubi Regni & nomen & decus adepta eſt. Servia Orientis Imperio, Boſna Hungarico Regno contributa fuit. Qui Serviæ præerat, Græco-Slavo vocabulo *Megalupanus* dictus eſt: qui Boſnæ, vel *Dux* vel *Banus*. Boſna tandem Stephano Duci à Carolo Hungariæ Rege Principatûs nomine permiſſa eſt anno circiter MCCCXX, tumque ſui juris eſſe cœpit; quod ex iſta, quæ Tragurienſium epiſtolæ præfixa eſt, epigraphe intelligi poteſt: *Magno & potenti Domino Stephano Libero Principi & Domino Boſnæ.* I. Boſnæ Principes.

Græcorum Imperium ut à Francis everſum eſt, captaque Conſtantinopolis, Joanniſſius Bulgariæ Dominus Thraciæ, Andreas Hungariæ Rex Serviæ partem occupavit: unde ille Bulgariæ, hic Serviæ Rex dici cœpit. Serviæ tamen præfectus erat à Rege de more Megalupanus, qui Bulgari exemplo regios honores affectare inſtituit. Negavit quidem Innocentius III; ſed Honorius III aliquantò pòſt indulſit: regium tamen nomen non à Servia petitum eſt, ne id ægrè eſſet Andreæ Regi; ſed à Raſcia, (pars erat Serviæ Orientalis) à fluvio cognomine ſic dicta. Inde Raſciæ Reges propagati ſunt, quibus omni laude præſtitit Stephanus ille cognomento II. Raſciæ Reges.

Magnus, qui victis ſæpe Græcis Imperator Romaniæ dici voluit.

III. Boſnæ Reges.

At brevi ea Raſciæ gloria ipſius filii inertiâ concidit: diſtracto enim Procerum diſſidiis varias in partes Regno, Wchaſſinus Regis nomen uſurpat; quo paulò pòſt victo Tuarrkus Boſnenſis ſive Banus, ſive Princeps, Serviâ integrâ Ludovici Hungariæ Regis, cui affinis erat, ope anno MCCCLXXVI potitus eſt, & Ludovici conſenſu regni ſumpſit inſignia. Ab eo Boſnenſium Regum ſtemma ducitur: ſæpius enim Boſnæ, quòd in Boſna, ut plurimùm reſiderent, quàm Serviæ Reges appellati ſunt.

IV. Boſna fit vectigalis.

Boſna anno MCCCCLXIII Reges habere deſiit armis à Mahomete perdomita. Thomæ Regis uxor Catharina Romam fugit, ubi, quæ ad victum opus erant, à Paulo II & Sixto IV ſuppeditata ſunt: cujus beneficii memor Sedem Romanam anno MCCCCLXXIX teſtamento ſcripſit Regni hæredem, ſeu potiùs donationem Thomæ, ſive Regis, ſive Deſpotæ, ratam eſſe juſſit: is enim, ut ſcribit ad Michaëlem Borgiam Callixtus III anno MCCCCLVIII Romanæ Sedi Raſciam moriens dederat, & Cardinalis ſancti Angeli Callixti nomine in illius provinciæ poſſeſſionem venerat.

Bulgaria.

I. Bulgari Chriſtianā fidem amplectuntur.

BULGARIA dicitur is Europæ tractus, qui ex una parte Serviâ & Thraciâ, ex altera parte Danubio & Ponto Euxino clauditur. Multis de Græcis Imperatoribus victoriis nobilitatum olim fuit Bulgarorum nomen. Eorum Rex Bogaris anno DCCCXLV à Theodoro Cuphara captivo ad fidem Chriſtianam eruditus, judicii ultimi metu, baptizatus eſt, & à Græci Imperatoris nomine nomen ſibi Michaëlis adſcivit. Deinde anno DCCCLXVI miſit Romam ad Nicolaum I Legatos, qui ipſius nomine peterent viros & virtute præſtantes & doctrinâ, qui Bulgaros Chriſtianæ religionis fidem, præcepta, ritus edocerent. Miſſi Paulus & Formoſus Epiſcopi, quorum operâ Bulgarorum gens omnis Chriſto nomen dedit. Ea verò quæ ſubinde orta ſunt inter Romanos Pontifices & Conſtantinopolitanos Patriarchas diſſidia,

diſſidia, utrius Patriarchatus eſſet Bulgaria, Romani, an Græci, nihil ad nos attinent. PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

Quandiu floruit Bulgarorum res, moris erat, ut Romanus Pontifex ad Regem coronam dignitaris inſigne mitteret: quod in Petro, Samuele, aliiſque Bulgarorum Regibus factitatum nos docent & Calojoannis ad Innocentium III, & Innocentii ad Calojoannem epiſtolæ. Modò enim Romano Patriarchæ adhærebant, modò Conſtantinopolitano, pro varia temporum ratione, Regumque arbitrio. Si enim pax erat cum Græcis, Græco parebant; ſin minùs Romano. Vario marte contra Græcos ab iis pugnatum eſt, donec anno DCCCCLXXI cum Ruſſis, Turcis, Scythis, aliiſque Barbaris contra Joannem Zemiſcem fœdus ineunt: ſed à Zemiſce multis præliis fuſi, fugati, cæſi ſunt; captus Rex Boriſis cum liberis: nomen Regis Regnique apud eos extinctum, ipſique Græcis ſervire coacti. Anno tamen DCCCCLXXXI à Samuele illorum vel Duce, vel Rege turbari cœptum eſt: ſed anno DCCCCXCVIII à Baſilio Imperatore cum iis debellatum eſt, ipſique captivorum more, alii aliò per Græciam diſperſi; & Bulgariæ præfecti ſunt ab Imperatore Græci Magiſtratus. II. Græcis ſervire coacti.

Ea erat Bulgarorum ſerviendi conditio, cùm anno MCCIV Conſtantinopolis à Francis capitur: tum Calojoannes, ſive Joannicius, (aliter enim ab aliis appellatur) pulſis è Bulgaria Græcis, ſe ſuoſque in libertatem aſſerit, & collecto exercitu Thraciæ partem occupat. Sub hæc advenit in Bulgariam ab Innocentio III Archipreſbyter Brunduſinus, benignè à Calojoanne excipitur, qui ſive illius conſilio, ſive laudis ſtudio regiis inſignibus veterum Regum more ab Innocentio ornari expetiit: omnia ultro indulſit Innocentius: miſſa enim Calojoanni corona eſt, ſceptrum, vexillum ſigno crucis & clavibus geminis inſigne: Archiepiſcopo Trinovitano Pallium; Regi præterea, quod quis fortè miretur, cudendæ monetæ jus datum, quæ ipſius & nomine & charactere notata eſſet: Archiepiſcopo Primatûs delata dignitas; & uterque à Leone Cardinali, Bulgarorum & Blachorum, ille in Regem, hic in Primatem conſecratus eſt. In his tamen omnibus, ut quod res eſt, fatear, nulla tributi annui, nulla III. A Romano Pontifice coronam accipiunt.

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

vectigalis mentio eſt. Aliquantò pòſt Bulgariæ ab Hungaris Regibus multæ illatæ clades: anno MCCLXX à Stephano tributaria facta eſt; à Ludovico perdomita; & abducto Stratimiro Rege Hungaricæ ditioni adjuncta eſt anno MCCCLXVI.

CAPUT VI.

Hungaria, Polonia, Lithuania, Ruſſia.

Hungaria.

I. Hungariæ Duces Chriſtiani. QUA ratione, & Stephano Hungarorum Duci regium nomen conceſſum, & Hungaria Romanæ Sedi data ſit, adeo pervulgata res eſt, ut id multis perſequi nihil opus ſit. Hungari, gens erat Scythica, Pannoniæ partem, quæ ab iis Hungaria dicitur, octavo ſæculo invaſerunt. Qui illis præerat, Hungariæ Dux vulgò dictus. Ex iis Ducibus Chriſtianam fidem Geiſa, ut multis viſum eſt, omnium princeps amplexus eſt. Geiſæ filius fuit Stephanus ille, qui bellicæ virtutis laudem ſanctitatis gloriâ cumulavit. Is apud ſuos principatum ut adeptus eſt, nihil habuit antiquius, quàm ut & Hungaros & Hungariæ finitimas gentes ad Chriſtianam religionem ſuis tum verbis, tum exemplis erudiret.

II. Reges à Romano Pontifice coronam accipiunt. Ubi univerſa penè Hungaria palam Chriſtum profiteri cœpit. Stephanus anno M Romam mittit Aſtricum Coloceníem Epiſcopum, qui à Romano Pontifice impetraret, & ipſi regium diadema, & Eccleſiæ Strigonienſi Metropolitanam dignitatem, quo & Duci & Epiſcopo ad fidem longiùs propagandam plus eſſet autoritatis. Silveſter II coronam eleganti opere confici juſſerat, quam Polonorum Duci mitteret: ſed eam admonitus in ſomnis, Hungaris, qui uno die pòſt venerunt, dedit; quod in Stephani vita refert Cartuitius Epiſcopus. Stephano præterea ob navatam in Chriſtiana re promovenda operam Silveſter ſuas vices detulit, tum in Hungaria, tum in vicinis regionibus: datum etiam Strigonienſi Metropolitæ, ut Regem coronaret. Poſt-

quam in Regem unctus eſt Stephanus, Chriſtianæ religioni procurandæ totus incubuit.

Regnum Hungariæ tum à Stephano Romanæ Sedi datum, cùm multi Autores ſunt, qui Hungaros Chriſti Vicario ſe ſuaque devoviſſe teſtantur; tum Gregorius VII, cùm alibi ſæpe, tum maximè duabus ad Salomonem & Geiſam Hungariæ Reges epiſtolis. Queritur enim à Salomone peccatum graviter, quòd ab Henrico Imperatore acceperit Regni inſignia: Geiſam verò, à quo pulſus erat Salomon, vehementer rogat, ut & jura Romanæ Sedis ſalva eſſe velit, & alii Principi, quàm Summo Pontifici, ſubjici Hungariam ne patiatur. Aliquantò pòſt dum Tartari in Hungaros flammâ ferroque ſæviunt, Hungariæ Rex, quod nihil virium haberet, quibus eorum retunderet impetus, Friderico II ea lege, ut quamprimùm veniret auxilio, ſubdidit Hungariam: accepta quidem à Friderico conditio eſt; at pactis non ſtetit: veritus deinde Hungarus, ne Imperator feudum, ut vocant, Imperii eſſe Hungariam contenderet, rem ad Innocentium IV detulit, à quo Imperatori in Hungariam nihil juris eſſe anno MCCXLV pronuntiatum eſt.

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES. III. Hungaria data Romanæ Sedi. *L. 2 Ep. 13. & 63.*

Cùm ex aliis multis, tum vel ex uno, quod ſubjiciam, exemplo, Hungariam fuiſſe Romanis Pontificibus ſubditam planum erit. Cæſus fuerat à Cumanis abſque prole Ladiſlaus: continuò Rodulphus Imperator Hungariam fiduciario jure; hæreditario & Carolus Siciliæ Rex, & Andreas Venetus, ſibi vindicant. Nicolaus IV. Imperatori, ut ab Hungaria abſtineat, per Legatum jubet anno MCCXCI, quòd Hungaria non Imperii eſſet, ſed Romanæ Sedis fiduciaria. Poſtquam exploſa Rodulphi ambitio eſt, eò controverſia omnis recidit, utrius, Andreæ, an Caroli, qui Marcelli filius erat, potiora eſſent jura. Bonifacii VIII judicio & decreto anno MCCXCIX vicit Carolus: Hungarici tamen Regni adminiſtratio, quòd etiam tum Carolus puer eſſet, Andreæ permiſſa eſt. Id à Bonifacio pro ſuo in Hungariam jure ſancitum nemo non videt: eaque ſemper fuit Hungarorum in Romanam Sedem obſervantia, ut Legato Pontificis non ſolùm viri principes, ut in aliis Regnis moris erat, ſed etiam Rex ipſe, ſi quando eſſent unà, loco decederet.

IV. Summa Romani Pontificis in ea autoritas.

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

Polonia.

I. Polonia Romanæ Sedi vectigalis.

MIEZSISLAUS ſive Meiſca Dux Polonorum, quæ gens à Slavis oriunda eſt, Boleſlai Bohemorum Ducis filiam Dobberam anno DCCCCLXV ea conditione duxit uxorem, ut abjecto idolorum cultu Chriſtiana ſacra ſuſciperet. Paruit Miezſiſlaus, illiuſque exemplo & Proceres & populus Chriſto nomen dedêre: miſſi continuò à Miezſiſlao Romam Legati, qui & ſuo, & gentis Polonicæ nomine obedientiam Romano Pontifici profiterentur. Electus à Joanne XIII Ægidius Tuſculanus Epiſcopus, ut Polonos ad Catholicam erudiret pietatem, & Sacerdotes, Epiſcopos, aliaque, quæ ad religionem ſpectant, ordinaret; ipſius juſſu deorum idola, aræ, templa everſa; extructa vero Deo Baſilicæ; conſtituti in præcipuis urbibus Epiſcopi, Chriſtianaque profeſſio ubique florere cœpit. Jam tum à Polonis vectigal Romanæ Sedi penſitari cœptum eſſe argumento eſt Boleſlai Ducis ad Benedictum VIII anno MXIII legatio; is enim queritur non ſibi fuiſſe integrum Sedi Apoſtolicæ cenſum de more ſolvere ob Henrici Imperatoris, quicum aſſiduum propè bellum erat, inſidias.

II. Ab ea coronam accipit.

A quo verò, ab Imperatore, an à Pontifice coronæ jus, regni titulum Polonia acceperit, aliis aliter viſum eſt. Ab Othone Imperatore data regni inſignia ſcribunt plerique Polonorum Hiſtorici, cùm ad viſendum ſancti Adalberti corpus in Poloniam venit: à Romano Pontifice Cartuitius Epiſcopus, & Petrus Damiani Cardinalis, quibus ego libentiùs aſſenſerim. Si enim jam inde ab Othonis tempore uti coronâ Polonis fas erat; quid ſub Henrico, qui Othonem excepit, id ſibi ut liceat, Poloniæ Dux Romanum Pontificem rogat, ut teſtis eſt Petrus Damiani? A quo verò Pontifice, cui etiam Polonorum Duci id datum ſit, inter Cartuitium & Petrum Damiani non convenit: ille vult id à Silveſtro II conceſſum Miezſiſlao anno M; hic à Benedicto VIII Boleſlao, qui Miezſiſlai filius erat, anno circiter MXIV. Utrius potior ſit autoritas, tu videris: Petri Damiani mihi magis probatur opinio.

Alterum aliquantò pòſt vectigal Poloniæ impoſitum eſt; imponendi, ſi Longino credimus, hæc cauſa fuit. Anno MXXXIV regnabat apud Polonos Caſimirus: is Procerum factione Regno pulſus, Cluniacum abiit in Galliam, ubi Monachum depoſitis regiis inſignibus induit. Creſcebat interim magis in dies Polonorum diſcordia, nulluſque Bohemorum rapinis modus erat; ea tandem ſeptem annis pòſt reſtituendæ pacis inita ratio eſt: revocandum, penes quem jus regni erat, Caſimirum. Ubinam verò gentium eſſet, uni matri notum erat, præterea nemini. Ea ut Polonos Caſimiri ſtudio incenſos videt, Cluniaci eſſe aperit: continuò miſſi è Polonia, alii Cluniacum, qui Caſimirum reducerent; alii Romam, qui peterent à Pontifice, ut liceret Caſimiro depoſita monaſtica veſte & abdicato, quem ſuſceperat, Diaconatu, Poloniæ ſceptrum repetere.

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

III. Caſimirus ex Rege Monachus.

IV. Novum vectigal Poloniæ impoſitum.

Quæ rogabant Poloni, anno MXLI indulſit Benedictus IX; quò verò accepti beneficii memoria teſtatior eſſet apud poſteros, tria illis à Pontifice imperata ſunt: primum, ne Poloni comam in poſterum Barbarorum more alerent; ſed haud ſecus ac Monachi in modum tonſuræ ſummum raderent capitis verticem: alterum, ut diebus Chriſto Virginique ſacris linteo albo, quod dependeret ad latus, ſtolæ haud abſimili, caput redimirent: tertium, ut nummos ſingulos ſinguli, ſive plebeii, ſive nobiles, quotannis ſolverent, ut tradit Longinus. Sua enim opinione falſus eſt Chromerus, dum hujuſmodi tributum à nobilibus penſitari ſolitum negat: quod liquet ex ea, quam Benedictus XI anno MCCCXXXVI ad Caſimirum alium Poloniæ Regem ſcripſit, epiſtola. Petierat à Benedicto Caſimirus, ut ex annuo cenſu nonnihil minueretur; idque eo maximè, quòd non deeſſent in Polonia, qui ſingulis non capitibus, ſed domibus impoſitum dicerent. Reſpondit Benedictus, in ſolvendo cenſu nunquam habitam domorum rationem, ſed capitum: ideo non à pagorum tantùm incolis; ſed ab urbium etiam civibus, ſive plebeii eſſent, ſive nobiles, penſitandum.

V. Singulis annis pendi ſolitum.

Reſtitutus in Regnum Caſimirus, de quo paulò antè dixi, Poloniæ ſaluti fuit: illius enim autoritate compreſſa diſſidia: victi rebelles: ſumptum de reis ſupplicium, & reddi-

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

tum publicæ rei priſtinum decus. Ut primùm à civili bello reſpirare cœpit, Comitia totius Regni convocat anno MXLV, & à ſingulis cenſum in provinciis duabus Gneſnenſi & Cracovienſi, pacti memor, ſolvi jubet: tum Romam mittit Legatos, qui ſuo nomine gratias agerent Gregorio VI, & Polonici Regni tributum penderent. Inde Polonia Romanæ Sedi vectigalis fuit, & ab ea vectigal, cui Denario S. Petri nomen erat, ſingulis annis exigi cœptum, ut locuples teſtis eſt Longinus Polonus ipſe nobilis. Solutum anno MLXXV conſtat ex Gregorio VII, qui Boleſlao Duci eo nomine gratias agit, quòd centum marchas argenti Romam miſiſſet, l. 2. Ep. 73. Erat una tamen diœceſis Caminecienſis ab eo cenſu libera, quòd induſtriâ Epiſcopi Legatus Romani Pontificis fuiſſet diuturna ſolutus captivitate.

Lithuania.

I. Lithuania fit Chriſtiana & vectigalis.

ANNO MCCLI Lithuani Chriſtianis ſacris initiari cœpti ſunt: cæteris exemplo fuit eorum Dux Mendogus, ſive Mindavus, cujus ea fuit & in Deum pietas, & in Romanam Sedem obſervantia, ut & Lithuaniam Romano Pontifici voluerit eſſe vectigalem, & ſummum in ea imperium S. Petro detulerit. Innocentius IV Mindavo, quò pietas ejus eſſet illuſtrior, regium nomen indulſit, juſſuſque eſt Culmienſis Epiſcopus regiis eum decorare inſignibus: quod ab illo præſtitum par eſt credere. Sed deferbuit haud multò pòſt in Mindavo ille pietatis ardor, ipſeque unà cum ſua gente magno rei Chriſtianæ incommodo ad priſtinam deſcivit impietatem. Ad bellum illi inferendum accendit Chriſtianos Principes Alexander IV: convenerunt è Polonia, Pruſſia, Germania fortiſſimi quique milites; ſed accepta clades nomini Chriſtiano dedecori fuit.

II. Juncta Poloniæ.

Mendogi ſcelere Lithuana gens in denſa errorum caligine jacuit ad annum uſque MCCCLXXXVI; quo Hedwigis in ſucceſſionem paterni Regni à Polonis adſcita Jagelloni, ſive Ladiſlao (utroque nomine dictus eſt) Lithuaniæ Principi nupſit: duplex enim à Polonis Principibus adjuncta conditio eſt; altera, ut Lithuania, Samogitia, Ruſſia, Po-

loniæ perpetuo fœdere jungerentur; alteraut Jagello, repudiata patrum impietate, Chriſtiana ſacra cum gente ſua integra ſuſciperet: quod in maximum & Polonicæ rei bonum & Chriſtianæ ceſſit. Tanta enim celeritate per has regiones Chriſtiana fides propagata eſt, ut vel una die triginta Lithuanorum millia ſalutaribus aquis luſtratos memoriæ proditum ſit: in quo eluxit ſumma Ladiſlai Regis in ſanciendis legibus prudentia; in Baſilicis erigendis liberalitas, & in Lithuanis ad religionis præcepta erudiendis pietas, quibus fidei leges & dogmata exponere, & interpretis obire vices non gravatus, illuſtre ad poſteritatis memoriam Apoſtoli nomen adeptus eſt. PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

Ruſſia.

RUSSIA duplex eſt, alba & nigra: illa olim Sarmatia, nunc Moſcovia dicitur; hæc Regni Polonici nunc provincia eſt, quæ Polonia ſuperiore, Volhiniâ, Podoliâ & Carpato Monte clauditur: illa ſuos olim, ut noſtra ætate, ſive Principes, ſive Reges habuit, quibus perpetuum ferè cum Polonis bellum erat; hæc provincia Polonici Imperii fuit: nec enim quis niſi temere per Ruſſiam hoc loco hanc provinciam intellexerit, quæ Ruſſiæ majori tum contributa erat; quamquam quid apud Scriptores ſibi velit Ruſſiæ nomen, conjicere haud promptum eſt. Pleroſque enim videas, qui Ruſſiam cum Pruſſia, & Ruſſos cum Pruſſis, ſive Boruſſis, confundant. An verò his temporibus Ruſſia integra uni paruerit Regi, an in varios diſtracta fuerit Principatus, eſt, cur aliis aliter videatur. Quod à Zonara & Cedreno traditur, à Ruſſis ſive Roſſolanis anno DCCCLXVII veniſſe Conſtantinopolim Legatos, eorumque precibus miſſos in Ruſſiam Sacerdotes, à quibus fidei Chriſtianæ præceptis imbuerentur, cave de Ruſſis, de quibus nobis hîc ſermo eſt, intelligas: hi enim Scythiæ populi erant, Tauri montis, quà Septemtrionem verſus flectitur, accolæ. I. Ruſſia multiplex.

Ruſſorum, de quibus hoc loco agimus, Regina ſæculo decimo (quo anno incertum) Conſtantipoli baptizata eſt: ab ea miſſa ad Othonem Germaniæ Regem anno DCCCCLIX II. Chriſtiana ſacra ſuſcipit.

PRO-VINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTI-GALES.

legatio, petituſque Ruſſorum genti Epiſcopus: miſſus eſt Sibutius, Sibutioque ſuffectus Adalbertus, qui malè acceptus à Ruſſis, vix fugâ ſanus evaſit. Fidem etiam his in regionibus prædicarunt & Bonifacius anno DCCCCXCVII, & Bruno anno MVIII, uterque & apoſtolicis laboribus, & martyrii gloriâ inſignis. Utriuſque & monitis & miraculis Rex Regnique Principes profeſſionem Chriſtianam ſecuti ſunt, quæ ſub Joraſdixlao Duce magis in dies circa annum MXXXIII floreſcere cœpit.

III. Fit vectigalis.

Anno tandem MLXXV Romam venit Demetrii, qui Ruſſis, ſive Ducis, ſive Regis titulo præerat, filius. Is patris juſſu Ruſſiam offert S. Petro, Romanoque Pontifici: præſtitum etiam ab eo fidei ſacramentum. Gregorio VII probata Demetrii in Romanam Sedem obſervantia eſt, ſcriptæque ad eum plenæ amoris & officii, quæ etiam nunc extant, literæ, quibus ſummam in Ruſſia poteſtatem Demetrio permittit, ut eas gentes non ſuo, ſed B. Petri & nomine, & autoritate regeret. Aliquantò pòſt & Epiſcoporum & Sacerdotum inopiâ Chriſtianæ fidei leges apud Ruſſos neglectæ ſunt: unde anno MCCXXVII Ruſſi Principes petierunt ab Honorio III, ut viros doctrinâ præſtantes mitteret in Ruſſiam, à quibus gens omnis ad Chriſtianam religionem informaretur.

IV. A Romano Pontifice coronam accipit.

Præterea anno MCCXLVI Ruſſi Opizonem in Polonia Legatum convenerunt. Legationis hæc ſumma erat: daret Pontifex Danieli Duci regium diadema: continuò repudiandos à Ruſſis, ad quos deſciverant, Græcorum errores; gentemque integram Romanæ Sedi fidelem fore. De quo Romam ut allatum eſt, Innocentius IV Archiepiſcopo Pruſſiæ defert ſuas vices in Ruſſia, ut lectiſſimos quoſque viros ſcientiæ & virtutis laude inſignes Epiſcopos Ruſſis præficiat.

CAPUT.

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

CAPUT VII.

Bohemia, Saxonia, Bamberga & Beneventum.

Bohemia.

SÆculo octavo exeunte Bohemi Chriſti cultum fractis idolis profiteri cœperunt : è Ducibus cùm pietate adverſus Deum, tum in Romanam Sedem reverentiâ præſtitit Uratiſlaus. Is anno MLXVIII Bohemiam Romanis Pontificibus vectigalem eſſe voluit, & ab Alexandro II obtinuit uſum mitræ, quem necdum ullus Pontificum laïcis indulſerat. Promiſſum ab Uratiſlao fuiſſe tributum teſtis eſt Gregorius VII: nam Uratiſlao, & ſcribit ut cenſum ſolvat; & quòd ſolverit, gratias agit. Quænam tributi ſumma fuerit, non liquet: centum fortè argenti marchæ, plus minus: tantumdem ab Uratiſlao miſſum, autor eſt Gregorius. I. Bohemia Chriſtiana & vectigalis.

Primiſlaus, cui poſtea ab Othone Imperatore, Ottocari nomen factum eſt, ab Innocentio III anno MCCIV regium & nomen, & inſigne adeptus eſt. Henrico VI duo, ab aliis alius, ſublecti fuerant Imperatores Philippus Henrici frater, & Otho Saxoniæ Dux. Philippo favebat Primiſlaus, Othoni Innocentius III. Ut Bohemiæ Reges, alii ab aliis Imperatoribus; ita Primiſlaus à Philippo regni ſuſcepit inſignia: nec ulli tamen Bohemiæ Principum, nec ipſi Primiſlao regium nomen datum uſquam à Romanis Pontificibus fuerat, ſi Innocentio credimus in ea, quam ad Ottocarum ſcripſit, epiſtola. Ut verò Ottocarus à Philippo deſcivit ad Othonem, Othonis precibus conceſſit Innocentius, ut ab Othone ipſo ſolemni ritu coronaretur. II. A Romano Pontifice coronam accipit.

Saxonia.

CAROLO Magno diuturnum trium & triginta annorum ſpatio cum Saxonibus bellum fuiſſe notum eſt : anno tandem DCCCIV variis fractos cladibus perdomuit Carolus. I. Saxones à Carolo Magno perdomiti.

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

Ne arma iterum ſumerent, unà cum liberis, pars in Galliam, pars in Italiam, alii aliò tranſportati: Romam etiam, teſte Anaſtaſio, deducta eorum colonia eſt, iiſque datæ ad habitandum ædes, quæ prope S. Petri Baſilicam erant: unde loco *Vicus Saxonum* nomen inditum, ubi nunc Xenodochium percelebre viſitur, quod vulgò dicitur, *S. Spiritus in Saxia*, pro Saxonia.

II. Saxonia Romanæ Sedi data. Ep. 2.

Saxoniam B. Petro oblatam à Carolo Magno diſertis verbis teſtantur duo Summi Pontifices, Leo III Carolo æqualis, & qui multò inferior fuit, Gregorius VII. Utriuſque verba, quia rem conficiunt, præſtat ſubjicere. Ita Leo ad Carolum ipſum epiſtolâ: *Igitur hunc montem Eresburg, quem expugnatum cum tota Saxonia Deo obtuliſti, & per nos B. Petro conſecraſti, liberum ab humana poteſtate eſſe & fratrum inibi ad Chriſti ſervitium adunatorum ditioni parere cenſemus.*

L. 8 ep. ult. Cur dederit Carolus, cauſam Gregorius VII ſubjicit: *Idem verò magnus Imperator Saxoniam obtulit B. Petro, cujus eam devicit adjutorio.*

Bamberga & Beneventum.

I. Bamberga Romanæ Sedi data.

HENRICUS ille Imperator, non armis minùs, quàm pietate clarus, cujus nomen in Sanctorum faſtis aſcriptum eſt, in Saxonia, ſive Theodiſca, ut tum loquebantur, vel Monaſterium, ut ſcribit Glaber, vel urbem *Baenburg*, ut in Aquitaniæ Annalibus legitur, Baſilicam certè conſtruxit, ſive S. Stephano dicata fuerit, ut placet Hermanno, & Mariano Scoto; ſive S. Georgio, ut Leoni Oſtienſi; ſive potiùs utrique, ut par eſt credere. Deinde Benedictum VIII evocavit in Germaniam. Morem geſſit Pontifex, & illam, ſive Baſilicam, ſive urbem, ſive utramque, ſolemni ritu conſecravit; ibique, quò major urbi conciliaretur dignitas, inſtituit Epiſcopum: tum Imperator urbem, & quæ urbi contributa erat, regionem integram anno MXIX B. Petro obtulit: pactus etiam annuum vectigal, centum marchas argenti, & equum album phaleris inſignem.

II. Beneventũ Romanæ Sedi reſtitutum.

Leo IX Andreæ Hungariæ Regis precibus anno MLII abierat in Germaniam, ut Henrici Imperatoris animum ad

pacem cum Andrea ineundam flecteret. Dum ibi moratur Pontifex, Abbatiam Fuldenſem aliaque Monaſteria, ut apud Hermannum legimus, quæ B. Petro data olim erant, ab Imperatore repoſcit. Inter utrumque ita convenit, ut quæ Pontificis erant, in Germania, Imperatori; quæ Imperatoris in Italia, Pontifici cederent. Ita ille: ſed aliter Leoni Oſtienſi viſum eſt, apud quem nulla Fuldenſis, nulla aliorum Monaſteriorum mentio fit: ſed unius urbis Bambergæ, quam ea lege Pontifex remiſit Imperatori, ut ipſe Pontifici, & Beneventum, & omnia, quæ in eum Ducatum ipſius erant, jura concederet. Probata utrique conditio eſt: cavit tamen Pontifex, ut equus albus ipſi de more à Bambergenſibus mitteretur. Ita & Bamberga Imperatoriæ ditioni, & Beneventum, quod multò antè Franci Imperatores dederant, Pontificiæ reſtitutum eſt. PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

CAPUT VIII.

Dania, Norvegia, Suecia.

Dania.

ARIALDUS ſive Haraldus Daniæ Rex pulſus à ſuis, in Germaniam ad Ludovicum Pium venerat. Ibi Chriſtianæ legis præceptis imbutus Moguntiæ anno DCCCXXVI baptizatur: tum Ebbo Remenſis Archiepiſcopus Ludovici Pii conſilio in Daniam trajicit: fidem Chriſtianam barbaræ genti prædicat, multoſque ad Chriſti cultum allicit: nec meruit tamen dici Daniæ Apoſtolus, quòd eam laudem reverſus poſtea in Galliam adverſus Ludovicum conſpiratione, ut tum fama fuit, obſcuraſſet. Ebbonem excepit Anſgarius in Daniam cum Haraldo miſſus, Anſgarium Rembertus illius diſcipulus, uterque Corbeiæ Saxonicæ Monachus, & Epiſcopatu Hamburgenſi inſignis. Utriuſque ſtudio & laboribus, ſed maximè Anſgarii, adducta ad Chriſtianam fidem Dania eſt, à qua cùm deſciviſſet, bis ad eam revocata eſt; ſemel Henrici Germaniæ Regis anno DCCCCXXX, iterum I. Dania fit Chriſtiana.

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

Othonis Imperatoris operâ anno DCCCCXLIX: tumque Haraldus Rex permotus miraculo religionem Chriſtianam profiteri inſtituit, ut autores ſunt Vitikindus & Dithmarus.

II. Et vectigalis.

Solutum à Danis Regibus Romanæ Sedi vectigal, certum eſt: quando, à quo, quáve de cauſa dari cœptum, non liquet. Primus, quod ſciam, tributi illius meminit Alexander II ſcriptâ ad Suenonem Regem epiſtola, cujus fragmentum ex libro Cenſuum retulit Baronius. Alexandri verba ſunt hæc: *Quapropter prudentiam tuam admonemus, ut cenſum Regni tui, quem prædeceſſores tui ſanctæ Apoſtolicæ Eccleſiæ perſolvere ſoliti ſunt, nobis & ſucceſſoribus noſtris transmittere ſtudeat.* Vel ab Arialdo, ubi in Daniam rediit, vel ab Haraldo, vel à S. Canuto vectigal, ut conjectura eſt, penſitari cœptum ſuſpicor. Utut eſt, Dania inter vectigales Romanæ Sedi provincias habita eſt, ut teſtes ſunt Pontifices Romani duo, Honorius III & Joannes XXI, quorum alter anno MCCXX Daniæ Principes, qui à Rege defecerant, percellit anathemate, quòd Daniam, quæ fiduciario jure Romanæ Sedi ſubdita erat, invaſerant; alter anno MCCCXVII, ut in Hibernia, Polonia, &c. ita in Dania S. Petri denarium, ut vocabant, exigi imperat.

Norvegia.

I. Norvegia Chriſtiana.

IISDEM ferè temporibus in Norvegia & Dania Chriſtiana religio prædicari cœpta eſt. Poſtquam enim Ebbo & Anſgarius venerunt in Daniam, Chriſti fides longiùs in dies latiuſque diffuſa ad ultimos uſque Norvegiæ fines penetravit: at nihil ad cultum veri Dei propagandum plus valuit, quàm S. Olaph ſive Olai Regis pietas, martyrium, & patrata poſt mortem miracula. Is non minùs fortitudine, quàm ſanctitate præſtans, dum Canuti Daniæ Regis, quicum bellum erat, refellit impetus, & maleficos augures, magos meritis ſuppliciis inſectatur, à magis per ſummum ſcelus occiſus eſt anno MXXVIII. Deinde cùm Haraldus, penes quem admiſſi ſceleris ſuſpicio reſidebat, in templa flammis, & in Chriſtianos ferro ſæviret, & quæ ad S. Olai ſepulcrum oblata erant, daret militibus; ad officium redire, &

Epiſcopo Hamburgenſi parere ab Alexandro II juſſus eſt.

Norvegia, itidem ut Dania, ſuos olim habuit Reges, quos diuturna cum Danis bella exercuerunt. Deinde ſæpius & juncta Daniæ fuit, & ab ea abſtracta: nunc uni, qui Daniæ vulgò dicitur, Regi paret utraque; ſed hæc nihil ad nos. A quo ſolvendi cenſus Norvegis impoſita lex, conjicere haud promptum eſt: nullum enim, quod ſciam, apud antiquos Scriptores extat vectigalis iſtius veſtigium. Olaus, an quis alius aliquantò pòſt eum morem induxerit, affirmare non auſim: id unum, quod affirmem, habeo. Hujuſmodi vectigal, ut ab aliis vicinis regionibus, ita à Norvegia exactum eſſe, cùm à multis Romanis Pontificibus, tum à Joanne XXI anno MCCCXVII, memoriæ proditum eſt. II. Et vectigalis.

Suecia.

QUI gentem Danicam, idem & Suecam ad Chriſtianam religionem perduxit Anſgarius, Biornus Sueciæ Rex ſub extrema Caroli Magni tempora ab eo petierat, ut mitteret, qui Suecos ad veræ pietatis leges erudirent. Secundùm hæc moritur Carolus: at Ludovicus Pius aliquantò pòſt jubet Anſgario, ut è Dania tranſmittat in Sueciam: paruit Anſgarius: benignè à Biorno exceptus fidem prædicavit anno DCCCXXVI, quam multi tum è Principibus, tum è plebe, tum Rex ipſe ſuſceperunt. Hæc narrat pluribus Adamus Canonicus Bremenſis. Deinde in religione propaganda & Erici, & Olavi Regum pietas enituit: uterque enim pro viribus rem Chriſtianam promovit; ille etiam martyrii palmâ illuſtris. I. Suecia fit Chriſtiana.

Æquè obſcura ſunt Sueci tributi ac Danici primordia: ab Erico, aut ab Olavo impetratum ſimilius vero videtur; id enim factum à Biorno vix quiſquam mihi perſuaſerit: in Suecia certè haud aliter ac in Dania & Norvegia, colligi ſolitum certum eſt. II. Et vectigalis.

CAPUT IX.

Gerba, Inſulæ Cercinæ, Fortunatæ, & Armenia.

Gerba, & Inſulæ Cercinæ.

I. Bis datæ à Romanis Pontificibus.

CERCINÆ & Gerba ſunt Maris Mediterranei inſulæ, haud procul ab Africæ littore; utraque anguſtis terminata finibus: ad Sirtim minorem Regno Tunetano adjacet. Eæ Inſulæ bis à Romanis Pontificibus fiduciario jure datæ ſunt: ſemel à Bonifacio VIII anno MCCXCV Rogerio Lauriæ; iterum ab Urbano VI anno MCCCLXXXIX Manfredo Claramontio: uterque Siculæ claſſis Præfectus erat: uterque militari laude clarus; fama tamen Rogerii Lauriæ illuſtrior, cujus fuſis ſæpius ad Siciliam Francorum claſſibus, captoque Calabriæ Duce Carolo commendata poſteris memoria eſt: uterque has Barbaris inſulas eripuit; ille claſſis, cui præerat, Siculæ; hic præterea Genuenſium & Venetorum ope, ut autor eſt ſanctus Antoninus; & Summo Pontifici per interpretem fidei ſacramentum præſtitit.

Fortunatæ Inſulæ.

I. Datæ Ludovico Cerdæ.

FORTUNATÆ Inſulæ (ingens olim apud antiquos fabularum materies) in mari Atlantico jacent numero ſeptem, & 230 leucis plus minùs diſtant à Gadibus: ſi tamen eædem nobis ſunt Fortunatæ Inſulæ, quæ veteribus. Quæ maxima eſt, *Canaria* vocatur; unde cæteris idem nomen inditum. Ludovicus Cerda Claromontius, qui ex Alfonſo X Caſtellæ Rege genus ducebat, (erat enim Alfonſi Cerdæ cognomento Exhæredis ex Ludovico filio nepos) à Clemente VI petit anno MCCCXLIV, ut ſibi Fortunatas Inſulas armis invadere liceat; Principis nomen & dignitatem ſibi ſi conceſſerit, Romanæ Sedi ſe vectigalem fore, & diligentem daturum operam, ut Inſularum incolæ, qui Mahometica impietate contacti erant, Chriſtianam religionem profiterentur.

Omnia, quæ rogabat, indulſit Pontifex, Regeſque Galliæ, Aragoniæ, Luſitaniæ & Siciliæ, eum ut pecuniâ, milite, navibus juvarent, hortatus eſt; ſuis etiam in eas inſulas juribus ceſſerunt Luſitaniæ & Caſtellæ Reges: illas enim uterque ſibi vindicabat, alius alio jure: jam conſcribi milites cœpti erant, jam in Aragonia ornari claſſis; cùm ingens ab Anglis ad Creſſiacum Gallis illata clades, exitio fuit: nec enim Philippo Regi Cerdam juvare milite fuit integrum; unde futuri Principatus ſpes omnis ad nihilum recidit, & Ludovicum in Canarias Inſulas nunquam trajeciſſe conſtat. II. Qui eas non occupavit.

In eas Inſulas quinquaginta annis pòſt, ſi quis tamen id avet cognoſcere, Cantabri & Bœtici majori prædæ cupiditate, quàm imperii appulerunt: prædæ vis ingens in Hiſpaniam advecta. Haud multò pòſt Betancurtius, homo Gallus, quinque minores occupat, ab aliis incolarum virtute prohibitus: ſub Regum Caſtellæ clientela & fide fuit, & qui illi ſucceſſit, Menantus; donec Petrus Barba Hiſpanus eò miſſus à Rege Caſtellæ Menantum ejicit, illaſque Inſulas Peraſæ prædiviti homini pretio vendidit, cujus gener Ferrerius eas acceptâ pecuniâ tradidit Ferdinando Catholico: inde in Caſtellani Regis ditionem ceſſerunt. III. Ceſſerunt Hiſpano Regi.

Armenia.

NEMO eſt qui frequentem apud Hiſtoricos Armeniorum Regum mentionem fieri neſciat: floruit enim & opibus & militari laude Armenia. Quòd verò ex una parte ad Perſicum Imperium, ex altera ad Romanum pertineret, utriſque prædæ fuit; & abolita tandem apud Armenos regia & dignitas & appellatio eſt: unde qui præerat Armenis ſæculo duodecimo, non Rex, ſed *Armeniæ Generalis* vulgò nuncupatus eſt, ut ex Theoriano intelligere licet. Poſtquam verò Francorum virtute erepta Saracenis Syria eſt, rerumque ab iis geſtarum gloria univerſum pervaſit Orientem; Armeniæ Generalis identidem palam profiteri ſe ſuóſque Romanæ Sedi obnoxios deinceps & fideles fore, ſi regiam, unde exciderat, dignitatem Summus Pontifex ſibi reſtitueret. I. Armenia regiam titulum amittit.

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

II. Quem à Romano Pontifice recipit.

Ex mutuo tum Romani Pontificis, tum Imperatoris conſenſu, id illi datum eſt: è re enim Chriſtiana fore utrique viſum, ſi Latinorum partibus conciliaretur. Archiepiſcopo Moguntino, qui cum claſſe Henrici Imperatoris pergebat in Syriam, à Clemente III anno MCXCVII imperatum eſt, ut Leonem Armeniæ Principem, & ſuo, & Henrici nomine ſolemni ritu regiis decoraret inſignibus. Ne quem verò moveant Arnoldi Lubecenſis verba, in quibus dum hæc narrat, frequens Romani & Orbis & Imperii mentio eſt; Romanæ verò Sedis nulla: id enim Romani Pontificis autoritate factum dubitarit nemo, qui & Innocentii III ad Armenorum tum Regem, tum Patriarcham, & eorum ad Summos Pontifices epiſtolas legerit. Sed ut à pluribus abſtineam, unus ſit nobis inſtar omnium Gregorius Armeniæ Catholicus, cujus ad Innocentium III verba ſunt hæc: *Noveritis, Domine, quòd ad nos venit nobilis, ſapiens & ſublimis Archiepiſcopus Moguntinus, qui nobis attulit ex parte Dei, & ex parte ſublimitatis Eccleſiæ Romanæ, & ex parte magni Imperatoris Romanorum ſublimem coronam, & coronavit Regem noſtrum Leonem, & nobis reddidit coronam, quam nos perdidimus à longo tempore.* In his impoſiti vectigalis nullum indicium eſt.

Alexandria.

I. Fridericus OEnobarbus pellitur ex Italia.

NOBILITATA eſt apud poſteros rebus præclarè geſtis Friderici cognomento OEnobarbi memoria, de quo verè pervulgatum illud eſt, eum cæteris Germaniæ Imperatoribus omni genere laudis ſuperiorem fore, ſi Othones potiùs in tuenda, quàm Henricos in oppugnanda Eccleſia eſſet æmulatus. Is duas in factiones, Gibellinorum & Guelphorum, ubi diſtraxit Italiam, & Alexandro III Victorem obtruſit pſeudo-Pontificem; Mediolanum, quod ab eo defecerat, obſidet, urbemque captam diruit. In Germaniam ut abiit, continuò à civibus, à fœderâtis urbs, quàm antè magnificentiùs inſtauratur: quâ famâ excitus Fridericus cum inſtructiſſimo exercitu ad ejus excidium redit. Fœderati conjunctis armis illi occurrunt: collatis ſignis Germani, teſte

ſte

ſte Joanne Sariſberienſi, ad viginti-quinque millia cæſi; Imperator ipſe confoſſo equo vix fugâ evaſit, & ægrè per avia loca dilapſus famuli habitu fugit in Germaniam.

PROVINCIÆ SEDI ROM. OLIM VECTIGALES.

Ejecto ex Italia Friderico, Mediolanenſes, Cremonenſes, Placentini ad villam, cui *Rovereta* nomen erat, conveniunt: locus erat amœnus & fertilis; tribus fluviis omni ferè ex parte in modum inſulæ definitus. Ibi omnium conſenſu nova civitas ad Imperatoris contumeliam extruitur anno MCLXVIII, tantaque è propinquis vicis, oppidis, urbibus confluxit multitudo, ut intra annum cives ad quindecim millia numerarentur. Urbi, ut Friderico id eſſet ægrius, ab Alexandro Pontifice *Alexandriæ* nomen factum. Anno proximè ſequenti Conſules urbis Alexandrum III adeunt Beneventi, & ſummum in Alexandriam jus deferunt & imperium; pacti etiam ſe in poſterum Romanæ Sedis vectigales fore.

II. Alexandria condita, & data Romanæ Sedi.

DISSERTATIO QUARTA.

De electione Romani Pontificis.

JAM omnem de Romani Pontificis electione Diſſertationem in ſex ætates partiti ſumus: ſingulis ſinguli præfixi erunt tituli. Sunt verò hujuſmodi: ratio eligendi Romani Pontificis primùm ſub Romanis Imperatoribus: deinde ſub Gothis Regibus: tum ſub Imperatoribus Græcis: pòſt ſub Francis: tum ſub Germanis ad Synodum Lateranenſem I: denique ab ea Synodo ad noſtram uſque ætatem.

ELECTIO SUMMI PONTIFICIS.

CAPUT I.

Ratio eligendi Summi Pontificis ſub Romanis Imperatoribus.

I. Olim Epiſcopi Clericorum ſuffragio electi.

EA fuit primis Eccleſiæ naſcentis temporibus, cùm in Chriſtianis omnibus, tum maximè in Sacerdotibus, honorum contemptio, ut ab omni ambitionis ſtudio abhorrerent quàm maximè: ne deeſſent tamen, qui præeſſent cæteris, ut eos & ad Chriſtianam pietatem, & ad tormenta fortiter perferenda hortarentur, plerique, vel inviti ad Sacerdotis & Epiſcopi dignitatem adſciti ſunt. At nulla tum nobilitatis, nulla potentiæ habita ratio eſt: morum integritas ac nitor nullis vitiorum maculis oblitus, eruditionis ac doctrinæ fama, fidei Chriſtianæ propagandæ ſtudium, adverſus Deum ſingularis pietas, ad Epiſcopatum gradus erant. Ne quis tamen in Epiſcopo eligendo fraudi locus eſſet, communi omnium ſuffragio eligi moris erat: quod cùm per univerſum Chriſtianum orbem diu obtinuit, tum maximè Romæ: unde ſincerus pietatis amor & eccleſiaſticæ diſciplinæ obſervantia in omnes provincias dimanavit.

II. Romanus Epiſcopus à Clero electus.

Uſus itaque fuit, ut mortuo Pontifice, Epiſcopi, ſi qui tum in Urbe verſarentur, Sacerdotes, Clerici omnes; è civibus Optimates, ex infima plebe etiam delecti convenirent: tum rogatæ ſententiæ non omnium tamen, ſed Epiſcoporum, Sacerdotum, Clericorum: alia enim aliorum erat poteſtas, alia jura. Epiſcoporum erat, Sacerdotum, Clericorum aliquem è Clero ut plurimùm appellare; Populi in ipſius mores, doctrinam, prudentiam inquirere; tum eum ſi quid in illo vitii, ſi quid ab eo gravius aliquando peccatum eſſet, repudiare: qui verò ſuffragiis vincebat cæteros, ſi Optimatibus item ac Populo probaretur, is erat Pontifex. Eam fuiſſe olim creandi Pontificis Romani rationem cùm multa probant, tum ea potiſſimùm, quæ de Cornelii electione ad Antonianum ſcribit Cyprianus.

Ep. 52.

ELECTIO SUMMI PONTIFICIS.

III. Tria Romæ ſchiſmata.

Dum ea ratione, quâ nulla his temporibus ſanctior eſſe potuit, alii aliis ſublecti Romani Pontifices, tria, ſive Cleri, ſive Populi diſſenſione, extiterunt ſchiſmata: primum Novatiani adverſus Cornelium; alterum Urſicini contra Damaſum; tertium Eulalii contra Bonifacium. Schiſma enim Liberii & Felicis ad nos nihil pertinet, quod non ex Populi cum Clero contentione, ſed Conſtantii Imperatoris ſcelere conflatum eſt. De aliis dicendum paucis: iis enim diſſidiis factum eſt, ut alia ſenſim electionis forma inducta ſit.

IV. Novatiani contra Cornelium.

Anno CCLIV poſtquam Romana Sedes annum ampliùs vacaſſet, Fabiano ſubrogatus tandem eſt Cornelius patriâ Romanus, vir multis ornatus virtutibus, à quo defecit Novatianus, qui ex Philoſopho Stoïco primùm Chriſtianus, tum Preſbyter, cùm multis nominibus, tum his potiſſimùm infamis, quòd æger Baptiſmum, nec ſacro unctus chriſmate Ordinem ſuſcepiſſet, & dum in Chriſtianos Decius ſæviret, ſe negaſſet Preſbyterum. Sub hæc Romam advenit Novatus Epiſcopus Afer, cujus operâ nonnulli *Confeſſores*, ut dicitur, ad Novatianum deſciverunt. Deinde clam ordinatur Romanus Epiſcopus à tribus Epiſcopis; ſcriptæque ad Fabium Antiochenum, Dionyſium Alexandrinum, & Cyprianum epiſtolæ: unde ingentes, tum Romæ, tum in Africa tumultus. Sed paulò pòſt Confeſſores detectis Novati fraudibus ad Cornelium redierunt: ipſe Novatianus è ſchiſmate prolapſus in hæreſim docere inſtituit, nec lapſos recipiendos etiam peractâ pœnitentiâ; nec ullum inter ſcelerum genera diſcrimen adhibendum: quæ dogmata & alia id genus, ad multos deinceps propagata ſunt.

V. Urſicini adverſus Damaſum.

Mortuo Liberio ſchiſma alterum exortum eſt anno CCCLXVII: quòd enim è Clericis, alii Felici, alii Liberio adhæſiſſent, erant etiam tum duas in partes diſtracti. Quare ubi Damaſus, qui Felici faverat, à potiori Clericorum parte electus eſt; continuò alii in Sicinini Baſilicam advolant, & Urſicinum Diaconum ordinant Epiſcopum: unde tam atrox ſeditio exarſit, ut in ea Baſilica 137 cadavera uno die reperta ſint, ſi Ammiano credimus. In Urſicini ſectatores à Maximino Urbis Vicario aliquantò duriùs conſultum eſt, cujus ſeveritatis invidia in Damaſum, quamvis inno-

ELECTIO SUMMI PONTIFICIS.

centem, redundavit: ab iis tamen in Urbe identidem turbatum eſt. Quare edictis Imperatorum, quorum eſt Eccleſiæ tueri libertatem, alii Urbe pulſi, alii affecti ſuppliciis; donec omne tandem ſchiſma extinctum eſt.

VI Eulalii contra Bonifacium.

Mortuo etiam Zoſimo duo in Romanum Pontificem allecti ſunt, Bonifacius Preſbyter, & Eulalius Archidiaconus: Clerus penè omnis Bonifacio adhæſit; Symmachus Præfectus Urbi cum perpaucis aliis Eulalio. Res ad Honorium Imperatorem delata eſt, qui Symmachi deceptus literis Bonifacium Urbe pelli jubet: ſed paulò pòſt Preſbyterorum, qui ſtabant à Bonifacio, acceptis epiſtolis, utrumque Ravennam accerſit. Habetur Ravennæ Synodus, & re infecta, alia indicitur: interim uterque Urbe abſtinere juſſus; ſed Eulalius Urbem ingreſſus eſt, unde populi orta ſeditio: quare ab Honorio pulſus eſt, revocatus Bonifacius. Is de pace Eccleſiæ ſollicitus Honorio eam commendavit, à quo reſcriptum eſt, ut ſi duo deinceps ordinarentur, neuter eſſet Pontifex; ſed is, qui tertius omnium ſuffragiis ex Clericorum numero legeretur: quod ita tamen intellige, ſi vel dubia utriuſque electio ſit, vel nihil juris alter habeat, quo præſtet alteri.

CAPUT II.

Ratio eligendi Summi Pontificis ſub Gothis Regibus.

I. Electioni Pontificis ſe immiſcent Reges.

HOc Bonifacium inter & Eulalium diſſidio factum eſt, ut primùm Honorius, deinde Italiæ Reges alii aliis temporibus ſeſe Summi Pontificis electioni immiſcerent, vel pacis tuendæ ſtudio, vel juris illius ſibi vindicandi cupiditate: quod malum à parvis profectum initiis in grande Romanæ Eccleſiæ dedecus degeneravit; quod qua ratione contigerit, paucis exequor.

II. Odoacer vetat ratam eſſe electionem abſque Regis conſenſu.

Ubi Odoacer Herulorum Rex rerum in Italia potitus eſt, per Baſilium Præfectum Prætorio poſt Simplicii obitum anno CCCCLXXXIII ſancîſſe edicto dicitur, ne quis abſque Regis Italiæ conſenſu, aut ſe pro Romano Pontifice gere-

ret, aut Eccleſiæ bona diſtraheret: quod decretum, verum, an fictum, ſub Symmacho aliquantò pòſt repudiatum eſt. Sub hæc anno CCCCXCVIII inter Symmachum & Laurentium ſchiſma conflatum eſt: mali totius fons & origo fuit Feſtus Romanus Senator. Is à Theodorico Rege miſſus Conſtantinopolim, clam Anaſtaſio Imperatori pollicetur effecturum ſe, ut Anaſtaſius Pontifex Zenonis Henotico ſubſcriberet. Romam ut rediit, mortuo Anaſtaſio Symmachus legitimis ſuffragiis jam ſuffectus erat, cum Feſtus pecuniâ corrumpit factioſos quoſdam, alterumque Symmacho opponit Pontificem, nomine Laurentium: unde cædes in Urbe fieri cœptæ ſunt. ELECTIO SUMMI PONTIFICIS.

III. Theodoricus de ſchiſmate Laurentii pronuntiat.

Cui malo, ut iretur obviàm, ex Odoacris lege, ut fertur, Theodorico Regi totius controverſiæ diſceptatio permiſſa eſt: is ſecundùm Symmachum ſententiam dicit. Ita reſtinctum ad tempus incendium eſt, quod paulò pòſt exarſit vehementiùs. Quare anno DI & ſequentibus frequentes Romæ ſuper ea re habitæ ſunt Synodi, in quibus & damnatus Laurentius, & abrogata Odoacris ſanctio eſt, quâ Romani Epiſcopi electionem ſine Regis conſenſu ratam eſſe vetuerat. Ut verò electioni Pontificum conſuleretur in poſterum, his in Conciliis cùm multa ſancita ſunt, tum hæc potiſſimùm tria. Primùm ejecti è Fidelium cœtu, qui ſuperſtite Pontifice, vel Pontificatum ambirent, vel de alterius poſt illius obitum electione paciſcerentur. Deinde is eſſe Pontifex juſſus eſt, qui aut ab univerſo Clero; aut ab illius potiori parte legeretur. Denique laïci ab Romani Præſulis electione prohibiti. Ne verò te moveat, quòd ibi ſtatutum eſt, ut Clerus ſibi deligat Epiſcopum, ſi Pontifex de ſuo ſucceſſore nihil poſſit decernere: nec ènim Pontificis erat ſibi dicere ſucceſſorem; ſed moris tum fuit exquirere à Pontifice, ubi in gravem morbum inciderat, quænam eſſet illius ſententia: tum is, quem appellaverat, ſi Clero, ſi Populo probaretur, jubebatur ut plurimùm eſſe Pontifex; ſi ſecus, non item.

IV. Joannem Pontificem in vinculis detinet.

Hæ leges paulò pòſt obſervari deſitæ ſunt, Theodorici Regis in Catholicos odio. Hæreticos, Arianos præcipuè, vexabat in Oriente Juſtinus Imperator: graviter id tulit Theodoricus, & ipſe Arianus. Quare Joannem Papam Le-

gatum miſit ad Juſtinum, ut ab Arianis injuriam abſtineret, minitans, ſe, niſi morem gereret, in Catholicos viciſſim totâ Italiâ ſæviturum. Sive Pontifex Juſtino autor fuerit, ut Arianis templa eriperet; ſive ſuſpecta hæretico Principi ipſius apud Imperatorem gratia eſſet; in Italiam, ut rediit, conjectus eſt Ravennæ in vincula, ubi confectus ærumnis anno DXXVI obiit.

V. *Pontificem creat, illius conſenſus expetitus, illique data pecunia.*

Tum Theodoricus, ſive vindictæ ſtudio, ſive potentiæ augendæ causâ, jus eligendi Pontificis ſibi tribuit. Ne quid verò in Urbe fieret tumultûs, virum, qui omni virtutum genere præſtabat cæteris, appellat Pontificem, cui Felix III nomen fuit. Diu Populus, Senatus, Clerus reſtiterunt; ſed ea tandem lege res compoſita eſt, ut more priſtino à Clero legeretur Pontifex, quem Rex ſuo confirmaret aſſenſu. Certa tamen pecuniæ ſumma pro confirmatione imperata, non tantùm Summo Pontifici, ſed omnibus etiam Epiſcopis, qui ſub Gothorum ditione in Italia erant, quæ in pauperes erogaretur, ut innuit Athalaricus in edicto adverſus ſimoniacos. Ea creandi Pontificis ratio obtinuit, quamdiu Gothorum in Italia floruit Imperium: interdum tamen Clero illata vis, ut à Theodato, qui per vim ac metum Silverium anno DXXXVI ordinari voluit, ſicut autor eſt Anaſtaſius: cujus tamen electioni Clerus metu ſchiſmatis conſenſit. Duo ſunt hoc loco, quæ notaſſe non pigebit: unum, anno DXXX contra Bonifacium ſchiſma conflatum eſſe à Dioſcoro, quod ipſius morte paulò pòſt extinctum eſt: alterum, anno DXXXI Bonifacium II habita Romæ Synodo Vigilium ſibi ſucceſſorem delegiſſe, ut illuderet Gothis, qui confirmandæ electionis poteſtatem ſibi tribuebant: quod tamen ipſe haud multò pòſt ratum eſſe vetuit, quòd contra morem antiquum id ab ipſo eſſet, ſacroſque canones uſurpatum.

CAPUT III.

Ratio eligendi Summi Pontificis ſub Imperatoribus Græcis.

POSTQUAM Beliſarii & Narſetis fortitudine captus Vitiges, cæſus in acie Totila eſt, Regnum nomenque Gothorum deletum, & Italia Orientis Imperio addita. Juſtinianus jus confirmandi Pontificis retinuit: unde ingens in Urbe extitit tumultus. Anthimus Eutychianorum princeps ab Agapeto è Sede Conſtantinopolitana dejectus fuerat. Theodora his addicta partibus, clam pacta eſt cum Vigilio Diacono, de illius reſtitutione: quare Silverius, qui Anthimo infenſus erat, à Beliſario Urbe pulſus eſt anno DXXXVIII, & biennio pòſt in inſula Palmaria ærumnis & inediâ necatus, Intruſus fuit in ipſius locum Vigilius, qui mortuo Silverio ex Antipapa legitimis Comitiis Pontificatum adeptus eſt. I. Juſtinianus jus confirmandi Pontificis retinet.

Inde illa conſuetudo obtinuit à Gothis primùm invecta, retenta à Juſtiniano, & ad Leonem uſque Iſauricum propagata, ut nullius rata eſſet electio, qui Græco Imperatori non probaretur. Moris enim erat, ut ubi quis creatus erat Pontifex, nullum obiret Epiſcopi munus, antequam Imperatoris aſſenſum obtineret: quod cùm à multis Pontificibus, tum à Gregorio Magno præſtitum eſt; alia tamen aliis temporibus petendæ confirmationis ratio fuit. Conſtantinus Pogonatus ubi diſſidia à Monothelitis excitata per ſextam Synodum compreſſit anno DCLXXXI miſit ad Papam Agathonem epiſtolam, quâ & remittit pecuniam pro confirmatione penſitari ſolitam; & Eccleſiæ Romanæ Patrimonia, quæ tum in Sicilia erant, tum in Calabria ab omni tributo & cenſu eximit. Anno DCLXXXIV, ne qua ſeditio in Urbe ob locorum diſtantiam oriretur, idem Imperator indulſit Benedicto I, ut non Imperatoris, ſed Exarchi Ravennatis, qui propiùs aberat, conſenſus poſtularetur: quod à Conone, & ab aliis deinceps Pontificibus factum legere eſt. II. Conſtantinus Pogonatus pecuniam remittit. Dat jus Exarcho electionis confirmandæ.

ELECTIO SUMMI PONTIFICIS.

III. Turbatum Romæ ab Exarchis & Clericis.

Nec tranquillior tamen Romana res deinceps fuit, & Clericorum interdum ambitione, qui ad Pontificatûs honorem pro ea, quâ apud Exarchos florebant gratiâ, aſpirabant, & Imperatorum etiam ſcelere, vel Exarchorum. Si quid enim ab Imperatoribus vel contra fidem, vel contra canones peccatum erat, continuò Romani Pontifices adverſus illos inſurgere; illi verò per Exarchos minas, incendia, exilium, mortem intentare: unde multæ clades, tum Urbi, tum Romanæ Sedi illatæ ſunt ab Exarchis, ut ab Iſaacio ſub Severino Papa, à Theophylacto ſub Joanne IX; plura exempla proferre non opus eſt: ſed ſæpe ab Italiæ militia repreſſa Exarchorum audacia eſt.

IV. Conſenſus Imperatoris peti deſitus.

Unde Imperatorum autoritas minui ſenſim in Italia cœpit, creſcere verò Romani Pontificis: expetitus tamen ab Exarchis pro confirmatione conſenſus ad Gregorii II tempora. Is enim cùm Leonis Iſaurici, qui adverſus imagines ſacras ferale edictum propoſuerat, cohibere inſaniam non potuiſſet, cum anno DCCXXXI anathemate perculit, & populares ſacramento ſolviſſe dicitur: cujus decreti fama, Romani, Campani, Ravennates, &c. à Leonis Imperio abſtracti ſunt, ut fertur. Ea ſanè ætate, quod apud eruditos extra controverſiam eſt, Romanus Pontifex ſui juris, ut aliàs fuerat, eſſe cœpit, & electionis confirmatio peti deſita eſt.

V. Ante conſenſum datum Romanæ Sedis regendæ ratio.

Si quis verò avet ſcire, quænam fuerit Eccleſiæ regendæ forma, antequam aſſenſum præbuiſſet Imperator, diſcet ex ea, quam Clerus Romanus Scotis reſcripſit, epiſtola, paulò poſt Severini Pontificis interitum: ex ea enim intelligere eſt, rerum ſummam tum fuiſſe penes Archipreſbyterum, Archidiaconum, Primicerium, & eum, qui in Pontificem delectus erat. Ita enim inſcribitur epiſtola: *Dilectiſſimis Thomiano, &c. Hilarius Archipresbyter, & Servans-locum Sedis Apoſtolicæ; Joannes Diaconus & in Dei nomine electus; item Joannes Primicerius, & Servans-locum S. Sedis Apoſtolicæ; & Joannes ſervus Dei, Conſiliarius ejuſdem Apoſtolicæ Sedis.*

VI. Multi Pontifices è Græcia & Syria oriundi.

Unum eſt, quod hoc loco ſubjeciſſe operæ pretium eſt, ægrè admodum fuiſſe Græcis Conſtantinum Pogonatum confirmandæ

confirmandæ electionis jura Exarchis indulſiſſe. Quare ut Romæ poſſent plurimùm, eò miſſi ab iis & Diaconi & Sacerdotes, qui & prudentiâ excellerent & doctrinâ, ut in Clerum Romanum aſcripti Pontificatum aliquando aſſequerentur: nec eos fefellit opinio. Sub hæc enim tempora multi ſunt Pontifices, ſive è Græcia oriundi, ſive è Syria, ex Italia pauciſſimi. Ita Joannes V Syrus fuit; Conon Thrax; Sergius Syrus; Joannes VI & Joannes VII ambo Græci; Siſinnius & Gregorius III, Syrus uterque; Græcus etiam Zacharias: unus Gregorius II Romanus fuit. At iis omnibus, quamvis natione Græcis, nihil fuit antiquius, quàm & tueri Sedis Romanæ jura, & Græcorum Imperatorum conſilia & fraudes eludere. ELECTIO SUMMI PONTIFICIS.

VII. Ritus tum eligendi Pontificis.

Eſt etiam hoc loco, ſi cui fortè inſedit, eximendus ſcrupulus, annon ſimoniæ crimini affines Pontifices Romani, qui tamdiu pro confirmatione impetranda pecuniæ ſummam dederint. Nihil minus: nec enim illâ pecuniâ quæſita eſt poteſtas Pontificia, quam legitimis jam erant Comitiis adepti; ſed *liberatio*, ut aiunt, *à vexatione*, ut liceret Pontificis obire munera. Hic verò & eligendi Pontificis ritus erat, & ordinandi. Ubi deceſſerat Pontifex, continuò ad Exarchum ſcribi mos erat ab iis, penes quos ſumma, uti diximus, poteſtas erat: deinde juſta mortuo perſoluta: indictum tridui jejunium, indictæque ſupplicationes publicæ: tum facta electio, & relatum eſt ad Imperatorem, & Exarchum Ravennæ: relationi ſubſcribebant primùm Sacerdotes, Clerusque omnis, deinde laïci; Electus non item, ne Pontificatum ambire videretur.

VIII. Et conſecrandi.

Ubi probata erat Imperatori electio, tum Electus *ad Confeſſionem S. Petri*, ut loquuntur, ſe conferebat. Ibi, cùm multæ preces à Clero recitabantur, tum duæ potiſſimùm orationes; altera ab Epiſcopo Albanenſi, à Portuenſi altera: pòſt Electi capiti impoſitus Evangeliorum codex: denique & ab Epiſcopo Oſtienſi ille conſecratus, & datum ipſi ab Archidiacono Pallium. Sunt qui velint moris olim fuiſſe ab uno Oſtienſi conſecrari Summum Pontificem; poſt Leonem verò II à tribus Epiſcopis, Oſtienſi, Portuenſi & Veliterno.

Electio Summi Pontificis. IX. Cardinalis eſſe debuit.

Duo, quæ ad Romani Præſulis electionem pertinent, his temporibus ſancita ſunt: unum, à Bonifacio III anno DCVI, ne ante tres poſt Pontificis obitum dies electio fieret; alterum, à Stephano IV anno DCCVIII, ne quem, niſi vel Diaconum, vel Preſbyterum Cardinalem in Summum Pontificem eligi fas eſſet: cui legi locum dedit Conſtantini pſeudo-Pontificis audacia. Is enim homo laïcus operâ Totonis fratris, qui Dux erat civitatis Nepeſinæ, præter jus faſque anno DCCVII Apoſtolicam Sedem invaſerat: ſed à Chriſtophoro Primicerio collecta militum manu, dejectus eſt, & legitimis Comitiis anno DCCVIII ſublectus Paulo I Stephanus, à quo lata lex illa eſt.

CAPUT IV.

Ratio eligendi Summi Pontificis ſub Imperatoribus Francis.

I. Carolus Magnus Imperator.

POSTQUAM à Græcorum Imperio Roma deſcivit, bello ſæpe & ab iis tentata eſt, & à Longobardis: bis obſeſſa, ſemel à Luitprando, iterum à Rachi; illiuſque ditio ab Aiſtulphô, & à Deſiderio vaſtata: evocati in Italiam Galliæ Reges à Stephano III Pipinus, Carolus Magnus ab Adriano I: victus à Pipino Aiſtulphus; Deſiderius captus à Carolo: ab utroque datæ Romano Pontifici provinciæ multæ, Exarchatus, Pentapolis, Ducatus tum Spoletanus, tum Romanus, Tuſcia, &c. Sed de his antea egimus. Sub hæc Carolus Magnus ingenti Occidentis totius plauſu, anno DCCC à Leone III appellatus eſt Imperator.

II. An jus eligendi Pontificis datum Carolo.

Libera interim erat Romani Pontificis electio: nec expetitus tum ab ullo eſt Imperatoris, ſive Græci, ſive Latini conſenſus. Eſt tamen qui aliter ſentiat, Sigebertus, & qui eum ſecutus eſt, Gratianus, à quibus memoriæ proditum eſt, Carolum Magnum anno DCCLXXIV captâ Papiâ rediiſſe Romam: tumque illi jus eligendi Pontificis ab Adriano permiſſum. Gratiani verba appingere libuit: *Carolus Romam veniens Papiam obſedit; ibique relicto exercitu .... Romæ hono-*

rificè ſuſceptus eſt; poſt ſanctam verò Reſurrectionem reverſus Papiam, Deſiderium Regem ſuſcepit: deinde Romam reverſus, conſtituit ibi Synodum.... Adrianus autem Papa cum univerſa Synodo tradiderunt Carolo jus & poteſtatem eligendi Summum Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam Sedem; dignitatemque Patriciatûs ei conceſſerunt. Inſuper Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas provincias ab eo inveſtituram accipere definivit, & ut, niſi à Rege laudetur & inveſtiatur Epiſcopus, à nemine conſecretur.

ELECTIO SUMMI PONTIFICIS.

III. Non datum.

Ex quibus verbis, quàm & ipſe falſus ſit, & is à quo hæc ſumpſit, Sigebertus, cuivis intelligere eſt. Ac primò quidem, quòd Carolum Magnum ſcribit Papiâ captâ reverſum Romam, id ſecus eſt. Quater enim, ut autor eſt, qui tum vivebat, Eginhardus, Carolus Romam petiit: ſemel, dum obſideretur Papia anno DCCLXXIV; iterum anno DCCLXXX voti causâ; tertio anno DCCLXXXVI Ducem Beneventanum bello perſequens; denique anno DCCC ad reſtituendum Leonem III, cùm ipſi delatum eſt Imperii decus. Carolum præterea iviſſe Romam nuſquam memoriæ proditum eſt: nec etiam per tempus Romam redire Carolo licuit. Quis tot ac tanta tam brevi trium quatuórve menſium ſpatio peracta putet: Româ poſt Paſcha ire Papiam; Urbem, Regemque deditione accipere; regni formam, rationemque præſcribere; tum redire Romam; ibi habere Synodum; indeque Spiram pergere, & poſtridie Idus Auguſtas adeſſe Eccleſiæ Laureshamenſis dedicationi?

IV. Eo jure numquam uſus Carolus.

Qui fieri poteſt, ut ab Adriano Carolus acceperit Patriciatum, quem jam multò antè in Gallia à Stephano III unà cum patre & fratre Carolomanno acceperat? Quid eſt, quòd nec Carolus ipſe, nec ipſius filii commentitio illo jure unquam uſi ſunt? Quid, quòd Carolus unà cum Ludovico filio legem tulit, ut Epiſcopi à Clericis & Populo ſecundùm canones legerentur? Nec nihili eſt, quòd cùm Carolus mittere vellet Ravennam, qui ſuo nomine Epiſcopi electioni præeſſent, reſpondit Adrianus moris fuiſſe hactenus, ut miſſo Romam electionis decreto Ravennas ordinaretur Epiſcopus. His accedit tum Flori Magiſtri, tum Lupi Ferrarienſis autoritas, quorum uterque ad Epiſcopo-

Electio Summi Pontificis.

rum electiones conſenſum quidem requirit Principis: ſed alter id vult invectum à conſuetudine; alter à Zacharia Pontifice; neuter ab Adriano. Maneat ergo id juris Adrianum Carolo Magno non indulſiſſe.

V. An Legati Imperatoris aderant electioni.

Extat apud eumdem Gratianum, & aliud Stephani V, qui Leoni III ſuffectus eſt anno DCCCXVI, edictum, quo cautum eſt, ne quis à Clero eligatur in Summum Pontificem, niſi adſint Legati Imperatoris. Verum, an fictum ſit, affirmare non auſim. Id unum liquet, aut commentitium eſſe, aut à Ludovico Pio repudiatum, cùm ipſe Aquiſgrani edicto publico duo juſſerit: alterum, ut Clero Romano integrum eſſet, quem vellet, in Pontificem aſſumere; alterum, ut poſt conſecrationem Pontifex ad Imperatorem mitteret, qui de ſua electione ipſum faceret certiorem: qui uſus, dùm vixit Ludovicus Pius, obtinuit. Latum etiam eſt aliquantò pòſt de Pontificis electione aliud edictum, cujus ferendi hæc cauſa fuit. Mortuo Paſchali à maxima tum Cleri, tum Nobilium parte Eugenius ſublectus eſt anno DCCCXXIV, alter ab aliis: inde exortum ſchiſma. Illius componendi gratiâ miſſus Romam eſt à Ludovico patre Lotharius, jam particeps Imperii. Acta coram ipſo utriuſque cauſa eſt: vicit Eugenius II. Tum & Eugenii & Lotharii nomine ſancitum eſt, ut ii tantùm Comitiis adeſſent Pontificiis, quibus id, & ſanctorum Patrum legibus fas erat, & antiqua conſuetudine. Additum etiam conjicit Sigonius ad vitanda Comitiorum diſſidia, ut, aut Legati Regis, aut Rex ipſe conſecrationi deinceps intereſſet: quod poſtea obſervatum legimus.

VI. Conſenſus Imperatoris expetitus.

Eſt tamen, cur ſuſpicer, nec temere, Lotharium Imperatorem jus confirmandi Pontificis ſibi vindicaſſe, ſive datum illud à Stephano V, ſive proprium Imperatoris eſſe putaverit. Sergio Leo IV anno DCCCXLVII omnium conſenſu ſuffectus eſt: tum ingens timor fuit, ut tradit Anaſtaſius, ne quid in Urbe tumultûs oriretur ante conſecrationem, quam abſque autoritate Imperatoris peragi nefas erat: indeque nata Lotharium inter & Leonem contentio eſt. Hæc verò inita dicitur concordiæ ratio: ut Romani Pontificis tum electio, tum conſecratio ſecundùm canones abſque

Imperatoris conſenſu deinceps fieret; Pontifex verò *omnia jura Imperialia diligenter obſervaret.* Illud tamen inter utrumque fœdus, niſi falſus ſum; aut nullum fuit, aut paulò pòſt neglectum, ſi Anaſtaſio credimus. Leoni IV Benedictus III anno DCCCLV ſubrogatus erat; jamque delecti, qui decretum electionis ad Imperatorem ex more deferrent, cùm ecce Legatorum illorum operâ Anaſtaſius Preſbyter intruditur: inde conflatum eſt ſchiſma, ſed paucorum dierum. Hæc Anaſtaſius. Ergo etiam tum moris erat conſenſum Imperatoris exquirere.

VII. Pontifex coram Legatis Imperatoris conſecratus.

Nec tamen aſſentiri poſſum Sigeberto, dùm ſcribit Ludovicum miſſum à Lothario patre Romam anno DCCCXLIV, ut Sergii II electionem confirmaret. Miſſus quidem eſt Romam à Patre Ludovicus, ſed coronæ à Sergio recipiendæ causâ; non Imperii tamen, quod Adoni Viennenſi viſum eſt, at Regni Longobardici, ut teſtis eſt Anaſtaſius. Præterea, quid opus erat venire Romam eo nomine Imperatoris filium, cùm id antea nunquam uſurpatum ſit? Hic enim uſus fuit: facta electio coram Imperatoris Legatis, ſi quis aderat: deinde de electione Imperatori ſcriptum à Clero: tum Imperator electionem, vel per Legatos Romæ, vel ipſe ibi, ubi erat, ratam eſſe jubebat. Hunc morem Adrianus III abrogaſſe fertur: is enim anno DCCCLXXXIV Comitum Tuſculanorum aut minis territus, aut conſilio permotus duo ſtatuit: unum, *ut Pontifex deſignatus conſecrari ſine præſentia Regis, aut Legatorum ejus poſſet;* alterum, *ut moriente Rege Carolo Craſſo ſine filiis, Regnum Italicis Principibus unà cum titulo Imperii traderetur:* quod decretum Italiæ in ſpeciem glorioſum, re exitio fuit.

VIII. Cum Gallis Imperio concidit Romanæ Sedis decus.

Eadem propè his temporibus fuit & Romanæ Sedis fortuna, & Imperii Gallici. Dum enim Gallicum nomen floruit, ſtetit Romana res: ubi verò Imperatoriæ ſtirpis virtus indoleſque defecit; Romanæ Sedis decus omne unà concidit; Roma, Apoſtolica Sedes, Italia omnis potentiſſimo cuique prædæ fuit: tumque varii Principes rerum in Italia potiti ſunt. Berengarius, Vido, Lambertus, Hugo, inviſa Italis nomina, omnes quidem aut Regni Italici, aut Imperii inſignibus illuſtres; ſed eorum me-

ELECTIO SUMMI PONTIFICIS.

moria, fortunæ inconſtantiâ, variiſque caſibus, quàm geſto aut Regno, aut Imperio, apud poſteros clarior. Nec minùs vexata Sedes Romana fuit, poſtquam Marchiones Tuſciæ occupata mole Adriani Romæ pro libidine imperarunt.

IX. A Formoſi tempore electionis ratio turbata.

Malorum initium à Formoſi tempore factum eſt. Is à Joanne quidem VIII deformatus; ſed elegantiâ & doctrinæ & morum anno DCCCXCI Pontificatum obtinuit. Id ipſi crimini datum eſt, quòd ex alterius urbis Epiſcopo (Epiſcopus enim erat Portuenſis) omnium princeps factus eſſet Romanus Pontifex. Quare in ipſius memoriam à Stephano VII dirè ſævitum eſt: ipſius acta, quaſi vitio creatus eſſet, reſciſſa: effoſſum cadaver, & in conſpectu Populi pontificalibus exutum inſignibus, & cum profano habitu in Tiberim projectum: relatum quidem eſt aliquantò pòſt in Urbem, & in æde Vaticana ſepultum. Sed inde eccleſiaſticæ leges negligi cœptæ: ritus eligendi Summi Pontificis omiſſi: dati orbi Chriſtiano Pontifices pro Marchionum Etruriæ, aut Romanorum Procerum libidine; admiſſaque ſcelera, quæ vel retuliſſe pudeat; Romanaque Sedes, nec virtutis, ut antea, nec doctrinæ, ſed ſceleris interdum præmium fuit. Ne quis tamen hujuſmodi Pontifices tanquam ſpurios repudiet: nonnulli quidem per vim intruſi ſunt; ſed acceſſit poſtea conſenſus, & Cleri & Populi, iiſque tanquam legitimis Pontificibus paruit Chriſtianus orbis.

CAPUT V.

Ratio eligendi Romani Pontificis ſub Imperatoribus Germanis.

I. Otho Magnus fit Imperator.

FOEDA erat, uti diximus, rerum in Italia facies, Romanique Pontificis dignitas in Urbe ludibrio habebatur: cùm priſtinum decus, & Urbi & Eccleſiæ quoquomodo redditum eſt Othonis fortitudine. Is Henrici Aucupis filius, & re, & appellatione Magnus, jam Bohemos, Lotharingos, Hungaros multis prœliis perdomuerat; cùm à Joanne XII

evocatus in Italiam eſt. Othonis evocandi locum dedit Berengarius, Berengarii Auguſti ex filia nepos, qui Rex ab Italis ſalutatus Pontificiam hoſtiliter vexabat ditionem. Venit in Italiam Otho, maximis omnium excipitur ſtudiis, & Mediolani Rex Italiæ, Romæ Imperator appellatur anno DCCCCLXII. Captus cum uxore Berengarius in Bajoariam mittitur: tum ad aram ſancti Petri Joannes & Otho: ſolemni uterque ſe ſacramento devinxit; hic ſe in Eccleſiæ Romanæ poteſtate futurum, ille ſe nunquam Berengarii partibus adhæſurum. ELECTIO SUMMI PONTIFICIS.

II. Electio abſque conſenſu Imperatoris

Ne quid injuriæ aut Pontifici à Populo, aut Populo à Pontifice inferretur, duo tum ab Othone ſancita ſunt: unum, ut ſingulis annis certior fieret Imperator, qua ratione conſtituti à Pontifice & Duces & Judices jus dicerent; alterum, ut libera quidem eſſet Pontificis electio: ſed conſecrationem antè peragi nefas eſſet, quàm electus Pontifex coram Imperatoris, aut filio, aut Legatis profiteretur palam jura tum Imperatoris, tum Populi in Urbe rata fore. Sed paucorum dierum Othonem inter & Pontificem concordia fuit: nam Joannes paulò pòſt ab Othone, quòd rebelles Cardinales recepiſſet, deficit; & Adelbertum Berengarii filium in Urbem evocat. Redit illico cum exercitu Imperator: utrumque fugat; Populumque, ut autor eſt Luitprandus, jurare compulit, nullam fore in poſterum abſque ipſius conſenſu Pontificis electionem: tum Conventum Epiſcoporum Romæ celebrat: citatus ab iis Joannes, qui omnes, nî abſiſtant, anathemate perculit; abrogatus illi tamen eſt Pontificatus, ſuffectuſque Leo.

III. Joannes XII injuriâ depoſitus.

Multa ſanè in ea Synodo, & ab Othone, & ab iis Epiſcopis peccata ſunt: non ter de more, ſed ſemel tantùm fuit atque iterum citatus Joannes; nec datæ illi, ut reſponderet, induciæ. Synodum moderabatur Imperator ipſe contra jus, actor, teſtis & judex: præterea nihil ipſi, nihil huic Synodo juris in Joannem erat, cùm ab omnibus ea ſit recepta lex: *Nihil poteſt in Epiſcopum laïcus; nihil in ſuperiorem inferior.* Unde cuivis intelligere eſt injuriâ dejectum è Sede Joannem fuiſſe, qui haud multò pòſt revocatus à ſuis in Urbem redit: habet ſuam item Synodum, à qua quæ in priori geſta erant,

ELECTIO SUMMI PONTIFICIS.

exploſa ſunt; ipſeque ſub hæc moritur. Illi continuò ſublectus à Populo eſt Benedictus, quem Otho gradu dejectum, Leone in Italia relicto, in Germaniam abripit. Biennio pòſt uterque anno DCCCCLXV obiit: de quo ad Othonem ut allatum eſt, miſſi ſunt ab eo Romam Legati duo, Orgerus Spirenſis Epiſcopus, & Luitprandus Cremonenſis, qui Imperatoris nomine electioni adeſſent: electus eſt Narnienſis Epiſcopus, cui Joanni XIII nomen fuit.

IV. Legati Imperatoris præſunt electioni.

Inde aut nova eligendi Pontificis inducta ratio eſt, aut vetus revocata. Primùm de morte Pontificis ad Imperatorem ſcriptum eſt à Romanis: tum ab eo delegati Romam viri & nobilitate & prudentiâ inſignes, qui ne quid Comites Tuſculani, ne quid Romani Proceres novi molirentur, providerent. Cur id factum à Romanis, duæ à nonnullis afferuntur cauſæ: una, ſacramentum, quo ſe Othoni obſtrinxerant; altera facta Imperatoribus à Leone VIII in pſeudo-Synodo Romanæ Sedis ordinandæ poteſtas: ſed utriuſque nulla vis. Nec enim Populi Romani fuit, nec pſeudo-Pontificis id Imperatori concedere. Hæc una mihi cauſa verior viſa eſt, pacis tuendæ ſtudium; nimia Procerum potentia; ab iis Clero vis ſæpe illata, intruſique præter jus Pontifices, odiumque ſchiſmatis.

V. Hæc electionis ratio à Romanis mutata.

Dum vixit Otho, Romana res tranquilla fuit: poſt ipſius obitum Bonifacius Diaconus, homo audax & improbus, anno DCCCCLXXIV Benedictum VI detruſum in carcerem ſtrangulari jubet, Sedemque ipſe invadit: inde pulſus à Benedicto VII fugit Conſtantinopolim, unde reverſus anno DCCCCLXXXV Joannem XIV fame enecat, ipſeque paulò pòſt repentina morte periit. Bonifacii crimina Creſcentii ſcelus excepit: is per honorem Conſulatûs in Urbe tyrannicè graſſatus adverſus Gregorium V, qui & Germanus erat, & Othonis III affinis, Joannem induxit neſcioquem: fugit ad Othonem Gregorius, qui Romam infeſto agmine venit, Urbemque obſidet. Anno DCCCCXCII Romani malis victi deditionem faciunt; Creſcentius majeſtatis damnatus; pſeudo-Pontifex manibus auribuſque truncatus per Urbem circumductus eſt. Sub hæc mortuo Gregorio, Gerbertus, primùm Remenſis, deinde Ravennas Archiepiſcopus,

chiepiſcopus ſubrogatus eſt, Silveſtro II nomen factum. ELECTIO SUMMI PONTIFICIS.

Nihil Romæ à quoquam tentatum eſt, uſque ad annum MXII, quo Benedictus VIII, qui ex Tuſculanorum Comitum erat ſtemmate, à Romanis, intruſo Gregorio, expulſus eſt. Ad Henricum Germaniæ Regem ſe contulit, ab eoque anno MXIV in Sedem reſtitutus. Devicto Ardoïno Henricus Romæ Imperii recepit inſignia: tum à Benedicto, ſi Glabro credimus, edictum eſt, *ne quiſquam audacter Imperii Romani ſceptrum Princeps appetat, ſeu Imperator dici, aut eſſe valeat, niſi quem Papa Sedis Romanæ morum probitate delegerit aptum Reipublicæ, eique commiſerit ſignum Imperiale.* Henricus verò donata Eccleſiæ Romanæ à Pipino, Carolo Magno, & aliis Imperatoribus rata, liberamque Pontificis electionem eſſe juſſit; ita tamen, ut quæ à Leone & Eugenio data eſſent Imperatoribus jura ſibi retineret. VI. Electio libera reſtituta.

Duo paulò pòſt in Urbe portenta viſa ſunt; & decennis Pontifex, & tres, qui ſimul Papæ & nomen ferrent, & inſignia. Benedicto ſubrogatus fuerat Joannes illius frater: eo mortuo Albericus Tuſculanus Theophylactum filium etiam tum decennem in Romanam Sedem invexit anno MXXXIII. Is inviſus Populo aliquantò pòſt Urbe pellitur: tum ope Tuſculanorum Comitum, Silveſtrum III, qui illi ſuffectus fuerat, è Sede dejicit; ipſeque Joannem Archipreſbyterum adverſus canonum decreta ordinat Summum Pontificem. Inter eos convenit, ut ſua cuique pars fructuum cederet: reditus Eccleſiæ inter eos diviſi: ſingulis ſingula data, ubi habitarent, palatia. Unus ad ſancti Petri; alter ad ſanctam Mariam Majorem, ut loquuntur; tertius, in Lateranenſi palatio ſedit: omnes purpurâ quidem inſignes, virtutibus non item. Ita ferè Otho Friſingenſis. VII. Per factiones factus Pontifex decennis.

Eo loci Romana res venerat, cùm ſingulos adit Gratianus Preſbyter: iſque vehementer autor eſt, ut ſponte Pontificiam cedant dignitatem, idque omnibus cum ſpe gloriæ, tum pecuniâ perſuadet. Habentur continuò Comitia; Gratianus ipſe eligitur anno MXLIV, cui Gregorio VI nomen fuit. Secundùm hæc anno MXLVI venit in Italiam Henricus Rex Germaniæ: ab eo Sutrium vocata eſt Synodus. Adfuerunt frequentes Epiſcopi: adfuit item VIII. Tres ſimul Pontifices.

ELECTIO SUMMI PONTIFICIS.

Gregorius, & ſua Sede dejectus eſt; vel data pſeudo-Pontificibus pecunia, vel electio abſque conſenſu Regis illi crimini data ſunt. Ipſe pacis ſtudio ſe abdicat, & extincto ſchiſmate, & abjecto Pontificatu longè clariſſimus. Huic omnium penè ſuffragiis ſublectus eſt Epiſcopus Bambergenſis Sindigerus, natione Saxo; Clemens II dictus eſt: pſeudo-Pontificibus ademptí Eccleſiæ reditus: depreſſa Tuſculanorum Comitum potentia: Henricus appellatus Imperator: Populo Romano in Comitiis Pontificiis jus ſuffragii ademptum, quòd eo abuteretur ad ſchiſmata: quódque multi tum à Benedicto IX, tum à Comitibus Tuſculanis ſibi metuerent, datum Henrico dicitur, ut quem vellet, juberet eſſe Pontificem.

IX. *Miſſus Romam ab Imperatore eligendus Pontifex.*

Quod ea tamen eſt ratione temperatum. Poſtquam obierat Pontifex, Cleri fuit mittere in Germaniam, qui Pontificis interitum nuntiaret Imperatori, cujus tum erat, virum & doctrinâ præſtantem & pietate appellare. Is continuò pergebat Romam, ubi Cleri ſuffragiis de more legeretur. Ita in Romanam Sedem aſciti ſunt, & Damaſus II ex Brixienſi Epiſcopo; & ex Tullenſi Leo IX: de quo duo ſunt, quæ hîc annotaſſe non abs re fuerit. Is dignitatis inſignia ſumpſerat in Germania: ſed illi autor fuit Hildebrandus Monachus, ut iis depoſitis, peregrini habitu Romam peteret. Morem geſſit Epiſcopus, Romæque à Cardinalibus creatus eſt Pontifex. Id fuit in Victoris II, qui Leonem excepit, electione ſingulare, quòd unius Hildebrandi ſuffragio Romanam Sedem adeptus ſit: id enim Hildebrandi in Eccleſiam meritis ab univerſo Clero datum eſt, ut quem ex Imperatoris conſenſu elegiſſet, ejus rata eſſet electio. Fuit id, ut in Leone IX, ita in Victore II præcipuum, quòd uterque Epiſcopatum, quem priùs rexerat, ille Tullenſem, hic Aiſtetenſem, dum vixit, retinuerit.

X. *Jus creandi Pontificis datum Cardinalibus.*

Henrici Imperatoris interitu, metu liberati Romani Proceres, in Romanam Sedem rurſus graſſari cœperunt: ab iis enim ſive Tuſculanis, ſive Ptolemæis, ſive Creſcentiis, (à quibus enim, obſcurum eſt) Stephano X Cincius (Velitrenſis erat Epiſcopus) ſuffectus eſt anno MLVIII: ſed redux è Germania Hildebrandus Gerardum Epiſcopum Flo-

rentinum Cleri Romani nomine Pontificem appellat; Nicolao II nomen inditum, à quo anno ſequenti habita eſt Romæ Synodus: ab ea Pontificia dignitas abrogata Cincio eſt: jus creandi Romanum Pontificem ad Cardinalium ſuffragia revocatum: datum etiam Henrico Regi, quòd illius ope extinctum eſſet ſchiſma Cincii, ut Pontificem à Cardinalibus electum confirmaret; vel ſi eorum diſſentirent ſuffragia, ipſe eligeret. ELECTIO SUMMI PONTIFICIS.

XI. Diſſidium Henrici IV cum Alexandro II.

Non diuturna tamen fuit hæc Eccleſiam inter & Imperium conſenſio. Mortuo enim Nicolao anno MLXI Anſelmus Lucenſis Epiſcopus, cui Alexander II nomen fuit, ſublectus eſt: apud Imperatorem gratioſus ille quidem; quòd tamen abſque Regis conſenſu ordinatus eſſet, id ipſi ægrè fuit; ab eoque Cadalous Epiſcopus Parmenſis obtruſus eſt Antipapa anno MLXI: miſſuſque Romam cum exercitu; ſed ab Alexandri Mathildiſque copiis fuſus, fugatuſque palmam refugit: tum Regis nomine venit in Italiam Anno Colonienſis Epiſcopus, & Synodum Mantuæ convocat; in ea Alexandri probata electio eſt; Cadaloi verò repudiata.

XII. Cum Gregorio VII.

Alexandro eodem, quo obierat, die ſubrogatus eſt præter morem Hildebrandus. (Gregorii VII nomen factum) Anno MLXXIII; miſit continuò ad Henricum Regem, ne ipſius electionem probaret: nec enim laturum ſe ea, quæ de ipſo ferebantur, ſcelera. Probavit tamen Henricus, miſſuſque Romam Gregorius Vercellenſis eam ratam eſſe juſſit. Paulò pòſt Henricus, quòd Abbatias Epiſcopatuſque nundinaretur, opima Cœnobiorum prædia aſſeclis ſuis donaret, exigeretque à Sacerdotibus decimas, à Gregorio piorum cœtu prohibitus eſt. Contrà ab Henrico abrogatus eſt Gregorio Pontificatus, quòd ante tertium ab Alexandri morte diem ſublectus eſſet: inde ingens exarſit ſchiſma, quod multos in annos propagatum, multos tum Pontifices, tum Germaniæ Reges exercuit: quod tandem anno MCXXII Callixti II operâ extinctum ea ratione eſt, ut Germaniæ Regi Epiſcopatus & Abbatias, ſive per baculum, ſive per annulum, ut loquuntur, conferre nefas eſſet; per ſceptrum non item.

ELECTIO SUMMI PONTIFICIS.

CAPUT VI.

Ratio eligendi Summi Pontificis à tempore Synodi Lateranenſis I ad noſtram ætatem.

I. Jus electionis permiſſum Cardinalibus.

POSTQUAM, & Callixti Pontificis & Henrici Cæſaris opera pax tandem Eccleſiæ reddita eſt, jus creandi Pontificis ex Nicolai II decreto penes Cardinales fuit; nec tranquilla tamen ſemper erat Romæ publica res: ſuborta enim ſunt identidem ſchiſmata; alia aliis temporibus. Cauſam præbuit, vel Romanorum Procerum ambitio; vel Cardinalium inter ſe; vel Pontificis cum Imperatore diſſenſio: quæ ſi ſingula perſequar, longior ſim; ſatis erit præcipua quæque indicaſſe.

II. Schiſmata Petri Leonis contra Innocentium II.

Primum anno MCXXIV inter Honorium & Cæleſtinum certamen fuit, ſed modeſtiæ. Diviſis Cardinalium ſtudiis uterque appellatus erat Pontifex; à paucioribus Honorius, à pluribus Cæleſtinus, qui cùm cerneret pleroſque ad Honorium accedere, ſe abdicat, & ſeptimo pòſt die Honorius, ne à Cæleſtino modeſtiâ vinceretur, in Patrum cœtu dignitatis deponit inſignia; ſed ea, dignitatemque retinere à Patribus juſſus eſt. Longè triſtior fuit & diuturnior, quæ ſub Honorii obitum orta eſt anno MCXXX diſſenſio. A majori Cardinalium parte electus erat Innocentius II, cùm illi ab aliis obducitur Petrus Leonis nobilitate pollens atque opibus. Hunc fovebat Rogerius Siciliæ Comes: pars orbis Chriſtiani maxima parebat Innocentio: Ludovicus Galliæ, Lotharius Germaniæ, & Henricus Angliæ Reges à D. Bernardo conciliati. Anno MCXXXIII Româ à Lothario pulſus eſt Anacletus, victus Rogerius, & reſtitutus in Sedem Innocentius.

III. Victoris, Callixti, Paſchalis contra Alexandrũ III.

Longè gravius anno MCLX inter Alexandrum III & Fridericum Imperatorem diſſidium extitit: mira quidem in eo Principe ad omne decus indoles; ſed violata Eccleſiæ concordia multum de gloria detraxit. Ex parvis initiis orta diſ-

ſenſio: petierat Fridericus, ut Ravennæ Antiſtitem, quem ipſe deſignarat, ordinaret Alexander; abnuit Pontifex: inde duas in factiones diviſa Italia eſt. Qui Friderici partes ſequebantur, *Gibellini*; qui Pontificis, *Guelphi* vulgò appellati. Vocata Papiæ ab Imperatore Synodus: in ea abrogata eſt Alexandro Pontificia dignitas, huicque oppoſiti tres pſeudo-Pontifices; primùm Victor, deinde Callixtus, denique Paſchalis: vexata eſt diuturno bello Italia, donec Fridericus ſæpius antea victor, accepta à Mediolanenſibus clade fractus, pacem Venetiis cum Alexandro fecit anno MCLXXVII. ELECTIO SUMMI PONTIFICIS.

Redditam à Friderico Italiæ pacem varia excepere bella, ab Imperatoribus Henrico VI, Othone IV, Friderico II illata; ſed hæc nihil ad nos: nullusque intruſus in Romanam Sedem pſeudo-Pontifex ante Ludovici Bavari tempora. Is diviſis bifariam Principibus, à potiori parte Imperator dicitur, ab aliis Fridericus Auſtriacus, quo victo & in acie capto, Ludovicus ſe pro Imperatore gerit. Anno MCCCXXIII monitus à Joanne XXI, ut deſiſtat, parere abnuit, diriſque devotus Romam pergit, ubi Petrum Corbarium Franciſcanum Pontificem legit: ab eo Imperii inſignibus ornatus eſt; ſed uſurpatus honos utrique probro fuit: ejectus fuit Imperio Ludovicus, & captus Piſis Corbarius in catenis Avenionem ad Pontificem miſſus eſt. IV. Corbarii contra Joannem XXII.

Multa interim, quæ ad Summi Pontificis electionem pertinent, ſancita ſunt. Principem inter ea locum obtinet Alexandri III decretum, quo in Concilio Lateranenſi III anno MCLXXIX ſchiſmatis in poſterum tollendi gratiâ cautum eſt, ne quis ratus ſit Pontifex, niſi minimùm duas tertias ſuffragiorum tulerit partes. Alexandri ſecutus exemplum Gregorius X anno MCCLXXIV in Concilio Lugdunenſi edixit, ut elapſis ab interitu Pontificis diebus decem, ſive adeſſent Cardinales omnes, ſive ſecus; qui adeſſent, in ſecreto Conclavi includerentur, ne cui prætereà pateret aditus; haberent tamen ſinguli ſingulos, qui ipſis miniſtrarent, & Clericos, & laïcos: nefas eſſet omnibus cum quoquam colloqui, & ab aliis recipere literas: tribus diebus pro cujuſque arbitrio cibi ſingulis apponerentur, tum per V. Cardinales includi cœpti.

ELECTIO SUMMI PONTIFICIS.

dies quinque unum tantùm ferculum, poſtea vinum, aqua, panis, præterea nihil.

VI. Ea lex abrogata.

Durior aliquantò ea lex Cardinalibus viſa eſt: quare ſubveritus Gregorius, ne intercederent, Præſules Synodi ad ſe evocat, & objecto anathemate prohibet, ne quis cui, quæ mox dicturus erat, aperiat; tum iis rem omnem explicat, ab iiſque conſenſum elicit; denique decretum promulgari imperat. In electione, tum Innocentii V, tum Adriani V, qui paucorum menſium Pontifices fuerunt, ea lex obtinuit: ſed Adrianus vim illius ad tempus nullam fore edixit: tum eo mortuo Cardinales Viterbii de ea corrigenda cogitabant: de quo cum ſuboluiſſet Viterbienſibus, Cardinales arctiùs & duriùs, quàm antea, habiti ſunt, ne rem in longum ducerent: quo factum eſt, ut Cardinales Pontificem haud multò pòſt elegerint Petrum Julianum, Joanni XXI nomen factum, qui Gregorii de includendis Cardinalibus ſanctionem revocavit, quæ & à Nicolao IV anno MCCLXXXIX abrogata eſt.

VII. Reſtituta.

Magno tamen id Chriſtianæ rei incommodo ceſſit: ſæpius enim Cardinalium diſſenſione, uno alteróve anno nullus Pontifex fuit; quod cùm alias ſæpe, tum poſt Nicolai ipſius & Clementis V obitum contigit: tum enim Conclavi nulli adhibiti cuſtodes; omnibus patebat aditus; fas erat ſingulis quicum vellet, colloqui; inde etiam quando, quóve libitum eſſet, abire: donec anno MCCCLI à Clemente VI reſtituta eſt à Gregorio X multò antè ſancita lex; ea tamen ratione temperata, ut ſingulis ſinguli adeſſent famuli, & unum cuique apponeretur ferculum.

VIII. Nefas vivo Pontifice alium eligere.

Lubet hoc loco ſubjicere nonnulla Pontificum geſta, quæ ad rem, qua de agimus, maximè pertinent. Cæleſtinus III, cùm lethali morbo anno MCXCVIII decumberet, evocat ad ſe Cardinales; tum, ut agant de futuro Pontifice, imperat; abdicatque Pontificatum, ſi ipſis probetur electio Joannis de ſancto Paulo Cardinalis, cujus & prudentiam faciebat plurimi, & pietatem. Repudiata à Cardinalibus conditio eſt, quòd vivo Pontifice illius ſucceſſorem deligere per canones nefas eſſet. Plus admirationis habet, quod anno MCCXCIV à Cæleſtino V præſtitum eſt. Is ex eremo Car-

dinalium ſuffragio ad Sedem Romanam adſcitus, amore ſoli- ELECTIO SUMMI PONTIFICIS.
tudinis, ſexto initi Pontificatus menſe, eremum repetere conſtituit, ſummamque dignitatem abdicavit, exemplo, quod miretur poſteritas, laudent omnes, imitetur fortè nemo.

IX. Clemens V operâ Regis Galliæ electus.

Non par laus fuit Clementis V in adipiſcendo Pontificatu, quæ fuerat in deponendo, Cæleſtini. Jam decimus menſis erat, ex quo mortuus Benedictus fuerat, diverſaque Patrum ſtudia; dum alia Itali, alia Galli ſequuntur: convenit tandem, ut Italici Gallos tres deſignarent; trium Archiepiſcoporum nomina edita ſunt: & re cum Philippo Galliæ Rege communicatâ, Raymundus Gothus Burdigalenſis Præſul prælatus cæteris: adactus ſacramento dicitur Bonifacii VIII memoriam, quæ Philippo inviſa erat, damnaturum; Columnios Cardinales honori, unde exciderant, redditurum, &c. Exciti ſunt continuò in Galliam Cardinales, ſumpta Lugduni anno MCCCV dignitatis inſignia, & Pontificia Sedes tranſlata Avenionem, ubi annis hæſit ampliùs ſeptuaginta.

X. Joannes XXII dicitur ſeipſum elegiſſe.

Fuit id in Joannis XXII electione ſingulare, ſi Villanio tamen eſt adhibenda fides, quòd non ipſum alii, ſed ipſe ſe Pontificem appellarit. Duobus jam annis & quatuor menſibus de Pontificatu certamen erat: Italici Cardinales è ſua gente creari Pontificem optabant; è ſua ſtudebant & Galli: res erat ſchiſmati proxima, cùm Ludovicus Galliæ Rex omnes Lugdunum invitat ad legendum Pontificem: refugiebant plerique, veriti ne includerentur; alii tamen aliis artibus illecti eò conveniunt, pacti priùs fore cuique integrum, inde, quando luberet, abire. Ubi advenerunt omnes, juſſu Philippi Pictavienſis (Regis frater erat) incluſi ſunt, nec ſpes facta abeundi ante electionem Pontificis. Jam quadraginta effluxerant dies, necdum de Pontifice convenerant: cùm Neapoleo Urſinus cæteris vehementer autor eſt, ut quem Jacobus Oſſa Epiſcopus Portuenſis appellaſſet, ejus rata eſſet electio; aſſenſi ſunt. Jacobus Neapoleonis, ùt fertur, conſilio ſe ipſum nominat; omnibus probatur electio; nomen Joanni XXII factum: ſunt tamen qui fabulam eſſe ab Italis in Gallorum odium temere confictam velint.

XI. Schiſma Urbani & Clementis.

Maximis poſtea diſſidiis vexata eſt Romana Sedes, ſumpmiſque defuncta periculis. Gregorius XI, hortante Ca-

ELECTIO SUMMI PONTIFICIS.

tharina Senenſi, Avenione Romam redierat, ubi anno MCCCLXXVIII deceſſit. Ubi inferiæ defuncti manibus factæ ſunt, Urbis Magiſtratus adeunt Cardinales; rogant, ut Romæ vel Romanum, vel Italum dent Pontificem; nî pareant, additæ minæ. Cardinales erant omnino ſeptemdecim; Itali quatuor, tredecim Galli: alia quidem aliorum ſtudia. Sed metu propoſito, Bartholomæus Butillus Barenſis Epiſcopus eligitur: Urbani V nomen aſſumpſit. Subinde Cardinales æſtus cælique gravitatem cauſati, reipſa averſati nimiam Urbani ſeveritatem, Fundos diverſi conceſſerunt. Iis animos feciſſe dicitur Joanna Neapolitana, ut illatam queſti in prioribus Comitiis vim, alium Pontificem facerent: creatus eſt Robertus Gebennenſis Clementis VII nomine: Urbanus Romæ ſubſtitit; Clemens ſeceſſit Avenionem. Uter eſſet verus Pontifex, toto Chriſtiano orbe dubitatum eſt. Italia, Germania, Anglia Urbano adhæſerunt; Clementi Gallia, Scotia & Hiſpania.

XII Extinctum à Synodo Conſtantienſi.

Clementi aliquantò pòſt Benedictus XII ſuffectus eſt, Urbano Bonifacius IX; huic verò Gregorius XII, cui quòd in colloquium ſchiſmatis tollendi causâ convenire cum Benedicto detrectaret, Pontificatus à Piſano Concilio itidem ac Benedicto abrogatus eſt anno MCCCCIX. Utrique ſublectus eſt Alexander V, quem excepit Joannes XXIII. Tum Sigiſmundi Imperatoris operâ ex Joannis conſenſu cœpta eſt anno MCCCCXIV Synodus Conſtantienſis. Gregorius & Benedictus Pontificatûs etiam tum inſignia retinebant, quorum ille in Æmilia hærebat, hic in Hiſpania. A Synodo ea ratione pax tandem reddita Eccleſiæ eſt: Joannes à Synodo Pontificatu dejectus fuit; Gregorius ſponte depoſuit inſignia, Benedicto Pontificatûs nomen abolitum; creatuſque omnium ſuffragiis è gente Columniorum Martinus V anno MCCCCXVII. Quòd verò pauciores eſſent, quàm par erat, ad eligendum Pontificem Cardinales, iis adjuncti ſunt, quod nuſquam antea uſurpatum fuerat, ſex è ſingulis nationibus Præſules. Pontificis nomen, quoad vixit, retinuit Benedictus; illique ſuffectus eſt Clemens VIII, qui quarto pòſt anno coactus eſt in Ordinem.

XIII. Schiſma Felicis.

Vix ſopita erant diuturni ſchiſmatis diſſidia, cùm aliud

pepérit

peperit Conventus Baſileenſis. Indicta primùm à Martino V Synodus, tum ab Eugenio IV: ſed quòd plerique Patrum rei Chriſtianæ ſummam, arbitriumque à Summo Pontifice ad Concilium transferrent eos Eugenius vetat ultrà progredi; nihilominus conventus agere perſeverant: Eugenio Pontificatum anno MCCCCXXXIX abrogant, & Amedæo Sabaudiæ olim Duci deferunt; Felici nomen inditum. Eugenii potior cauſa fuit: repudiata ab omnibus Synodus: Felix abdicato Pontificatu à Nicolao V anno MCCCCXLIX in purpuratorum Procerum aſcriptus eſt ordinem. ELECTIO SUMMI PONTIFICIS.

XIV. Jus eligendi Pontificis confirmatum Cardinalibus.

Multa quidem à Concilio Conſtantienſi de Pontificis electione ſancita ſunt: quæ cùm ad ſchiſmatis tempora potiſſimùm pertineant, & obvia cuique ſint; nihil opus eſt hoc loco adſcribere. Extant etiam multa Pontificum eam in rem decreta: præ cæteris nobilis eſt à Julio II lata lex, quâ jubetur, ut qui ſimoniacè, ut vocant, electus fuerit, illius electio nulla ſit; qui verò huic fuerint ſceleri affines, piorum cœtu prohibeantur: quæ rata fore juſſit Lateranenſis Synodus. Edicta etiam (Bullæ vulgò dicuntur) à Pio IV, Gregorio XV, Urbano VIII promulgata ſunt, quibus Pontificis creandi jus Cardinalium proprium eſſe jubent, & perpetuum. Quænam verò id ætatis forma ſit Romani Antiſtitis eligendi, qui ritus, nimiùm pervulgata res eſt, quàm ut hoc loco explicetur pluribus.

CARDI-
NALES.

DISSERTATIO QUINTA.

De Cardinalibus.

QUÆ ad Cardinales pertinent, ad novem capita revocamus. Primum erit de illorum & origine & titulis; ſecundùm, tertium & quartum, de triplici eorum ordine, Presbyteris, Diaconis, Epiſcopis: quintum, de Epiſcoporum ſedibus: ſextum de Diaconiæ vel Tituli vel Epiſcopatus permutandi ratione; ſeptimum, de Cardinalium numero: octavum de illorum inſignibus: nonum denique, de ſumma eorum præ Epiſcopis, Primatibus, &c. dignitate, locique prærogativa.

CAPUT I.

Cardinalium origo.

I. *Cardinalis vox quid ſignificet.* CARDINALIS noſtra ætate propriè dicitur is, qui multos inter principem locum obtinet: ita ut ab eo, veluti janua à cardine, pendeant cæteri: unde purpurati Proceres, qui Summo Pontifici ſunt à conſiliis, jure vocantur Cardinales, penes quos regendæ Sedis Romanæ, quæ caput eſt cæterarum, ſumma ſecundùm Pontificem poteſtas eſt: quamquam is olim & maximè Gregorii Magni tempore, Cardinalis erat, qui ſive Epiſcopus, ſive Preſbyter, ſive Diaconus, uni vel Sedi vel Eccleſiæ aſcriptus erat. Unde verò nomen illud deductum ſit, an à Titulis in perſonas, an à perſonis in Titulos derivatum, inter eruditos non convenit.

Viſum quidem eſt Onuphrio Panvinio hanc appellationem primùm datam perſonis; iique tum Preſbyteri, tum Diaconi, ſi ipſi credimus, Cardinales dicti ſunt, qui præerant aliis. Cùm enim plures eſſent in ſingulis Baſilicis, hic unus Cardinalis erat, cujus fuit alios regere. Aliter placuit Cardinali Bellarmino, qui vult nomen illud olim Titulis inditum, deinde perſonis: quæ ſententia potior altera mihi videtur. Si enim is tantùm Cardinalis fuit, qui præerat aliis, cur Silveſtri tempore, quo Romæ Diaconi erant omnino ſeptem, ii omnes Cardinales nuncupati ſunt, & tamen qui ſubeſſet, nullus erat? Cur in Synodo S. Gregorii tres Preſbyteri Cardinales ſubſcripſerunt Titulo S. Balbinæ, duo S. Damaſi, Titulo S. Silveſtri totidem? Cur Epiſcopi itidem ac Preſbyteri Cardinales interdum dicti ſunt, quamvis, ut noſtra ætate, ita aliàs unus uni Sedi, nuſquam plures præfuerint Epiſcopi?

CARDINALES.

II. Perſonis, an locis nomen illud inditum.

Mihi, ut quod ſentio, aperiam, nec Onuphrii, nec Bellarmini ſententia probatur omni ex parte. Mea cujuſmodi ſit, paucis dabo: ſed à capite arceſſenda res eſt. Cardinalis nomen primis Eccleſiæ temporibus nuſquam, quod ſciam, uſurpatum eſt; ea tamen dignitas unà cum Eccleſia & nata eſt, & adolevit. Romani Præſules rei Chriſtianæ regendæ impares erant; adſciti ab iis viri & prudentiâ inſignes & pietate, quorum operâ in omnibus uterentur: quo munere defuncti perhibentur apud Petrum Linus, Cletus, Clemens, & apud alios alii.

III. Cardinalium origo.

Poſtquam verò Chriſtiana pietas per omnes Urbis regiones propagata eſt, tum Evariſto Pontifici è publica re fore viſum eſt, ſi ad civilis adminiſtrationis typum eccleſiaſtica fingeretur. Erant in Urbe regiones quatuordecim; Præfectus Urbi præerat omnibus; ſingulis ſinguli Curatores, qui cujuſque & gentis & familiæ invigilarent commodis. Eo uſus exemplo Evariſtus in regionibus ſingulis ſingulos erexit Titulos, hoc eſt, fidelium ædes ſacris ceremoniis dedicavit, ut in iis Baptiſma peragi, adminiſtrari Euchariſtia, prædicari Fides, aliaque ſacra procurari, & tutiùs poſſent & faciliùs.

IV. Tituli in Urbe inſtituti.

Cave enim ne Tituli nomine quidquam intelligas aliud,

V. Quid Titulus, quid velum.

CARDINALES. quàm domum divino cultui mancipatam. Ea enim mens fuit Joannis Diaconi, cujus de Gregorio Magno verba ſunt Lib. 3. c. 11. hæc: *Cardinales violenter ordinatos in Paræciis forenſibus in priſtinum Cardinem revocabat.* Eoque reſpexit Meldenſis Synodi canon 54. *Ut Titulos Cardinales in urbibus & ſuburbiis conſtitutos Epiſcopus ordinet canonicè & diſponat.* Unde verò deducta ſit ea vox, ſi aves ſcire, à rebus *fiſcalibus* manavit. Si quis enim Imperatori ſolvendo non erat, illius ædibus apponi Titulum moris fuit, ut addictæ Fiſco noſcerentur, & veluti Imperatori conſecratæ. Titulum inter & velum hoc intererat, quòd in velo Imperatoris eſſet imago depicta; in Titulo deſcriptum nomen. Ne quis tamen in Chriſtianorum Titulis Imperatorum aut nomina fuiſſe putet, aut inſignia: nihil enim erat hujuſmodi; ſed unum crucis inſigne, cujus conſpectu ſeſe Chriſtiani, cùm ad veram pietatem, tum ad martyrii decus hortarentur.

VI. Singulis Titulis præfecti Preſbyteri Cardinales. Titulis ſingulis ſinguli ab Evariſto præpoſiti ſunt Sacerdotes, quorum nota erat Pontifici & prudentia & ſanctitas; iique, niſi mea me fallit opinio, ſive tum, ſive aliquantò pòſt, *Cardinales* dici cœpti ſunt, quòd certam haberent ſedem, ſuiſque definitam terminis, ubi ſua obirent munia; alii non item. Apoſtolorum etiam exemplo Evariſtus ſeptem inſtituit Diaconos, qui ad omnia præſtò eſſent Pontifici; necdum iis tamen, opinor, datum *Cardinalis* nomen eſt. Ut Chriſtianorum, ita Titulorum ſenſim crevit numerus: ita enim ab Hygino deſcripta civitas eſt, ut ſingulis Sacerdotibus alii adjuncti ſint, & veteribus Tituli novi additi. Non omnibus tamen ſive Preſbyteris, ſive Titulis permiſſa eſt Cardinalis appellatio: ſed qui Sacerdotes in quoque Titulo aliis præerant, & qui Tituli cæteros vel antiquitate vincebant, vel dignitate, ii Cardinales dicti ſunt, quibus contributi erant in ſua quiſque regione cæteri.

VII. Diaconiæ inſtitutæ. Fabiani tempore Cardinalis nomen Diaconis communicari cœpit: is enim quatuordecim Urbis regiones ſeptem Diaconis attribuit, binas ſingulis: iis totidem erectæ Diaconiæ, in quibus ea, quæ Preſbyterorum ſunt, obire munera nefas erat. Fuit enim Preſbyteri populum fidei myſteria edocere; Catechumenos ſacro fonte abluere, conſecrare

Euchariſtiam, &c. Diaconi verò Euchariſtiam ægrotis, egentibus pecuniam, ſubſidium deferre omnibus. Ii Diaconi, quorum potior dignitas erat, Cardinales etiam appellati; cæteri non item. Auctus eſt haud multò pòſt Titulorum numerus, cùm à Dionyſio, tum à Marcello, qui viginti-quinque in Urbe Titulos fore juſſit. CARDINALES.

VIII. Tituli ab iis, qui dabant, appellati.

Ut verò haberent ii, tum Sacerdotes, tum Diaconi, quæ ad cultum & ad victum opus erant, adjuncta ſunt Titulis fidelium liberalitate prædia; & ab eorum, qui hæc dederant, nominibus nomina Titulis indita ſunt. Unde legere eſt interdum *Titulus Pammachii, Lucinæ, Damaſi, &c.* in quibus prædiis ſi fructuum ſatis erat, unde plures Cardinales alerentur, duo tréſve interdum Cardinales, ut conjectura eſt, Titulo præfecti. Unde in Synodo Romana tres Titulo Julii; ſub Gregorio Magno duo Titulo Damaſi ſubſcripſerunt. Ubi verò Chriſtiana res ſumma pace ſub Conſtantino florere cœpit, Titulis appellatio quò eſſet illuſtrior, vel à Martyribus, vel à Pontificibus, quorum inſignis pietas fuerat, quæſita eſt. Hinc videas, cur Cardinales alii aliunde in ſubſcriptionibus nomen repetant: ſunt qui ab ea, cui præerant, Urbis regione, iique Diaconi, alii à prædiis, alii à Martyribus. Ita in Synodo Romana ſub Symmacho ſubſcripſerunt, *Cyprianus regionis ſeptimæ Diaconus: Tertullus Diaconus regionis quartæ: Iacobus Presbyter Cardinalis S S. Vitalis & Prothaſii Titulo Veſtinæ: Laurentius Presbyter Cardinalis ſancti Silveſtri Titulo Equitii.*

IX. In voce *Cardinalis* bis lapſus Calvinus.

Abs re non fuerit hoc loco annotare Joannem Calvinum in Cardinalis nomine bis lapſum eſſe turpiter: ſemel, dum dicit nomen illud ante Gregorii Magni tempora nuſquam uſurpatum; iterum, dum nefas eſſe ſcribit, ſive Preſbyteris illud communicari, ſive Diaconis; quòd Gregorii ætate peculiare fuerit & proprium Epiſcopis: quæ duo, quàm falſa ſint, nemo non videt. Cuique enim obvius eſt Concilii Romani ſub Silveſtro canon ſextus, qui jam tum ſeptem Cardinales Diaconos Romæ fuiſſe nos admonet, & Gregorius ipſe Magnus, cùm ubique paſſim, tum epiſtolâ II libri quinti & *Diaconorum Cardinalium*, & lib. II epiſt. 34 *Presbyterorum Cardinalium* meminit. Maneat ergo *Cardinalis* no-

CARDI-NALES. men, quod innuere videtur Caſſiodorus, jam inde ab Hygini temporibus uſurpari cœptum eſſe.

CAPUT II.

Presbyteri Cardinales.

I. Triplex Cardinalium ordo. UNUM quidem Cardinalium Collegium eſt; non par tamen omnium eſt dignitas: tres enim veluti in claſſes deſcripti ſunt. Una eſt Epiſcoporum; Preſbyterorum altera; tertia Diaconorum. Epiſcoporum potior eſt dignitas: his proximi Preſbyteri: tertium locum Diaconi obtinent. Quòd tamen Epiſcopi multò poſt Preſbyteros & Diaconos in Cardinalium album adſcribi cœpti ſint; primùm de Preſbyteris agemus; deinde de Diaconis; poſtremò de Epiſcopis.

II. Preſbyteri Cardinales viginti-octo. Sanctus Petrus Romæ, ubi ſedem fixerat, & Preſbyteros inſtituit & Diaconos, ut illi populum erudirent ad Chriſtianam pietatem, & ſacra peragerent; hi egenis, viduis, pupillis aliquid afferrent opis: deinde Cletus Preſbyteros, ne plures eſſent, certo deinceps numero fore decrevit. Ne verò alii aliis in Sacramentis adminiſtrandis nocerent, Urbem omnem Evariſtus, uti diximus, in Titulos, ſive Parœcias deſcripſit, & ſingulis ſingulos præfecit Preſbyteros. Quò verò plures Chriſto nomen dedere, eò major & Titulorum & Preſbyterorum numerus, novique prioribus additi, ab Hygino, à Dionyſio, Marcello, Silveſtro, Julio, Damaſo, &c. Nec certus fuit & ſtatus Titulorum numerus ante Zoſimi tempora. Ut enim ſingulis Titulis ſui cuique præſcripti fines jam erant, ita tum viginti-octo Cardinales Preſbyteros, nec plures fore decretum eſt. Intra hunc modum ſterit & Titulorum & Cardinalium Preſbyterorum numerus à Zoſimi ætate ad Callixtum III, de quo paulò pòſt. Titulorum omnium nomina hoc loco ſi adſcripſero, longior ſim. Viſuntur etiam nunc Romæ hi penè omnes Tituli, ſi ſeptem exceperis, qui Gregorii Magni tempore Tituli aut eſſe, aut dici deſiti ſunt.

Operæ pretium eſt hoc loco docere paucis, cur tamdiu viginti-octo & Tituli fuerint & Cardinales. Erant in Urbe, cùm multæ Baſilicæ, tum quinque præ cæteris nobiles. Singulis ſingula adjuncta erant Palatia, Baſilicæ *Patriarchales*, Palatia *Patriarchalia* vulgò dicta. Nomina, ſi aves ſcire, ſunt hæc: Baſilica Salvatoris vel ſancti Joannis in Laterano, vel Conſtantiniana: Baſilica ſancti Petri in Vaticano: Baſilica ſancti Pauli extra muros Via Oſtienſi: Baſilica ſanctæ Mariæ Majoris: Baſilica ſanctorum Stephani & Laurentii extra muros Viâ Tiburtinâ. Quid verò ſpectarint Romani Pontifices in his tum Baſilicis, tum Palatiis conſtruendis, obſcurum eſt. Duplex vulgò afferri cauſa ſolet: una, ut ſi quando Romæ Synodus haberetur œcumenica, eſſet, ubi quiſque Patriarcha, & habitaret cum ſuis, & ſacra proprio ritu perageret; altera, ut vel inde quiſque intelligeret Romanum Pontificem longè cæteris præſtare Patriarchis, ejuſque potentiam non aliis, quàm Orbis Chriſtiani terminis definiri.

CARDINALES. III. Quatuor Eccleſiis Patriarchalibus inſerviebant.

Utut eſt, ſeptem cuique Baſilicæ Preſbyteri attributi ſunt, qui per hebdomadam in ea, ſuo quiſque die, ſacra perageret. Adſciti verò è viciniis urbibus Epiſcopi ſeptem, qui in Lateranenſi, quæ cæterarum princeps erat, ſtatis item diebus & divina obirent myſteria, & ſacrificanti Pontifici præſtò eſſent. In aliis quatuor Baſilicis ſeptem, uti dictum eſt, aſcripti Preſbyteri, qui numerus per quatuor ductus viginti-octo efficit: inde ſeptem Epiſcopi Cardinales, viginti-octo Preſbyteri, è quibus honoris ævo qui præſtat cæteris, Archipreſbyter Cardinalis dicitur.

IV. Lateranenſi ſeptem Epiſcopi Cardinales.

CAPUT III.

Diaconi Cardinales.

ANTE Evariſtum modò pauciores Diaconi Romæ erant, modò plures, pro Romanorum Pontificum arbitrio: ſeptem deinceps forte lege perpetua ſancivit Evariſtus. His regiones Urbis quatuordecim Fabianus diviſit, binas ſingulis. An omnes jam tum Cardinales dicti ſint, an

I. Cardinales Diaconi quatuordecim.

CARDINALES.

unus, qui præerat cæteris, Archidiaconus, aliter aliis videtur. Ubi verò latiùs per Urbem propagata eſt Chriſtiana religio, regionibus ſingulis ſinguli præfecti ſunt Diaconi: ita ut idem Diaconorum numerus fuerit, qui regionum Urbis. Deinde etiam ſingulis alii comites additi: tum is in quaque regione, cui ſuberant alii, *Cardinalis* appellari cœptus eſt, ut placet Onuphrio, cùm priùs unus Archidiaconus *Cardinalis* diceretur.

II. Eorum munera.

Quanquam eſt cur jam inde à Fabiani tempore *Cardinalis* nomen omnibus inditum fuiſſe ſuſpicer, quòd & ſinguli in Clerum Romanum jam tùm erant adſcripti, & quiſque certam haberet fixamque ſedem, ubi quæ ſui erant ordinis, perageret munera: ea enim notione *Cardinalis* appellatio à Gregorio Magno ſæpe uſurpata eſt. Tum enim ſua cuique Diaconia permiſſa eſt. Erant fidelium ædes cultui etiam divino conſecratæ; Titulis haud abſimiles, non Tituli tamen, quòd in iis nefas eſſet, aut divina peragere myſteria, aut quempiam ſalutaribus undis abluere. Gregorii Magni ætate inſtitutas Diaconias augurátur Onuphrius, cujus ſententia veráne ſit, an ſec..s, affirmare non auſim: ſed ſi conjecturâ, ut in re dubiâ, uti licet, multò antè erectas arbitror, ſed à Gregorio Magno aliis nominibus, quæ Martyrum fuerant, ut plurimùm inſignitas.

III. Quatuor Palatini additi.

Quatuordecim, de quibus hactenus actum, Diaconis quatuor alii item Cardinales aliquantò pòſt additi: idem quidem nomen, munia tamen diverſa. His enim nec regio ulla Urbis, nec pupillorum viduarúmque cura commiſſa eſt: unum his munus fuit in Lateranenſi Baſilica Summo Pontifici, dum ſacrum faceret, aut alia, quæ Pontificis ſunt, obiret munera, miniſtrare. Ita intra octodecim Diaconorum Cardinalium ordo ſtetit.

CAPUT

CAPUT IV.

Epiſcopi Cardinales.

I. Septem Cardinales Epiſcopi.

EPISCOPORUM Cardinalium paulò recentior memoria eſt: aſſentior enim Onuphrio, qui tum Cardinalis nomen communicatum Epiſcopis affirmat, cùm evocati Romam è vicinis urbibus Epiſcopi, ut in Lateranenſi Baſilica, aut ſuo quiſque die ſacra peragerent, aut celebranti Pontifici præſtò eſſent: qui quòd eodem munere fungerentur Laterani, quo Preſbyteri Cardinales in quatuor aliis, quæ Patriarchales erant, Baſilicis, inde *Cardinales Epiſcopi* dici cœpti ſunt. Eorum nomina, ſi quis ea requirit, hæc ſunt: *Oſtienſis*, *Portuenſis*, *Silvæ-Candidæ*, *Sabinenſis*, *Præneſtinus*, *Tuſculanus*, *Albanus*. Non in Baſilica ſancti Petri, ſed in Lateranenſi adſcripti ſunt, quòd ea tum Sedes erat Romani Pontificis, & multò pòſt fuit; ad eam enim habitarunt Romani Antiſtites uſque ad Clementem V, qui Avenionem Sedem tranſtulit. In Urbem ubi rediit Gregorius XI, in *Patriarchio*, ut loquuntur, ſancti Petri habitavit, aliique deinceps Pontifices; inde Baſilicæ ſancti Petri dignitas potior eſſe cœpit.

II. Alii additi nulla certa lege.

Non idem ſemper Epiſcoporum Cardinalium numerus fuit; ſed alii interdum additi, ut à Leone IX *Veliternus*, ab Urbano II *Nepeſinus*, à Paſchali II *Parmenſis*, & ab aliis alii: non Sedi tamen id datum eſt; ſed vel perſonæ ob egregia in Romanam Sedem merita, vel ut plurimùm tempori, quòd eſſet vel è publica re, vel è Romanæ Sedis commodo: quare non perpetua fuit ea dignitas; quod vel ex uno Leone X intelligere licet. A Julio II deſciverant Bernardinus *Carvajal*, & Guillelmus *Briçonnet*, Cardinales ambo, Sabinenſis alter, alter Præneſtinus Epiſcopus. Utrique & Cardinalis & Epiſcopi abrogata dignitas eſt, iiſque alii ſublecti: ſed aliquantò pòſt uterque à Leone X receptus in gratiam, & Purpuram, & ſuum quiſque Epiſcopatum recepit. Aliis, qui in eorum locum erant ſuffecti, ne Cardinalis

CARDINALES. Epiſcopi dignitate exciderent, Reatinam & Tiburtinam ſedem, alteram alteri, Leo indulſit. Septem ut plurimùm Epiſcopi Cardinales erant; unus tamen à Callixto II detractus eſt: quòd enim Silva-Candida à Barbaris vaſtata ſæpius fuiſſet, Epiſcopi ſedes Portuenſi adjuncta eſt; inde ad noſtra uſque tempora ſex Epiſcopi Cardinales fuerunt.

III. Decanus præeſt omnibus. Fuit in ſingulis ordinibus, qui præeſſet cæteris, Preſbyteris Archipreſbyter, Diaconis Archidiaconus, & tum Epiſcopis, tum univerſo Cardinalium Collegio Decanus: quæ dignitas, nec nobilitati, nec gratiæ data eſt, ſed ætati. Quò enim quiſque honoris ævo antiquior erat, eò Decani dignitati vicinior: is demum Decanus, qui omnium antiquiſſimus, ſive is Portuenſis eſſet Epiſcopus, ſive Tuſculanus, ſive Oſtienſis, &c. donec à Paulo IV ſancitum eſt, ne ſenioris, ſi abeſſet, ulla ratio haberetur; ſed is Decanus eſſet, qui ex Epiſcopis Cardinalibus, qui tum Romæ adeſſent, dignitatis honore eſſet antiquior: quod Ludovico Borbonio & Franciſco Turnonio Gallis fraudi fuit. Iis enim, quòd in electione Pauli IV abfuerant, quamvis erant Collegii totius principes, denegata ea dignitas eſt; delata verò, qui aderat, Joanni Bellàio.

CAPUT V.

Cardinalium Epiſcoporum Sedes.

ANIMUS eſt hoc loco de ſingulis Cardinalium Epiſcoporum ſedibus nonnulla ſubjicere: id enim & inſtituti noſtri ratio, & res ipſa poſtulat.

I. Oſtia. Oſtia ad Tiberim juxta litus maris ab Anco Martio Rege condita eſt, cænoſo quidem ſolo cæloque gravi; civium tamen multitudine fuit, & ædificiorum ſplendore nobilis: multò pòſt à Claudio Imperatore, quò ſtatio navibus tutior eſſet, Portus Oſtienſis effoſſus eſt commercio percelebris. Poſtquam verò Imperii Romani decus omne concidit, Oſtia à Barbaris vaſtata ſæpius; tandem à Saracenis penitus exciſa eſt: ſicque diu jacuit, donec anno DCCCXX

ſub Gregorio IV ædificari iterum, muris circumdari, & Corſorum coloniâ frequentari cœpit. Sed paulò pòſt ob cæli gravitatem, ſenſim dilapſi ſunt incolæ; inde ad caſas penè redacta, inſigne nihil habet præter turrim Martini Columnæ, & Julii II caſtellum. CARDINALES.

II. Oſtienſis Cardinalis jura.

Oſtienſi Epiſcopo cùm multa ſunt præcipua, tum hæc potiſſimùm, quòd & Summum Pontificem ipſe conſecret, & ab ipſo conſecretur; quòd jam inde à Marci Pontificis temporibus utatur Pallio; quòd die Dominica coram Pontifice ſacra peragat; quòd inter Cardinales locum ubique principem obtineat. Huic etiam contributæ ſunt ab Eugenio III Velitræ, ſedes olim Epiſcopalis, & Volſcorum quondam oppidum, Octaviæ gentis origine nobile.

III. Portus.

Portus tenue oppidum eſt, non procul ab Oſtia ad dexteram Tiberis ripam, à Claudio conditum, & ornatum à Trajano; unde modò Claudii Portus, modò Trajani dicitur: piſcatorum receſſus ignobilis, ubi præter civitatis rudera nihil reliquum eſt.

IV. Portuenſis Cardinalis munera.

Ut Oſtienſi Epiſcopo inter Cardinales primæ delatæ ſunt, ita Portuenſi ſecundæ: huic etiam Callixtus II anno MCXX ſubjecit oppidum ſanctæ Ruffinæ, cujus vix ullum veſtigium ſupereſt. Epiſcopi Cardinalis olim item ſedes erat, cui à SS. Ruffinæ & Secundæ ſororum nominibus nomen inditum eſt, cùm priùs Silva-Candida diceretur. Hujus oppidi Epiſcopo olim licebat, & etiam nunc Portuenſi licet, tum in Eccleſia Vaticana, tum in aliis urbis Leoninæ Baſilicis omnia, quæ aut Preſbyterorum ſunt, aut Epiſcoporum, obire munera, ut pueros ſacro fonte abluere, conficere chriſma, ordinare Clericos.

V. Cardinalis Sabinenſis.

Sabinenſi Epiſcopo hoc unum ſingulare eſt, quòd ipſi nomen non ab Urbe, ut cæteris, factum ſit, ſed à regione, quæ oppidis frequens, Nare, Tiberi, Aviene fluviis definitur: Baſilica tamen, totius diœceſis caput, ſancto Liberato ſacra viſitur in oppido, cui *Malliano* nomen eſt.

VI. Præneſte.

Præneſte, templo quondam Fortunæ, & bellis in Romanos geſtis nobilitata, civitas Latii eſt, impoſita montis jugo, unde nomen traxiſſe fertur. Anno MCI ſub Paſchali II venit in Columnenſium ditionem: bis & exciſa fuit & reſtitu-

CARDINALES. ta; ſemel ſub Bonifacio VIII, quòd Columnenſium, quibus infenſus erat, partes foveret; iterùm ſub Eugenio IV, quòd Poncellotum & Nicolaum Fortebraccios Romani nominis hoſtes recepiſſet. Toties à Columnenſibus reparata, donec anno MDCXXX cuncta civitatis illius jura ſub Urbano VIII pacta mercede ceſſerunt Barberinis. Nihil præ cæteris Epiſcopus habet præcipui.

VII. Tuſculum. Tuſculum ſub montis jugo ſitum, Octavii quondam Mamilii nomine, & Ciceronis villâ percelebre: multò pòſt Comitum Tuſculanorum ſedes fuit, quorum potentia Summis Pontificibus ſæpe terrori fuit, aliquando etiam ſaluti. Ab iis enim magna clade victi ſunt Romani, qui à Friderico OEnobarbo ſtabant contra Alexandrum III; ſed paulò pòſt Tuſculum à Romanis, qui altero prælio vicerant, ſub Cæleſtino III ſolo æquatum eſt, cujus etiam nunc prope Fraſcatum viſuntur rudera. Regio hæc omnis, & Pontificum & Cardinalium, ſive villis, ſive palatiis ad calores arcendos frequentata eſt. *Fraſcatum* ignobile licèt oppidum juſſu Pauli III civitatis nomen adeptum eſt, ut Epiſcopi Tuſculani ſedes eſſet.

VIII. Albanum. Alia fuit olim civitas *Alba*, alia nunc *Albanum*: illa ſupra montem; hæc ad montis radices condita: illa à Romanis ita diruta eſt, ut vix tenue Plinii ætate illius extaret veſtigium. Albanum verò ibi eſt, ubi olim & Pompeii villa fuit, & aliquantò pòſt cohortium Prætorianarum ſtatio. Cùm enim nundinæ & annonæ & mercium divendendarum causâ ſæpius haberentur, ſenſim ibi ædificari cœptum eſt: ita ut in oppidum excreverit, cui Albani Prætorii nomen factum. A Gibellinis ſub Alexandro III penè exciſum eſt; ſed ab Honorio III è gente Sabella, cujus in ditione erat, reſtitutum.

CAPUT VI.

Varia Tituli vel Diaconiæ, &c. permutandæ ratio.

MORIS fuit per mille & ducentos ampliùs annos, ut Diaconus Diaconiam, Titulum Presbyter, & Epiſcopatum Epiſcopus Cardinalis numquam mutaret, niſi aut ex Diacono Presbyter fieret, aut ex Presbytero Epiſcopus. Tum Diaconus Diaconiam dimittebat, Presbyter Titulum, ut Titulum ille, hic Epiſcopatum obtineret. Sub Bonifacio IX ea obſervari conſuetudo anno circiter MCCCXCIII deſita eſt: tres potiſſimùm cauſæ afferri ſolent; duæ legitimæ, tertia non item. Prima eſt hujuſmodi.

I. Primùm eamdem Diaconiam Diaconus, & Preſbyter Titulum ſemper regebat.

Si quid à quoquam peccatum eſſet gravius, is vel Diaconiâ, ſi Diaconus; vel Titulo, ſi Preſbyter, dejectus eſt: illiuſque ſive Diaconia, ſive Titulus conceſſus alteri. Deinde ubi ad priſtinum honorem, ut fit, revocatus erat, non ipſi prior Titulus datus eſt, ſed alius: quod Philippo de Alenconio contigiſſe legimus, qui ab Urbano VI Sabinenſi Epiſcopatu privatus, reſtitutus aliquantò pòſt à Bonifacio IX Oſtienſem ſortitus eſt. Altera cauſa ab Urbani & Clementis ſchiſmate petita eſt. Cùm enim ambo ſe pro Pontifice gererent, creati ſunt ab utroque Cardinales plurimi, datuſque ab utroque idem ſæpe Titulus; ſed ab altero alteri: unde duo erant ejuſdem Tituli Cardinales, quorum alter Urbano favebat, alter Clementi. Quare poſtquam à Piſana Synodo Pontificia poteſtas & Gregorio & Benedicto abrogata eſt, illiſque ſublectus Alexander V, hæc concordiæ inita ratio eſt: ut è duobus Cardinalibus, alter Titulum, qui utriuſque fuerat, retineret; alter alterum ſortiretur. Tertia cauſa, vel opum cupiditas fuit, vel honorum ambitio: ſi cui enim tenuior erat, aut Diaconia, aut Titulus, aut Epiſcopatus, eo dimiſſo, alium popoſcit; quod ſub Alexandro V anno MCCCCIX uſurpari cœpit. His enim temporibus cum à multis factitatum eſt, tum à Jordane Urſino, qui omnium princeps eum morem induxiſſe fertur, cùm ſemel

II. Deinde ſuam Diaconiam Diaconus dimiſit, aliamque habuit, & Preſbyter Titulum.

CARDINALES.

Titulum S. Martini dimiſit, iterum Albanum Epiſcopatum, ut Sabinum, qui ditior erat, obtineret.

III. Diaconiæ datæ Preſbyteris, & Tituli Diaconis.

Ea tamen in his mutationibus adhibita cautio eſt, ne quis aut Diaconus Titulum haberet, aut Preſbyter Diaconiam: ſed pro cujuſque gradu data eſt ſemper, & Diaconia Diacono, & Preſbytero Titulus. Sed non multò ſub Sixto IV nulla Titulorum aut Diaconiarum, nulla gradûs habita eſt ratio. Is enim præter morem antiquum, & Diaconias Preſbyteris, & Diaconis Titulos indulſit: aliquid enim hujuſmodi abſque conſenſu Pontificis attentare etiam tum nefas erat. Nam extremo Alexandri VI Pontificatu optio inducta eſt, quâ cuique licet, ſi tenuiorem habet ſive Diaconiam, ſive Titulum, ſive Epiſcopatum, ditiorem, ubi vacat, occupare. Exemplo id planius erit. Inter Epiſcopos Cardinales, ſi vacat ſedes Albana, optat Archipreſbyter Cardinalis; ſi Prænestina, Albanus Epiſcopus; ſi Sabina, Prænestinus, & ſic deinceps uſque ad Oſtienſem: quo fit, ut ex omni Cardinalium Collegio unus non optet, qui omnium ditiſſimus eſt, Oſtienſis.

IV. Denique optio inducta, ipſiuſque leges.

De optionibus poſtea, ne quid in iis peccaretur, nonnullæ ſancitæ ſunt leges: ne abſentis Cardinalis, niſi publicæ rei causâ abſit, ulla ratio habeatur: ut cuique intra ſuum ordinem optare liceat, hoc eſt, Diacono Diaconiam, & Preſbytero Titulum; ita tamen ut in ſuo quiſque ordine primas ferat, qui ſenior: ut quis ſenior ſit, nec ætatis habeatur ratio, nec temporis, quo quis Purpuram adeptus eſt; ſed quo in eum ordinem ſive Preſbyteri, ſive Diaconi, ſive Epiſcopi, ubi ſenior eſſe dicitur, adſcitus eſt. Unde qui inter Diaconos principem locum obtinebat, ſi fiat Preſbyter, habebit infimum in illo ordine. Optent Archidiaconus & Archipreſbyter, ille Titulum, hic Epiſcopatum: qui optare ſi nolint, optet in quoque ordine, qui utrique honoris ævo proximus eſt. Cardinalibus quidem poſitæ ſunt hæ leges; non tamen Summo Pontifici, penes quem cùm rerum omnium ſumma ſit poteſtas, dat pro arbitrio, cui libitum eſt, nulla habita ratione, ſive ætatis, ſive ordinis, Diaconias, Titulos & Epiſcopatus.

CARDINALES.

CAPUT VII.

Cardinalium numerus.

CUM Romanus Pontifex Chriſti vices gerat; aut cum Chriſto conferri jure poteſt, aut cum iis, qui ipſius, teſte Scriptura, imperium portenderunt: unde non idem omnibus probatur numerus Cardinalium. Sunt, qui plures requirant; ſunt, qui pauciores; ſed alii aliunde hunc numerum repetunt. Qui ex Chriſti Apoſtolis, ii jubent eſſe duodecim, nec plures; qui vel ex Diſcipulis, vel ex Senioribus, qui adſtabant Moyſi, ſeptuaginta: qui ex Apoſtolis & Diſcipulis conjunctim, nonaginta: qui ex Senioribus, qui apud Joannem ſtabant ante thronum Agni, quatuor ſupra viginti. Eoque reſpexiſſe videtur Conſtantienſis Synodus, dum Cardinales viginti-quaruor fore decrevit. Sed ne quid diſſimulem, ad Cardinalium numerum hæc omnia nihil pertinent: hæc una lex huic numero præſcripta eſt, Pontificis arbitrium; quare alius alio tempore Cardinalium numerus fuit. I. Cardinalium numerus alius ab aliis definitur.

Quot olim fuerint Cardinales, ex ipſis, & Diaconiis, & Titulis colligere licet. Ad annum MCXXV quinquaginta tres fuiſſe perhibentur; Epiſcopi ſeptem, viginti-octo Presbyteri, Diaconi octodecim: ſed eorum duplex claſſis erat; Regionarii quatuordecim; quatuor Palatini. Nec enim audiendi ſunt ii, qui anno Chriſti CCXLV ſub Pontiano Cardinales CCXXXVI fuiſſe putant. Nec minùs explodenda Platinæ ſententia eſt, qui ſub Paſchali II nonaginta fuiſſe perhibet. Sub annum MCXXV Cardinalium numerus minui ſenſim cœpit; hæc cauſa proditur. Dirum fuerat & diuturnum inter Romanos Pontifices & Germaniæ Reges diſſidium, maximè de Epiſcoporum electionibus: pax tandem inter Callixtum II & Henricum V ſancita eſt, juſque Summi Pontificis aut eligendi, aut confirmandi abrogatum Imperatori, delatum Cardinalibus, quorum multitudo, ne locum daret ſchiſmati, cùm ab Honorio II, tum ab aliis deinceps Pontificibus, mortuis alios ſublegi deſitum eſt. II. Minui ſenſim cœpit.

CARDINALES. Quo factum eſt, ut eorum numerus & incertus poſtea fuerit, & ad eam redactus paucitatem, ut in electione Nicolai III anno MCCLXXVII ſeptem tantummodo adfuerint Cardinales, tres Preſbyteri, Diaconi quatuor.

III. Denique auctus ad LXX, &c. Deinde eorum numerus augeri cœpit, ut jam ſub Bonifacio VIII eſſent viginti: nec tamen ante Sixti IV tempora trigeſimum attigerat, cùm ille neglecto Conſtantienſis Synodi decreto, illiuſque ſecutus exemplum Alexander VI plus triginta habuerunt; neuter tamen ad quinquaginta-tres pervenit. Excitit aliquantò pòſt Leo X, qui præter morem antiquum anno MDXVII Cardinales unum & triginta eodem die appellavit, eoſque ad ſexaginta-quinque provexit. Alii etiam à Paulo III, Paulo IV & Pio IV additi, ita ut ſub Pio IV (numquam plures fuerant) LXXVI numerarentur. Ut aliquis tandem huic rei modus eſſet, à Sixto V lege lata ſancitum eſt, ut exemplo Seniorum, qui Moſi erant à conſiliis, ſeptuaginta, nec plures, Cardinales eſſent, Epiſcopi ſex, Diaconi quatuordecim, quinquaginta Preſbyteri. Ut Cardinalium, ita Titulorum, auctus eſt numerus: unum Calliſtus III; alterum addidit Sixtus IV; Leo X duodecim; tres Julius III; unum Paulus IV; unum etiam Pius IV; tres Pius V: quos ſi antiquis adjunxeris, idem ſit Titulorum numerus, qui Preſbyterorum Cardinalium.

CAPUT VIII.

Cardinalium inſignia.

I. Cardinales uſi olim eadem veſte, quâ alii Clerici. QUo veſtium genere uſi ſint olim Cardinales, non liquet: iis ego aſſentior, qui eumdem illis veſtitum fuiſſe putant, qui aliis aliarum civitatum Clericis. Sunt, qui velint Conſtantinum Magnum, ut Phrygium, ut mitram, ut alia Imperatoris ornamenta, Summo Pontifici; ita Cardinalibus indulſiſſe Purpuram, quæ & Patriciorum erat & Conſulum. Cardinales enim, inquiunt, Conſtantinus eodem loco haberi voluit, quo Patricios: quòd, ut iſti in regendo Imperio Imperatori; ita illi in Chriſtiana re promovenda,

Summo adeſſent Pontifici. Nituntur illi quidem donatione Conſtantini, quæ ſi fictitia eſt, ut eruditis pleriſque videtur, hæc opinio corruat, neceſſe eſt. Eò accedit, quòd à nemine memoriæ proditum ſit, Cardinalibus ea ætate veſtem fuiſſe purpuream. Maneat ergo, & ante Conſtantini tempora, & multò pòſt Cardinales eadem veſte uſos fuiſſe, quâ cæteri, cùm in Urbe, tum in aliis civitatibus, Clerici. CARDINALES.

Unum eſt tamen, quod cuipiam fortè injiciat ſcrupulum: Clero Romano peculiare quoddam indumentum fuit, ut Gregorius ipſe Magnus autor eſt. Petierat ab eo Joannes Ravennas Epiſcopus, ut Ravennatibus Clericis itidem ac Romanis liceret uti mappulis. Reſpondit Gregorius, Clerum Romanum, ne id concederet, vehementer obſtitiſſe; quòd id & Romanis Clericis proprium eſſet, & perpetuum, & à nemine uſquam uſurpatum. Unde quis fortè ſuſpicetur hoc veſtimentum Cardinalium fuiſſe: ſed expedita reſponſio eſt, quòd ea veſtis, nec propria Cardinalium fuerit; ſed communis Clericis omnibus, nec omnibus, aut diebus, aut locis adhiberi ſolita; ſed in iis tantùm, quæ ad religionem pietatemque pertinerent. II. Mappula tempore S. Gregorii. L. 2 ep. 54.

Quodnam verò veſtimenti genus fuerit hæc mappula, conjicere haud promptum eſt. Nec eorum enim ſententiæ ſubſcripſerim, quibus mappa, ſive mappula idem eſt, quod linteus ille candidus, quo nobilium virorum equi exornari interdum ſolent. Quid enim hujuſmodi ornamenta ad Clericos Ravennates pertinent? Has ego mappulas iis veſtibus, quibus nunc utuntur Canonici, haud abſimiles dixerim; idque tum Clero Romano, niſi falſus ſum, ſingulare fuit: ſed poſtea communicatum pluribus. III. Mappula quid.

Cardinalium verò inſignia, ut quid certi de iis dicamus, præcipua ſunt hæc: pileus ruber, purpurea veſtis, bireta coccinea, mitra ſerica, annulus, & ſingularis quædam, quæ honoris ergò præmitti vulgò ſolet, appellatio. A quo ſingula data ſint, paucis accipe. IV. Cardinalium inſignia.

Dum bello arderet Italia, Innocentius IV, Fliſcæ gentis ingens decus, cùm inſidias domi foriſque ſibi à Friderico II ſtrui cerneret, venit in Galliam: Concilium generale Lugduni convocat: in eo nomen Imperii abrogatum V. Pileus ruber.

CARDINALES. Friderico, & Cardinalibus anno MCCXLIV rubri pilei datum inſigne, quo & Cardinales, & præ cæteris id haberent præcipui, & exilii, mortiſque pro fide, pro Eccleſiæ juribus, ſi res poſceret, perferendæ, admonerentur.

VI. Datus etiam Religioſis Cardinalibus. Fuit quidem rubri pilei inſigne Cardinalium proprium, non commune tamen omnibus. Qui è Religioſis erant Ordinibus in Cardinalium album adſcripti, ii non rubrum, ut cæteri, ſed eodem colore, quo veſtis erat, pileum geſtabant, donec Bonellus, cui Cardinali Alexandrino cognomen fuit, Pii V pronepos, anno MDXCI à Gregorio XIV impetravit, ut qui Cardinalibus ex Regularibus, ut loquuntur, Ordinibus adſciti fuerant, pileo, itidem ac alii, rubro uterentur; ipſeque, qui è Familia Dominicana fuerat, die SS. Trinitati ſacro unà cum aliis, qui tum erant Romæ, rubrum à Pontifice pileum recepit.

VII. Non miſſus in provincias. Ante Urbani VI Clementiſque ſchiſma moris fuit, ut qui allectus erat in Cardinalium numerum, is continuò Romam peteret, ubi Summus ipſe Pontifex coràm daret pileum. Mittere enim abſenti nefas his temporibus viſum, quòd Cardinales, ſive Epiſcopi eſſent, ſive Preſbyteri, ſive Diaconi, ibi ubi Titulus erat, reſidere, ut vocant, tenerentur. Unde perrarò miſſus in provincias pileus eſt, iiſque tantummodo, quibus ire Romam non erat integrum, quòd, aut publicæ rei causâ abeſſent, aut ſummâ apud Principes gratiâ florerent. Nunc obtinuit uſus, ut pileus mittatur abſenti, quamvis cur non eat Romam, nihil cauſæ ſit.

VIII. Veſtis purpurea. De veſte purpurea non eadem omnium opinio eſt. Sunt, qui velint unà cum galero rubeo conceſſam ab Innocentio IV fuiſſe. Sunt, qui Paulo II id tribuant, ſed temere: cum multò antè Cardinales adhibuiſſe purpuram paſſim legere liceat. Alii Bonifacium VIII. Cardinalibus anno MCCXCV indulſiſſe purpuram arbitrantur: quæ opinio verior aliis eſt aliquantò, ſi Ciaconio credimus. Eò etiam reſpexiſſe videtur Petrarcha, dum ſcribens ad Cardinalem Sabinenſem, *rubentis panni*, *veſtiſque purpureæ* meminit. Ea veſtis, quod extra controverſiam eſt, permiſſa eſt primùm Legatis à latere. Cùm verò ad hujuſmodi munera Cardinales ut plurimùm adhiberentur, & in Collegio perpauci eſſent, aut

nemo, qui legationem non obiret; (erant enim multò pauciores, quàm ætate noſtra Cardinales, Legati multò plures) inde factum opinor, ut & multi perfuncti legationibus illud priſtinæ dignitatis inſigne retinerent; & ea veſtis, tum uſu, tum tacito Romani Antiſtitis conſenſu, Cardinalibus, & communis & propria facta ſit: quod jam ſub Bonifacii VIII tempora uſu receptum arbitror. Cardinales.

IX. *Pannus rubeus, mitra ſerica.*

Cùm à multis Pontificibus, tum maximè à Paulo II Cardinalitia dignitas pluribus eſt ornamentis inſignita. Is enim anno MCCCCLXIV illis tria indulſit: pannum rubei coloris, quo eorum, ſive equi, ſive muli ad pompam tegerentur; uſum mitræ ſericæ, *operis*, ut vocant, *Damaſceni;* & rubra capitia, quibus unus antea Pontifex utebatur. Quò verò Cardinales id præter cæteros haberent præcipui, edicto cavit, ne quis præter Cardinales hujuſmodi inſigne, maximè in ceremoniis publicis, adhiberet.

X. *Annulus aureus.*

Unus ſupereſt annulus. Aureus eſt, gemmaque inſignis, ſummæ tum dignitatis, tum mortuo Pontifice poteſtatis argumentum. A quo, quandóve id conceſſum ſit Cardinalibus, non liquet: vel à Bonifacio VIII, vel à Paulo II, à quibus ornata multis inſignibus ea dignitas, id factum, ut in re dubia, auguror: uter id dederit, neſcio.

XI. *Titulus Eminentiſſimi.*

Cùm in aula Romana Cardinales eodem loco ſint, quo apud nationes exteras regii ſtemmatis Principes; idem illis habitus honos, iidem dati tituli. Unde ſi quis aut ad Cardinalem, aut de Cardinale ſermonem haberet, is honoris causâ nonnihil præfari, & *Illuſtriſſimi* vocabulum præmittere vulgò ſolebat. Quòd verò hæc appellatio ſenſim, ut fit, & communicata ſit pluribus, & cœperit vileſcere; ab Urbano VIII haud ita pridem proſcripta eſt, illiuſque in locum *Eminentiſſimi* inducta vox, quæ & illuſtrior, & uſurpata rariùs. Ne tamen, itidem ut alia, vileſceret, illam adverſus alios adhiberi vetitum: quatuor tamen præterea ſumma dignitate viris tribui ſolet, qui Ordini Melitenſi ſummo jure præeſt, Magiſtro, & tribus Germaniæ Archiepiſcopis, Moguntino, Colonienſi, Trevirenſi, penes quos deligendi Imperatoris poteſtas eſt. Ii & *Reverendiſſimi*, ut antea, & *Eminentiſſimi*, haud aliter ac Cardinales appellantur.

CARDINALES.

CAPUT IX.

Cardinalium dignitas.

I. Cardinalis Epiſcopo initio dignitate par. NON idem aliàs, qui nunc eſt, Cardinalitiæ dignitatis ſplendor erat: nec enim Cardinalis Epiſcopus, ſi junior erat, præ aliis Epiſcopis primas tulit. Hæc conſtans de loci prærogativa & perpetua lex erat, ut, cùm unà erant Epiſcopi duo, quorum alter Cardinalis eſſet, alter non item, qui ordinationis tempore altero erat antiquior, is locum haberet honeſtiorem: Cardinalis verò Presbyter, aliis quidem Presbyteris dignitate potior erat; at Epiſcopis omnibus inferior. Unde Epiſcopi dignitas pluris fuit, quàm Cardinalis; & unde ex Epiſcopis nullus in Cardinalium numerum adſcitus; multi verò è Cardinalibus Presbyteris creati Epiſcopi, à quibus nomen *Cardinalis* continuò repudiatum; aſſumptum *Epiſcopi*, quod tum & ſanctius erat & illuſtrius.

II. Deinde ſuperior. Ubi verò plus & autoritatis Cardinalibus acceſſit & poteſtatis; tum non ex Cardinalibus Epiſcopi, ſed ex Epiſcopis Cardinales allecti: quia tum locus honoris, nec ætati datus, nec ordinationis tempori; ſed pro Pontificum arbitrio Cardinalium Ordini, quibus tot à Pontificibus data ſunt privilegia, ut non Epiſcopi modò, ſed & Metropolitani & Patriarchæ iis loco decederent: quod undecimo ſæculo ſub Gregorio VII & Urbano II uſurpari cœpit, & ſub Alexandro III diuturno jam uſu ſtabilitum. Tum enim, ſi unquam aliàs, victo ab Italis Friderico, & Pontificis & Cardinalium autoritas enituit; tumque Epiſcopi ab Alexandro in Cardinalium cœtum allegi cœpti ſunt.

III. Ex Archiepiſcopis facti Cardinales. Id de Conrado, qui & Moguntinus Epiſcopus erat, & Friderici affinis, memoriæ proditum eſt. Ab Alexandro contra Fridericum ſtabat: quare pulſus Epiſcopatu Romam fugit, ubi omnium princeps Epiſcopatu Sabino à Pontifice donatus eſt: quem extincto ſchiſmate unà cum Moguntino retinuit. Ita ille, & ſibi & aliis Epiſcopis ad honorem Pur-

puræ aperuit aditum: ea tamen illis temporibus adhibita cautio eſt: ut, qui ex Epiſcopo in Cardinalem adſcitus erat, is nec Diaconus eſſet Cardinalis, nec Preſbyter; ſed Epiſcopus: quod ad Clementem III, qui anno MCLXXXIX ſedebat, obtinuit. Ab eo enim Joannes & Ruffinus Epiſcopi, ille Viterbienſis, hic Ariminenſis, inter Cardinales Preſbyteros cooptati ſunt: unde profluxit ea conſuetudo, ut Epiſcopi, ſi jam conſecrati erant, fierent Preſbyteri Cardinales; ſin minùs, Diaconi: omnes Epiſcopi poſtea vocari deſiti ſunt; ſed Epiſcopatus hi *Electi* dicti ſunt, illi *perpetui Adminiſtratores*. Pauca tamen ante Clementem V hujuſmodi exempla reperire licet. Poſtea verò uſque adeo deſcivit in pejus diſciplina, ut Epiſcopatus quatuor, quinque, ſexve, ſive in *Titulum*, ſive in *Commendam*, ut loquuntur, ſive quovis alio nomine, vel unus Cardinalis aut Preſbyter, aut Diaconus poſſideret: quod deinceps ne fieret, à Tridentina Synodo cautum eſt. CARDINALES.

IV. Unde tanta Cardinalium dignitas.

Cur verò aucta tot ornamentis fuerit Cardinalium dignitas, ſi quis avet ſcire, hæ potiſſimùm cauſæ perhibentur. Una, jus ſive eligendi, ſive confirmandi Pontificis Romani, ut dicitur, Imperatoribus abrogatum; conceſſum Cardinalibus. Altera, ſancita lex, ne quis niſi ex Cardinalium Senatu in Romanum Præſulem legeretur. Tertia, amplificata multis provinciis ditio Pontificia: pulſis enim ex multis urbibus Tyrannis, crevere Pontificum opes, crevit itidem Cardinalium autoritas. Quarta, frequentes Romanorum Antiſtitum in Gallias fugæ: quòd enim Conciliis cum Pontifice Cardinales præſiderent, cognoſcerent de cauſis Epiſcoporum, ſummo jure ferrent ſententias; adhibita adverſus Pontificem reverentia, præſtitaque in omnibus obſervantia, ad ipſos etiam quodammodo pertinebat. Quinta, in Gallia, Hiſpania, Germania, Anglia obitæ legationes: tum enim illorum erat vocare Synodos; iis nomine Pontificis præeſſe, Epiſcopos & Metropolitas, ſi quid à quoquam peccatum eſſet, vel ſede dejicere, vel ſacris piorumque cœtu prohibere: unde Epiſcopi illos metuere, ut judices; revereri, ut dignitate ſuperiores & munere; iiſque cedere loco, ut Præſulis Romani Vicariis; idemque omnibus habitus honos,

CARDINALES. ſive Epiſcopi eſſent, ſive Presbyteri, ſive Diaconi, quòd omnium eadem eſſent munera, idem Purpuræ decus, par in judicando autoritas.

V. Loco honoris Reges ceſſerunt Cardinalibus. Ea fuit populorum omnium erga Sedem Romanam obſervantia, ut non regii modò ſanguinis Principes, ſed & Reges ipſi interdum loco deceſſerint. Exempla quædam, pauca illa quidem, ſed inſignia ſubjicere libuit. Caroli duo Gallici ſtemmatis Principes, Claudus & Martellus, alter alterius pater, ambo Reges, ille Siciliæ, hic Hungariæ, perhibentur unà cum Cardinalibus Peruſii anno MCCXCIII ad menſam conſediſſe. Inter Cardinales uterque medius ſedit inter primos Epiſcopos Siciliæ Rex, inter Diaconos Rex Hungariæ. Anno MCCCCLV Cardinalis Vicecancellarius ante Regem Romanorum Maximilianum aſſedit: Venetiarum Duci inter duos ultimos Cardinales anno MCCCCLXIV locus datus: Regi Daniæ anno MCCCCLXXIV inter duos primos.

VI. In Gallia Cardinales regii ſanguinis Principibus. Locus longè honeſtior, ut par erat, permiſſus eſt Francorum Regibus Carolo VIII & Franciſco I, quorum uterque, ille ſub Alexandro VI anno MCCCCXCV, hic Bononiæ anno MDXV ſub Leone X, ante omnes Cardinales, qui locus honoris, conſedit. Nec mirum, cùm ea ætate Cardinales, vix cum regii ſanguinis Principibus, nedum cum Regibus in Gallia de loci prærogativa contenderent. Fuit illud quidem apud Sangermanum in Galliæ totius Comitiis anno MDLXI diſceptatum: at pro Principibus contra Cardinales pronuntiatum eſt. Cardinalibus aliis aliter viſum: profeſſus palam eſt Borbonius ſedere ſe ante Condæum fratrem non Purpuræ prærogativâ, ſed ætatis: paruerunt Caſtilloneus & Armeniacus; Turnonius, Lotharingius & Guiſius, non item. Non omnia quidem, quæ ad Cardinalium dignitatem pertinent exempla collegi, ſed ea tantùm, quæ inſignia ſunt, ne longior ſim.

VII. Qui ſcripſerunt de Cardinalibus. Hæc habui ferè de Cardinalibus, quæ ſcriberem: ſi quis requirat plura, de Cardinalium muneribus, privilegiis, Congregationibus, &c. conſulat Panvinii libellum de Epiſcopatibus, Titulis & Diaconiis Cardinalium; Ciaconium in Vitis Pontificum & Cardinalium; Oldoïnum in Notis ad

Ciaconium; Jacobum Cohellium in Notitia Cardinalatûs: Blaſium Bagnum de præcipuis Eccleſiæ Romanæ Dignitatibus; Hieronymum Platum de Cardinalis dignitate & officio: *Aubery* de Cardinalis dignitate Gallicè; & Cardinalem Eminentiſſimum de Luca Italicè. CARDINALES.

DISSERTATIO SEXTA.

De provincia Romani Metropolitani.

HUjus Diſſertationis, quæ in ultimum locum de induſtria rejecta eſt, partes erunt quinque. Videbimus primò, quæ fuerit diviſio Italiæ: deinde quæ Urbis regendæ ratio: tum proponentur variæ de provincia Romani Metropolitani opiniones: pòſt noſtra explicabitur: denique refellentur ea quæ objici ſolent.

CAPUT I.

Italiæ diviſio.

ITALIÆ cùm multiplex diviſio fuit, tum duæ potiſſimùm præ cæteris nobiles: altera Augusti in regiones undecim; Conſtantini altera in ſeptem-decim provincias. Diverſa utriuſque ratio fuit: ſed primam, quia ad rem noſtram nihil pertinet, omittimus; alterius quæ forma fuerit, attingo paucis. Italia omnis Præfecto Prætorio parebat, ſub quo duo Vicarii, alter Romæ, alter Italiæ: illius ſedes Roma fuit; hujus ſtatio Mediolanum: Vicario Urbis provinciæ decem; Vicario Italiæ ſeptem attributæ: hoc diſcrimine appellationis, quòd quæ ſub Vicario erant Italiæ, præcipue I. Duplex Italiæ diviſio.

PROVINCIA ROMANI METROPOLITANI. titulo *Provinciæ Italiæ* vocabantur; reliquæ, quòd erant ſub poteſtate Vicarii Urbis, vel *Urbicariæ*, vel *Suburbicariæ*. Ea enim ſententia, & probatur pluribus, & verior eſt.

II. Italiæ provinciæ. Quæ verò ad Vicarium Urbis ſpectarint, nos docet Notitia his verbis: *Sub diſpoſitione V. S. Vicarii Urbis Romæ provinciæ infrà ſcriptæ, Conſularis Companiæ, Tuſciæ & Umbriæ, Piceni Suburbicarii, Siciliæ; Corrector Apuliæ & Calabriæ, Brutiorum & Lucaniæ; Præſides Samnii, Sardiniæ, Corſicæ, Valeriæ.* Quæ verò paruerint Vicario Italiæ, non indicat Notitia, quæ hac parte aliiſque mutila eſt; ſed ex Urbicariarum catalogo facile eſt ſeptem reliquas intelligere, quarum hæc ſunt nomina: *Venetia & Iſtria, Æmilia, Liguria, Flaminia & Picenum Annonarium, Alpes Cottiæ, Rætia prima, Rætia ſecunda.*

CAPUT II.

Varia Urbis Romæ adminiſtratio.

I. A Romulo ad Auguſtum. ROMA, quæ olim Imperii Romani, nunc orbis Chriſtiani caput eſt, à Romulo & Remo fratribus condita eſt, ut Dionyſio placet, Olympiade ſeptima, ineunte anno à mundi conditu MMMCCCII; ante Chriſtum natum DCCLI. Romulus augurio ſuperior Urbi nomen dedit. Summa rerum penes Reges fuit annis CCXLIV, quibus à L. Bruto ejectis ad annum CCCII penes Conſules: deinde per triennium plus minùs penes Decemviros legum ferendarum: pòſt iterum penes Conſules ad annum CCCXVI: tum modò Tribuni militares, modò Conſules pro Populi libidine creati ſunt ad annum CCCLXXXVII. Deinde ſumma poteſtas, ſi L. Syllæ & brevem, & violentam Dictaturam demas, per annos propè CCCC in Conſulibus fuit ad annum DCCVI, cùm C. Cæſar è Juliorum gente, pòſt Triumviri, denique Imperatores rerum potiti ſunt.

II. Ab Auguſto Præfectus Urbi creatur. Aliquantò pòſt Mecænas, quod tradit Dio, autor fuit Auguſto, ut Urbi Præfectus imponeretur, qui & Urbem cæteris in rebus perpetuò regeret, & cauſas dijudicaret, in quibus

quibus ab aliis Urbis Magiſtratibus erat appellatum. Summa erat in Urbe illius autoritas; ſed anguſtis fuit agri Romani definita terminis. Ut enim omnium urbium, ut coloniarum, ut municipiorum Magiſtratus ſuo quiſque territorio ſe continebant; ita Præfecti Urbis poteſtas, Romani, ſive agri, ſive territorii finibus circumſcripta fuit; nec ager ille latè patebat. Initio Urbe in alieno ſolo condita, nullus erat: paulò pòſt devictis à Romulo vicinis populis, pars & Latii & Hetruriæ Romanis ceſſit: ſicque ager ad certos limites conſtitutus, qui à Tarquinio Priſco & à Servio Tullio prolati: tum iidem ferè erant Romani territorii fines, qui Imperii: poſtea verò longè diſpares, cùm Imperii limites orbem penè terrarum complexi ſint; ager verò intra ſuum modum ſtetit, nec unquam auctus eſt poſt Servium Tullium. Quare ad centeſimum uſque lapidem non excurrebat; ſed anguſtioribus multò finibus coërcebatur.

PROVINCIA ROMANI METROPOLITANI.

III. Illius poteſtas, & agri Romani fines.

Præfecti Urbi propria adminiſtratio hujus territorii limites egreſſa non eſt: quidquid autem extra hos terminos intra centeſimum, aut per provincias patuit, id illi non jure Magiſtratûs, ſed ſingulari Principum voluntate conceſſum eſt: ille tamen tractus qui ad centeſimum uſque pertinebat, quóque Præfecti Urbis poteſtas omnis definita erat voluntate Principis, nec provinciæ, nec diœceſis nomen uſquam obtinuit: tum quia Præfectus Urbi urbanus erat Magiſtratus; provinciæ verò provincialium erant Magiſtratuum, non urbanorum: tum quia, quæ centeſimo claudebatur regio, nec ex una provincia, nec ex pluribus integris; ſed ex multarum diverſis partibus conſtabat. Quidquid enim Campaniæ, Samnii, Valeriæ, Piceni, Umbriæ, Tuſciæ intra centeſimum ab Urbe lapidem erat, id omne ad urbanam Præfecturam pertinebat. Provinciis ergo Præfectura Urbis cingebatur, in provinciarum Catalogo nuſquam recenſita. Ut in provinciis ab inferioris gradus Judicibus ad cujuſque provinciæ Conſularem, ita à Judicibus tum Urbis, tum agri Romani ad Præfectum Urbis appellare moris erat: ad eum tamen multarum provinciarum appellationes ſæpe delatæ; ſed & extra ordinem, & eæ tantùm, quæ ad Principem fiebant, quas aliis rebus occupatus Imperator, nunc his,

nunc illis, vice ſua judicandas, non ex officio & ordine, ſed ex prærogativa delegabat,

PROVINCIA ROMANI METROPOLITANI.

CAPUT III.

De Provincia Romani Metropolitani variæ ſententiæ.

I. Romanus Pontifex Epiſcopus, Metropolita, Primas, Patriarcha.

EPISCOPORUM in Eccleſia quatuor ſunt gradus: Epiſcopi ſingularum civitatum; Metropolitæ provinciarum; Primates ſeu Exarchi diœceſeωn; & qui θρόνους ſive ſedes propriè dictas regunt, Patriarchæ. Superior inferiorem ſemper complectitur: nam qui Metropolita eſt provinciæ, idem Epiſcopus eſt civitatis ſuæ; & qui Primas eſt diœceſis, idem & Metropolitanus & Epiſcopus; atque ita deinceps. Unde & Romanus Pontifex, idem & Patriarcha eſt, & Primas, & Metropolita, & Epiſcopus. Epiſcopus quidem urbis Romæ, in qua Preſbyteros ſolus ordinet, cæteraque præſtet, quæ in ſua cuique civitate conveniunt: Metropolita verò provinciæ Romanæ, in qua & conſecret Epiſcopos, & Concilia habeat, & cauſarum appellationes excipiat, reliquaque obeat munia Metropolitæ. Primas etiam erat totius Italiæ, & Patriarcha totius Occidentis.

II. Romani Epiſcopatûs & Primatûs limites.

Non eſt animus hîc diſputare multis de Epiſcopatu Primatúve Romani Pontificis, cùm de utroque vix quidquam dici poſſit, quod non ſit cuique obvium. Quis enim neſciat, eoſdem Epiſcopatûs Romani terminos fuiſſe, qui Urbis, aut agri Romani; eoſdem Primatûs, qui Italiæ? Ut enim Epiſcopatus Romanus Epiſcopatibus Oſtienſi, Portuenſi, Tuſculano & aliis; ita Primatus utroque mari Adriatico & Tyrrheno, Alpibuſque definitus eſt. Qui hanc Primatûs dignitatem Romano Epiſcopo detrahat, nemo eſt, niſi aut hæreſeos contactus labe, aut literarum omnino rudis: ſæpe enim Galliæ, Hiſpaniæ, Africæ Primates legere eſt; Italiæ nuſquam præter Romanum Pontificem.

III. De provincia, Salmaſii & Sirmondi contentio.

Percelebris fuit ſexaginta plus minùs abhinc annis de Romani Antiſtitis & provincia & Patriarchatu inter viros eruditos controverſia. Totius diſputationis fons & origo

Salmaſius, homo eruditus ille quidem, ſed in Romanam Sedem periniquus. Is omnium princeps Romani Præſulis poteſtatem iiſdem olim, quibus Præfecti Urbi finibus terminatam fuiſſe & dicere, & ſcribere auſus eſt: illudque commentum (mera enim eſt fabula) ita imbiberat animo, ſive fucum paſſus ipſe ſit, ſive facere ſtuduerit aliis, ut tribus libris illud tueri non erubuerit. Totidem libellis fabulam exploſit Sirmondus noſter, ut cauſâ, ita eruditione Salmaſio ſuperior. Utriuſque quæ ſententia fuerit, noſcere, ad rem, qua de agimus, maximè pertinet: quare utramque hoc loco paucis exponere libuit. PROVINCIA ROMANI METROPOLITANI.

IV. Sententia Salmaſii.

Salmaſianæ fabellæ hæc ferè ſumma eſt. Vetus, inquit, Eccleſiæ mos fuit, ut eccleſiaſticæ Dignitates ad civilium Magiſtratuum typum fingerentur. Eo factum, ut par fuerit & Præfecti Urbi, & Romani Epiſcopi autoritas; & eamdem uterque diœceſim, ille in civilibus, hic in eccleſiaſticis adminiſtraret. Ea diœceſis, quæ ultra centeſimum ab Urbe lapidem producta non eſt, provincias quatuor continebat, quæ & *Urbicariæ*, & ***Suburbicariæ*** vulgò dictæ ſunt. His limitibus ut Præfecti Urbis, ita Romani Pontificis poteſtas omnis coërcebatur. Hæc ferè ille: quæ ut adſtrueret, multa ab eo & falsò conficta ſunt, & effutita temere. Invecta nova diœceſis eſt, cujus ne ullum quidem apud Autores veſtigium; fictitiæ provinciæ quatuor creatæ; moti Piceni fines; Suburbicariæ è decem ad quatuor redactæ; confuſi cum Exarchis Patriarchæ; par Mediolanenſi Epiſcopo ac Romano data poteſtas; Conciliorum, Patrum, Scriptorum teſtimonia in alienos ſenſus detorta, &c.

V. Sirmondi.

Quæ ut aliàs ſemper, ita in eam rem & eruditè & eleganter ſcripſit Sirmondus, eò ſpectant omnia, ut vincat Patriarchatum Romani Epiſcopi non aliis fuiſſe, quàm Occidentis terminis circumſcriptum: Romanam verò provinciam, quæ multas civiles complectebatur, à Capuana ad Mediolanenſem uſque patuiſſe. A Salmaſio, ut par eſt, in omnibus diſſentio vehementer: Sirmondo de Patriarchatu aſſentior, de provincia non item, quam ego productam etiam longiùs, & reliquas Italiæ provincias, quæ Mediolanenſi non parebant, complexam eſſe arbitror. Jure, an ſe-

PROVINCIA ROMANI METROPOLITANI.

cus, tuum eſto, lector, judicium: quæ verò opinionis meæ ratio ſit, paucis accipe.

CAPUT IV.

Provincia Romana Capuam, reliquam Italiam & Siciliam complexa eſt.

I. In Italia duo tantùm Metropolitani, Romanus & Mediolanenſis.

DIOECESIBUS poſt Conſtantinum, uti ſuprà dictum eſt, præerant Vicarii; his Primates in eccleſiaſtica politia, poteſtate ut plurimùm pares erant. In Italia gemina fuit diœceſis, una Romæ, Italiæ altera: illam regebat Vicarius Urbis; hanc Vicarius Italiæ. Sed his non Primates, ut in aliis regionibus, reſpondebant, ſed duo Metropolitani, Romanus & Mediolanenſis; cùm alioquin Romano, tanquam Primati, tota pareret, ut mox dicam, Italia. Quare eædem Epiſcopo Romano, quæ Vicario Urbis, ſuberant provinciæ, ſi demas Sardiniam; eædem Epiſcopo Mediolanenſi, quæ Vicario Italiæ: eoſdem tamen, & civilibus, & eccleſiaſticis terminos fuiſſe affirmare non auſim. Quæ à Metropolitano Romano regebantur, & *Urbicariæ*, & *Suburbicariæ* vulgò dictæ ſunt; quæ à Mediolanenſi, *Provinciæ Italiæ*. Illarum nomina ſi aves cognoſcere, ſunt hæc.

II. Provincia Romani Metropolitani.

Romano Metropolitano parebant Campania, Tuſcia & Umbria, Picenum & Suburbicarium & Annonarium, Valeria, Samnium, Apûlia & Calabria, Brutium & Lucania, Sicilia: Mediolanenſi reliquæ ſex. Nec enim quis mihi facilè perſuaſerit alium in Italia fuiſſe Metropolitam præter Mediolanenſem & Romanum: ſunt tamen, qui de Aquilegienſi & Ravennate aliter ſentiant; ſed de his viderimus aliàs. Opinionis itaque noſtræ duæ ſunt partes: Provincia Romana à Mediolanenſi ad Capuanam pertinuit; quæ fuit etiam Sirmondi ſententia; hoc erit primum: cæteras etiam Italiæ provincias & Siciliam ipſam complexa eſt; hoc alterum, de quo Sirmondo aliter viſum eſt.

III. A Mediolanenſi ad Capuam pertinebat.

An provincia Romana ad Capuanam & Mediolanenſem producta olim fuerit, ambiget nemo, qui veterem legerit

provinciarum eccleſiaſticarum Notitiam. Ex ea enim diſci- mus Metropolitano Urbis Romæ Epiſcopos ſupra ſexagenos Suffraganeos fuiſſe, qui nulli alii Archiepiſcopo ſubjecti eſſent; quos inter numerat, hinc Florentiæ, inde Fani Antiſtites, quarum illa Tuſciæ Annonariæ, hæc Piceni item Annonarii primariæ urbes tum erant, ſi Salmaſio ipſi credimus. Appellat etiam & Lunenſem, & Ariminenſem Epiſcopos, quorum uterque ducentis ferè paſſuum millibus Româ diſtabat. Denique Præſulum, qui provinciæ Romanæ adſcribuntur, alios in Campania, alios in Marſis, aut in Umbris, alios in Tuſcia, Picenoque ſitos, Notitia ipſa declarat. Unde cuivis intelligere licet, quàm opinione ſua falſus ſit Salmaſius, qui intra anguſtiores multò diœceſis unius, quam ipſe finxerat, terminos Romani Pontificis poteſtatem omnem concluſam fuiſſe voluerit.

PROVINCIA ROMANI METROPOLITANI.

IV. Capuam, reliquam Italiam & Siciliam complectebatur.

Vereor, ut, quam ego de provincia Romana propono ſententiam, aliis æquè ac mihi probetur: multis enim eruditis viris aliter viſum eſt; paucis itidem, ut mihi. Nec in reliqua Italiæ parte, nec in Sicilia ullus præter Romanum Metropolita ante nonum ſæculum fuit. Id quidem vincere gravioris paulò operæ eſt; unico tamen, niſi mea me fallit opinio, id efficiam argumento. Eſt verò hujuſmodi. Si quis in reliqua Italia, Siciliâve priſcis Eccleſiæ temporibus Metropolitanus ullus erat; fuit ſanè ætate Gregorii Magni: ullam enim metropolitanam ſedem ante hæc tempora deſtructam, ne minimum quidem in Hiſtoria, ſive ſacra, ſive profana veſtigium eſt; at ſub Gregorio Magno nullus erat: unde conſequens eſt ſuperioribus etiam ætatibus nullum extitiſſe.

V. In his provinciis nullus Metropolita.

Si qui verò erant tempore Gregorii his in provinciis Metropolitæ, annon eorum fuit convocare Concilia; Epiſcopos, Abbates, Monaſteria conſecrare; in urbes ſubditas, ſi fato functus erat Epiſcopos, *Viſitatorem*, ut tum loquebantur, mittere; Epiſcoporum lites, diſſidia, cauſas componere; animadvertere in eos, ſi quis quid gravius deliquiſſet; & alia obire, quæ Metropolitanorum ſunt, munera? At hæc omnia ab ullo Epiſcopo his in provinciis præſtita unquam fuiſſe quis vel fando audiit? De quo uſquam memoriæ

PROVINCIA ROMANI METROPOLITANI.

proditum eſt Epiſcopos ad Synodum evocaſſe, conſecraſſe recens electos; & ſi quid ſceleris admiſiſſent, depoſuiſſe? In Conciliis & epiſtolis Pontificum mirum his de rebus ſilentium eſt.

VI. Omnia Metropolitani munera obibat Gregorius Magnus.

Quid ſi hæc omnia præſtitiſſe Romanum Præſulem omnes pene loquuntur Hiſtoriæ. At nihil opus eſt, ut in re certa, multorum teſtimoniis uti. Unus Gregorius Magnus ſit nobis inſtar omnium: quem enim teſtem in ea re potiorem appellemus? Annon Petro Subdiacono vices in Sicilia ſuas permiſit, quas deferri Metropolitanis moris erat; Arelatenſi in Gallia, in Hiſpania Hiſpalenſi, & Theſſalonicenſi in Illyrico? Cur ipſi imperat, ut Epiſcopos vel Catanam, vel Syracuſas Synodi habendæ causâ ſemel annis ſingulis evocet, ſi Metropolita fuit, aut Syracuſanus, aut Meſſanenſis? Cur Romano Defenſori prohibet, ne eas recipiat cauſas, quæ ad Epiſcoporum jura quoquomodo pertinerent; ſed eas tantùm, quæ vel Clerico, vel laïco eſſent cum Epiſcopis? Annon fuit Metropolitani, ſi quis erat, de his cauſis cognoſcere?

VII. In Campania & reliqua Italia.

Cur varias in urbes Viſitatores mittit, Gaudentium Nolanum Capuam, Paulum Neapolim, Cumas Benenatum, &c. Quid eſt quod jubet, ut & Demetrius Neapolitanus deponatur, ut Bonifacius Regienſis à quinque judicetur Epiſcopis, & electi Brunduſii, Gallipoli, Hortone, Syracuſis, Epiſcopi Romam, ut ordinentur, ſe conferant? Cur denique quinto quoque anno Siciliæ Epiſcopos Romam ad Synodum evocat? An religioſus canonum cuſtos Gregorius in Metropolitanorum invaſit jura? An ea in parte & muneris, & ſui oblitus eſt, cujus hæc verba ſunt: *Abſit à me, ut ſtatuta majorum Conſacerdotibus meis in qualibet Eccleſia infringam?* Quare in provincia ſive Mediolanenſi, ſive Ravennate, nihil quicquam ſimile factum à Gregorio legimus? Nec quemquam moveat, quòd & Viſitatorem Ravennam miſerit Severum Ficulinum, & Deuſdedit Mediolanenſis Epiſcopi electionem ratam eſſe juſſerit. Idem enim jus fuit Romano Epiſcopo, ut Primati, in Metropolitanos Italiæ; quod Metropolitanis cæteris in ſua cuique provincia, ut & viduas Paſtoribus curarent ſedes, & Epiſcoporum electionem comprobarent.

L. 4 ep. 47.

Sed ut hæc omnia, quæ diximus hactenus, nihili ſint, vel una Epiſtolæ XI lib. 7. epigraphe rem omnem conficit. De militibus, qui repudiatâ militiâ auſterius in Monaſteriis vitæ inſtitutum ſequebantur, ad omnes, qui & ipſi & Imperatori Græco ſuberant, Metropolitanos ſcribit Gregorius; inſcriptio verò eſt hujuſmodi: *Gregorius Euſebio Theſſalonicenſi, Urbicio Dyrrhacitano, Conſtantio Mediolanenſi, Andreæ Nicopoli, Joanni Corinthi, Ioanni primæ Iuſtinianæ, Ioanni Cretenſi Scodrintano, Ioanni Lariſſæ, Mariniano Ravennæ, Ianuario Calaritano Sardiniæ, & omnibus Epiſcopis Siciliæ.* Metropolitanorum omnium & nomen prodit Gregorius, & urbem. Si Syracuſanus Metropolitanus fuit, ut Amico viſum eſt; ſi Meſſanenſis, ut Piccolo; ſi Capuanus, ut Sirmondo; ſi Rhegienſis, ut aliis: cur eos Gregorius itidem, ut Calaritanum in Sardinia, ut alios in ſua quemque provincia, non appellavit? Quòd ſi quis aut caſu, aut Librariorum vitio factum putet, Gregorii epiſtolas, ſi tantum à re ſua otii eſt, evolvat omnes: extant quidem ad Campaniæ, Calabriæ, Siciliæ Epiſcopos quamplurimæ. Sed ne unam quidem reperire eſt, in qua vel levis metropolitici juris, aut mentio, aut nota ſit. Innocentius item Papa, Leo, Gelaſius, univerſis tum Siciliæ, tum Campaniæ & Lucaniæ Epiſcopis ſcripſere; Metropolitanis nuſquam: adeo nihil eſt, unde quis id à Gregorio innovatum ſuſpicetur. PROVINCIA ROMANI METROPOLITANI. VIII. Nullum in Sicilia Metropolitam appellat.

Nec leve etiam argumentum eſt, quòd ſi quando quid poteſtatis indulſit Epiſcopis Gregorius, non omnes, quæ Metropolitanum decent, cauſas permiſit uni; ſed pro arbitrio alias alii. Ita multas Maximiano Syracuſano cauſas, leviores illas quidem, commiſerat; qui ubi deceſſit, alias Joanni, qui Maximiano ſuffectus erat, permiſit, alias Joanni Panormitano, alias Romano Defenſori, alias Cypriano Diacono: unde ſummum jus & dandæ & revocandæ hujuſmodi poteſtatis penes Romanum Pontificem ſemper fuiſſe quivis intelligat. Eò accedit, quòd in monimentis Eccleſiarum, quæ metropolitanæ olim fuiſſe vulgò feruntur, proditum ſit, à quo, qua de cauſa, quóve tempore, quæque in metropolim evecta fuerit; nec ulla eſt tamen, cujus metropolitana dignitas non ſit Gregorii ætate multò recentior. Sed de his alias pluribus. IX. Alia aliis munera imponit.

PROVINCIA ROMANI METROPOLITANI.

CAPUT V.

Refelluntur quæ objici ſolent.

I. An pares provinciæ, civiles & eccleſiaſticæ.

INFINITUS ego ſim, ſi quæ in eam ſententiam objici vulgò ſolent, ſingula perſequar. Quare quæ & levia ſunt & perinfirma, omittimus; quæ verò petuntur ex ſingularum Eccleſiarum juribus, quæ ſibi hunc honorem jam inde ab his temporibus vindicant, de induſtria eo loci rejicimus, ubi de his deditâ operâ nobis agendum erit. Satis ſit duo expendere paulò diligentiùs, quæ & in ſpeciem robuſtiora ſunt, & eruditorum virorum exercuere induſtriam. Primum eſt hujuſmodi. In ea, quam modò expoſui, ſententia, inquiunt, illud eſt vitii, quòd eccleſiaſticas provincias civilibus faciat diſſimiles, quod contra Hiſtoriæ fidem eſt: tum enim ſolemne fuit ut eccleſiaſticæ provinciæ civilibus aptarentur, & eccleſiaſtici Præſules civilibus reſponderent. Unde & eadem Romani Pontificis in eccleſiaſticis poteſtas, quæ Præfecti Urbi in civilibus, & Romana, ſive provincia, ſive diœceſis civili æqualis fuit: quæ cùm intra centeſimum ab Urbe lapidem coërceretur, ut Præfecti Urbi, ita Romani Præſulis autoritas ultra hos terminos producta non eſt. Ita in Ægypto Præfecti Auguſtalis & Epiſcopi Alexandrini par & æqualis extitit diœceſis, iidemque eorum poteſtati præſcripti fines.

II. Longè diſpares.

Sed perfacilis & expedita reſponſio eſt: cuivis enim ex Notitia intelligere licet, eccleſiaſticas provincias civilibus ſæpe majores extitiſſe, ut de Romana, qua de hîc agimus, & Mediolanenſi, ipſa Notitia docet. Fuerit eadem & Epiſcopi Alexandrini, & Præfecti Auguſtalis diœceſis, ut reipſa fuit; id fortuito caſu contigit, non lege certa: idem enim & in Antiochena diœceſi, & in tribus Palæſtinis factum oportuit, ut & illa diœceſis, & hæ provinciæ ad civilis alicujus Magiſtratus typum fingerentur: Nicæni enim Concilii tempore diœceſes Orientis, Pontica, Aſiana, Epiſcopo Antiocheno; poſt Calchedonenſem Synodum tres Paleſtinæ Hieroſo-

Hieroſolymitano paruerunt; nec fuit tamen aut Comes, aut Judex, qui vel diœceſes Antiocheno, vel provincias Hieroſolymitano ſubditas unus regeret. Præterea, quid cauſæ eſt, cur Romanus Epiſcopus cum Præfecto Urbi conferatur? Nec enim eadem & Præfecti Urbi, & Præfecti Auguſtalis dignitas erat: ille enim Urbanus Magiſtratus fuit, hic Provincialis. Quare Præfecto Urbi reſpondebat apud Ægyptios Juridicus Alexandrinus, & Præfecto Auguſtali in Italia Romæ Vicarius. Unde ſi eadem & Præfecti Auguſtalis, & Epiſcopi Alexandrini diœceſis fuit; non cum Præfecto Urbi, ſed cum Vicario Romanus Pontifex æquandus erat. PROVINCIA ROMANI METROPOLITANI.

III. Variæ canonis Nicæni expoſitiones.

Alterum erit, percelebris ille Nicænæ Synodi canon ſextus de juribus Patriarcharum, eruditorum virorum ſcriptis nobilitatus. Controverſiæ locum dedit non canon ipſe, ſed quam in canonis explicatione Rufinus addidit, vocula. Sic enim è Græco Latinè vertit: *Ut apud Alexandriam, & in urbe Roma vetuſta conſuetudo ſervetur; ut vel ille Ægypti, vel hic Suburbicariarum Eccleſiarum ſollicitudinem gerat.* Quid ſibi velint Eccleſiæ Suburbicariæ, quid ea voce Rufinus intelligat, quæſtio eſt: an novitiam illam Præfecti Urbis, & Romani Antiſtitis diœceſim, ut voluit Salmaſius: an totum Occidentem, ut placuit Perronio, Sirmondo, Marcæ, Lupo & Valeſio: an denique Chriſtianum orbem univerſum, ut Baronio, Bellarmino, & Turriano viſum eſt. Si primum, vicit Salmaſius; ſin minùs, victus eſt. Quò verò, quænam fuerit Rufini mens, faciliùs aſſequamur, non canon ex Rufini interpretatione, quæ multò eſt obſcurior, explicandus eſt; ſed Rufini interpretatio ex ipſo canone, in quo Suburbicariarum Eccleſiarum nulla mentio fit.

IV. Canon ſextus Nicænus.

Canonis verba ſunt hæc: τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω τὰ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ Λιβύῃ, καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν Ἀλεξανδρίας ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν· ἐπειδὰν καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνηθές ἐστιν. ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. Quæ ſic Latinè reddidit Dionyſius: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Lybiam & Pentapolim, ita ùt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem: quia & urbis*

PROVINCIA ROMANI METROPOLITANI.

Romæ Epiſcopo parilis mos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam; cæteraſque provincias ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis. In quo canone tria ſunt, quæ hoc loco annotaſſe operæ pretium eſt. Unum, in eo agi de Patriarchis; alterum, non ſpectare ordinationem ſolam Metropolitanorum, ſed jus omne Patriarchicum; tertium denique, nihil in eo conſtitui, quod ad Romanum Pontificem pertineat.

V. Agit tantùm de Patriarchis.

Epiſt. ad Alex. Ant.
Ep. ad Pammach.
Act. 7 c. 17.

In eo canone agi de Patriarchis, canonis ipſius verba per ſe loquuntur: nec enim appellat Epiſcopos, qui civitates; nec Metropolitanos, qui provincias regunt; ſed Romanum, Alexandrinum, Antiochenum Antiſtites, quorum ſinguli vel ſingulis, vel pluribus diœceſibus præerant. Ita canonem intellexit Innocentius Papa, Hieronymus, Joannes Scholaſticus Patriarcha, octava Synodus, Zonaras & Balſamon. At dicet quiſpiam: Qui potuit Nicæna Synodus de Patriarchis quidquam præſcribere, cùm Patriarchæ nomen necdum uſurpari cœptum eſſet? Id nominis necdum ea ætate uſus triverat, fateor; quid tum verò? Patriarcha nomine nullus erat; re his temporibus erant Romanus, Alexandrinus, Antiochenus: quippe qui integras adminiſtrabant diœceſes, & juribus Patriarcharum omnibus fruebantur.

VI. De omnibus illorum juribus.

Fruſtra etiam ſunt ii, qui de ordinatione ſola canonem hunc intelligi volunt. Quid enim alienum magis ab eo canone, qui ordinationis, niſi ſub finem, ne meminerit quidem; ſed Patriarchis in ſua cuique diœceſi poteſtatem indulget *in omnibus:* quæ vox, niſi termino ſingulari coërceatur, ad omnia Patriarcharum jura pertinet. Præterea quid cauſæ eſt, cur antiqua Epiſcopi Alexandrini jura in Ægypto rata eſſe jubeat? Annon vel ante Nicænæ Synodi tempora, Epiſcopus Alexandrinus in Ægypto rebus eccleſiaſticis ſumma autoritate præerat? Nonne Sabellius Ptolemaïdi in Pentapoli nefandæ autor hæreſis à Dionyſio Alexandrino percuſſus eſt anathemate; & Meletius Lycopolis in Thebaïde Epiſcopus à Petro depoſitus?

VII. Nihil conſtituit de Romano Pontifice.

Ep. ad Mich Imp.

Nihil verò conſtitui de Romano Epiſcopo in eo canone, & autor eſt Nicolaus I, & cuivis ex canone ipſo intelligere licet, à quo proponitur veluti regula, quam imitentur cæ-

teri: adeo nihil de ipſius authoritate decernit, Romanâve diœceſi. Altera etiam adhibenda cautio eſt, ne quis fortè putet Epiſcopatum Alexandrinum cum Romano conferri, aut provinciam cum provincia, aut diœceſim Ægypti cum provincia Romana. Inepta enim ſit comparatio neceſſe eſt, niſi Epiſcopus cum Epiſcopo, & poteſtas cum poteſtate, ita diœceſis cum diœceſi conferatur. Quaſi quis diceret, quòd Præfectus urbis Conſtantinopolis ad Romani inſtar conſtitutus eſt: habeat ergo non in urbe ſolùm, ſed etiam extra urbis mœnia intra centeſimum milliarium juriſdictionem: quia urbi Romæ Præfectus in Urbe tantùm poteſtatem habeat; terminos Urbis egreſſus non habet: quid ineptius?

VIII. *Per provincias Suburbicarias intelligit totam Occidentem.*

Qui regulas, quas præmiſimus, ſecutus fuerit, in Rufini interpretatione, in quo hæreat, offendet nihil. Si enim canone Nicæno diœceſis Romani Epiſcopi cum Alexandrini diœceſi componitur; quid vetat per Eccleſias Suburbicarias intelligi Occidentem integrum? Ut enim *Suburbicariæ Provinciæ* à Vicario Urbis, à quo regebantur, nomen traxere; ita *Eccleſiæ Suburbicariæ*, quæ Romani Antiſtitis curâ gubernantur, ab eo nomen ſortitæ ſunt; cumque Occidentis totius Eccleſiæ jam tum eſſent in Urbis Epiſcopi & diœceſi & poteſtate; quid ſimilius vero eſſe poteſt, quàm ut Rufinus per Eccleſias Suburbicarias omnes Occidentis Eccleſias intellexerit?

IX. *Alia vocabula eodem modo explicantur.*

Nemo eſt, qui neſciat multa eſſe vocabula, quæ pro rei adjunctæ modo vim mutent & ſignificationem. Quis enim eoſdem Orientis fines animo fingat, cùm Comitem Orientis audit, aut cùm Præfectum Prætorio Orientis; eamdemque eſſe Aſiam, cùm, & Proconſul Aſiæ appellatur, & cùm Vicarius diœceſis Aſianæ; utque domeſtico utamur exemplo: ſi quis eoſdem eſſe poteſtatis & provinciarum terminos putet, cùm de Prætore Pariſienſi agitur; eoſdem cùm de Præfecto Pariſienſi, cùm de Epiſcopo, cùm de Senatu Pariſienſi mentio fit: an non iis erret vehementer? quodque in his & aliis ſexcentis uſus tulit, cur in Suburbicariis Eccleſiis idem non fecerit?

X. *Varia Suburbicariarum provinciarum receptio.*

Cave igitur, cùm Præfecti Urbi nomen audis, cùm Vicarii Urbis, cùm Epiſcopi Urbis, & aliorum, ſi qui prætetea

Yy ij

PROVINCIA ROMANI METROPOLITANI.

ab Urbe nomen adepti ſunt, ne eoſdem omnibus limites poſitos arbitreris; ſed Præfecti poteſtatem omnem intra centeſimum milliarium definitam intellige; Vicarii intra decem provincias Suburbicarias; Epiſcopi Urbis, ut Patriarchæ, ad ultimos Occidentis terminos pertinuiſſe. Quamquam, ut quod res eſt, aperiam, vox illa *Suburbicariæ* haud aliter ac Ægyptus ambigua eſt. Ut enim Ægyptus modò diœceſis dicitur integra, quæ & Pentapolim & Lybiam complectebatur, modò illius pars tantùm, quæ Ægyptus propriè appellata eſt: ita *Suburbicariæ Eccleſiæ* dici poſſunt, tum eæ, quæ & in Urbe ſunt, & in Urbis Epiſcopatu; tum eæ, quæ Romanam provinciam conſtituunt; tum eæ denique, quæ ſolida Epiſcopi Urbis, ſive diœceſi, ſive Patriarchatu, hoc eſt, toto Occidente continentur.

PARS TERTIA

Urbes Regni Neapolitani, Siciliæ & Sardiniæ Metropolitanæ.

INSTITUTI noſtri ratio poſtulat, locorumque ſitus, ut poſtquam diſſeruimus de Romana Sede, agamus de Regni Neapolitani & Siciliæ Metropolitanis; qui meri olim Epiſcopi Romano erant Metropolitæ contributi. Adjuncta etiam eſt Sardinia, inter quam & Siciliam nonnulla cognatio eſt. Quò plures iis in regionibus ſunt metropoles, eò breviores in iis deſcribendis erimus: ſedis enim cujuſque primordia obſcura ſunt; reliqua ut plurimùm vel levia, vel incerta: quare ne quid haberent faſtidii, alia leviter attigimus; alia omiſimus omnino: quis enim minuta hæc & puſilla curet cognoſcere?

Præterea qui harum urbium Hiſtoriam attigerunt, eo interdum laborant vitio, ut ſtudio ornandæ patriæ paulò plus quàm veritas patiatur, & conjecturis indulgeant & traditioni: quæ duo cùm in his potiſſimùm rebus fluxa ſint & dubia, eos fucum & pati, & aliis facere promptum eſt. Quare ne ſæpius aberrem à vero, eos eatenus adhibeo duces, quatenus eorum ſententiæ cum veterum teſtimoniis, epiſtolis Pontificum, aliiſque id genus conſonant. Quæ veterum autoritate firmata ſunt, ea ut vera, vel ſimiliora vero proponimus; quæ meris nituntur conjecturis; ut dubia: quid enim juvat contra fidem Hiſtoriæ ſedis cujuſque dignitatem ab Apoſtolis, Apoſtolorúmve diſcipulis arceſſere? ut enim multas ab iis Eccleſias inſtitutas fuiſſe certum eſt; ita à Romanis Pontificibus multò plures, quod ad Decentium ſcri-

bit Innocentius I. *Præſertim cùm ſit manifeſtum in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam atque Siciliam Inſulaſque interjacentes nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos quos venerabilis Apoſtolus Petrus aut ejus ſucceſſores conſtituerint Sacerdotes.*

DISSERTATIO PRIMA.

Neapolis.

CAPUT I.

Regni Neapolitani diviſio multiplex.

I. Regni Neapolitani variæ notiones.

EA Italiæ pars, quæ Regnum Neapolitanum vulgò dicitur, ab Occidente terminatur ditione Pontificia, ab aliis partibus mari alluitur, Adriatico à Septemtrione, ab Oriente Ionio, Tyrrheno à Meridie. Antequam Romano pareret Imperio, in varios populos diſtracta erat, Campanos, Lucanos, Brutios, Samnites, Apulos, Salentinos, alioſque, quos longum ſit appellare: qui cùm florerent laude bellica, ingens fuere Romanis & præliorum materies, & triumphorum. Sed hæc nihil ad nos.

II. Multiplex diviſio.

Alia fuit aliis temporibus hujus regionis diviſio. Prima ab Auguſto ad Conſtantinum Magnum obtinuit: altera à Conſtantino ad Northmannos uſque Principes: tertia à Northmannis uſque ad Hiſpanos: quarta ab Hiſpanis ad noſtram uſque ætatem. Ubi Italia in regiones undecim ab Auguſto deſcripta eſt, Regnum Neapolitanum ſecundam regionem, tertiam & quartam complexum eſt integras, primæ partem maximam, quintæ verò minimam. Sub Conſtanti-

no quatuor habuit provincias, Campaniam, Samnium, Apuliam & Calabriam, Lucaniam & Brutios: totidem ſub Northmannis Regibus, Campaniam, Aprutium, Lucaniam & Calabriam. REGNI NEAP. DIVISIO.

Sub Hiſpano Rege provincias continet duodecim, quarum nomina, ſi ea aves ſcire, ſunt hæc: Campania felix, *Terra di Lavoro*; Principatus citerior, *Principato citra*; Principatus ulterior, *Principato oltra*; Calabria citerior, *Calabria citra*; Calabria ulterior, *Calabria oltra*; Baſilicata, *Baſilicata*; Ager Hydruntinus, *Terra d'Otranto*; Ager Barianus, *Terra di Bari*; Capitanata, *Capitanata*; Comitatus Moliſinus; *Contado di Moliſe*; Aprutium citerius, *Abruzzo citra*; Aprutium ulterius, *Abruzzo oltra*. Quibus quæque provincia definiatur terminis, explicare infinitum ſit: quare ſufficiat hæc breviter indicaſſe. Regionis longitudo ab oſtio Truenti fluvii ad Leucopetram promontorium eſt 330 mill. paſſ. latitudo à Caïeta urbe ad oſtia Aterni eſt 90 circiter milliariorum. III. Provinciæ.

Multis hæc regio & oppidis frequentatur, & urbibus: unde nullibi major, ſive Epiſcoporum, ſive Metropolitanorum numerus. Epiſcopatus ſunt plus minus centum metropoles XXII: quorum nomina hîc apponere non abs re fuerit: Neapolis, *Napoli*; Capua, *Capua*; Beneventum, *Benevento*; Surrentum, *Sorrento*; Amalfis, *Amalfi*; Salernum, *Salerno*; Compſa, *Conza*; Coſentia, *Cozenza*; Reggium, *Reggio*; S. Severina, *S. Severina*; Roſſanum, *Roſſano*; Tarentum, *Tarento*; Hydruntum, *Otranto*; Brunduſium, *Brindiſi*; Barium, *Bari*; Barulum, *Barletta*; Acheruntia, *Cirenza*; Tranum, *Trani*; Manfredonia, *Manfredonia*; Mons S. Angeli, *M. S. Angelo*; Sipontum, *Siponto*; Anxanum, *Lanciano*. De ſingulis dicemus breviter: de Neapoli, quæ principem inter cæteras locum obtinet, diſſeremus paulò uberiùs. IV. Archiepiſcopatus.

REGES NEAPOLITANI.

CAPUT II.

Urbs Neapolis.

I. Quando & à quibus condita Neapolis.

NEAPOLIS, & Campaniæ felicis, & Regni totius caput, cæteras Italiæ urbes civium tum multitudine, tum etiam nobilitate ſuperare dicitur. A Chalcidenſibus, quæ gens ex Chalcide Eubœæ ad oram Italiæ appulerat, paulò pòſt Cumas propter litus maris condita eſt, & à tumulo Sirenis Parthenopes, *Parthenope* primùm dicta; deinde à Cumanis, quòd ipſius celebritas jam tum noceret Cumis, diruta funditus: ſed paulò pòſt oraculi juſſu ab iiſdem reſtituta eſt, peſtis, quâ laborabant, avertendæ causâ; tumque quòd nova eſſet civitas, *Neapoli* nomen factum. Hæc prima perhibetur Neapolis origo; aliter quidem aliis apud Capaccium & Cluverium videtur: ſed hæc opinio probatur pluribus, & aliis, niſi falſus ſum, certior eſt.

CAPUT III.

Reges Neapolitani.

I. Reges Neapolitani ex variis gentibus.

VARIIS, & Principibus & gentibus paruit Neapolis. Quò verò & temporum rationi, & memoriæ imbecillitati quàm maximè ſerviamus, quinque potiſſimùm ſelegimus epochas, eaſque præ cæteris nobiles, quibus Imperium ab una, ſive gente, ſive familia, ad aliam vario bellorum exitu tranſiit. Ibi imperarunt Romani à ſecundo bello Punico ad annum Chriſti CCCCXCIII, quo Theodoricus victo Herulorum Rege rerum in Italia potitus eſt: ab anno CCCCXCIII Oſtrogothi, Græci, Longobardi, Franci, ad annum MXLI, quo Northmannorum fortitudine inde pulſi Græci & Saraceni: Northmanni & Suevi ab anno MXLI ad annum MCCLXVI, quo à Summo Pontifice Suevis abrogatum imperium eſt, delatumque Carolo Andegavenſi

Franci

Franci ab anno MCCLXVI ad annum MCCCCXLII, quo capta Neapolis ab Alfonſo Aragonio. Hiſpani ab anno MCCCCXLII ad noſtram uſque ætatem. REGES NEAPOLITANI.

Romani.

ANTE bella Punica jam tum celebre fuit nomen Neapolis: unde inter liberas civitates, haud aliter ac Capua, à Romanis in amicitiam recepta eſt. At Punico bello ſecundo longè diſpar utriuſque civitatis, & in Romanos fides fuit & fortuna. Capua defecit ad Annibalem; Neapolis Romanos multis attritos cladibus, & opibus juvit, & milite: quare haud multò pòſt illa à Romanis direpta; hæc illius ruinis crevit, & municipium à Romanis facta eſt: ita tamen ut ſuis, & Magiſtratibus uteretur, & legibus. Quandiu floruit Romana res, tandiu ſtetit & Neapolitana: ubi verò Romani Imperii decus ſub Honorio ſeneſcere cœpit, multæ illis provinciis illatæ clades; Campania & Lucania ab Alarico anno CCCCX vaſtatæ; & Capua à Genſerico capta anno CCCCLIV. Poſtquam verò Auguſtulus exutus Imperio eſt, & Imperatoris appellatio ab Odoacro abolita; ut cæteræ Italiæ provinciæ, ita & Campania victori Herulo parere coacta eſt anno CCCCLXXVI. II. Romani.

Gothi, Græci, Franci, Saraceni.

ANNO CCCCLXXXIX Theodoricus Oſtrogothorum Rex Zenonis Imperatoris hortatu venit in Italiam, belloque Odoacrum aggreſſus tribus eum prælis devicit. Pugnatum eſt primò ad Iſontium fluvium, iterum ad Veronam, tertiò ad Ducam flumen; & Odoacro per fraudem interfecto, anno CCCCXCIII Theodoricus Italiam ſolus obtinuit. Ita Roma, Ravenna, Neapolis, aliæque Italiæ civitates Gothorum jugum accepere: donec Amalaſunthæ nece commotus Juſtinianus Imperator Beliſarium ex Africa victorem in Italiam miſit anno DXXXV. Is Neapolim per aquæductum ingreſſus de Gothis recepit anno DXXXVI, omnemque Campaniam: at anno DXLVI Neapolis à To- III. Gothi.

REGES NEAPOLITANI. tila, qui rem Gothicam fortitudine reſtituerat, iterum capta eſt; & à Narſete tandem devicto Totila anno DLIII recuperata diu Græcis Imperatoribus paruit.

IV. Græci. Nec enim, ut Brutium, ut reliqua Campania, ſerviit Longobardis. Ii anno DLXVIII in Liguriam Alboïno duce effuſi ſunt, captoque Ticino reliquam pervagati Italiam anno DLXXII omnes occuparunt urbes Italiæ præcipuas, præter Romam, Ravennam, Neapolim. Ut Spoleti, ita Beneventi Dux ab iis conſtitutus eſt, qui omnes circùm provincias regeret. Aliquantò pòſt Neapolis Longobardorum armis diu vexata Aûthari Regi ſe dedidit: at illo mortuo rediit ad Græcos. Sub hæc tempora, quòd è Græcia nihil auxilii ad propulſandos Longobardorum impetus Neapolim mitteretur, è publica re fore viſum eſt, ſi urbis Imperium uni permitteretur: quare ex Imperatoris Græci ſive aſſenſu, ſive tolerantia, à civibus Dux electus eſt, penes quem ſumma rerum fuit domi foriſque.

V. Franci. Hæc urbis regendæ ratio, nec à Græcis Imperatoribus, nec multò pòſt à Carolo Magno mutata eſt. Ubi enim Longobardorum regnum concidit, & Imperii decus Carolus victoriis adeptus eſt: à Pipino ejus filio ejecti è Campania, & Saraceni, & Græci; tumque anno DCCCIII Carolum inter & Nicephorum Græcum Imperatorem ita convenit, ut regio illa omnis, quæ hinc à Neapoli, inde à Siponto ad litus uſque maris Siciliam verſus pertinet, cederet Græcis, reliqua Francis. At Carolus in ea parte, quæ ipſi obtigerat, Ducatum Beneventanum conceſſit Grimoaldo Longobardo, qui aliquandiu gentis ſuæ reliquias quoquomodo tutatus eſt.

VI. Græci & Saraceni. Poſtquam Sicilia Euphemii proditione anno DCCCXXVIII à Saracenis occupata eſt, ab iis tentata ſubinde Italiæ litora, annoque DCCCXLVII urbes maritimæ ab Ancona ad Hydruntum vi captæ; Apuliæ & Calabriæ pars armis ſubacta, indeque multæ Græcis illatæ clades, & vario marte utrinque identidem præliatum eſt. Secundùm hæc Otho primus Imperator Græcis bellum intulit, eorum ulturus perfidiam, illoſque pluribus victos præliis anno DCCCCLXV omni expulit Italia. At Græci anno DCCCCLXXXII Sara-

cenorum auxilio Calabriam repetunt: quibus cùm occurriſſet Otho ſecundus, amiſſo exercitu clam dilapſus è pugna vix effugit. In varia deinde imperia diſtractæ civitates; aliæ aliis Principibus paruerunt, ſive Græcis, ſive Saracenis, ſive Italis. Ubi quis enim plus aliis poterat, is continuò aut Comitis, aut Ducis, aut Principis & nomen uſurpabat & jura. REGES NEAPOLITANI.

Northmanni.

IS erat Campaniæ & Calabriæ ſtatus, cùm anno MII Northmanni quadraginta Hieroſolymis redeuntes Salernum appulerunt: quod oppidum à Saracenis tum obſidebatur. Quadraginta Northmanni à Gaimario (is urbis princeps erat) arma & equos impetrant, eruptionem in hoſtes faciunt, & hoſtibus partim cæſis, partim fugatis, mirabilem victoriam referunt. Oblatis muneribus illos apud ſe retinere ſtuduit Gaimarius, ſed fruſtra: quare Legatos cum iis proficiſci jubet, qui Northmannos ad Italiam adeundam invitarent. Alii ab aliis in Campaniam veniſſe primi perhibentur, ut Giſelbertus, Rainulfus, Aſclittinus, Oſmundus, ac Rodulfus: qui Pandulpho Capuæ Principi contra Græcos & Saracenos utilem & glorioſam navarunt operam. VII. Northmanni in Italiam veniunt.

Subinde cum Tancredi filiis invicta Northmannorum manus in Italiam venit. Tancredo, cui ab Alta-Villa cognomen fuit, ex duabus uxoribus duodecim erant filii, Samus, Gotfredus, Drogo, Tancredus, Guillelmus Ferrabrachius, Humfredus, Robertus, Rogerius, Richardus, Gotfredus alter, Frumentinus, Molugelus. Ii aliena ita curarunt, ut ſua non neglexerint: nam potiti in Apulia aliquot oppidis, Guillelmum Ferrabrachium ſibi ducem eligunt, qui Apuliam Græcis & Saracenis eripuit. Huic ſublectus eſt Drogo, Drogoni Humfridus, Humfrido ſuffectus Robertus Viſcardus, qui fratribus omni genere laudis longè præſtitit, & Calabriam Siciliamque ſubegit armis. Illi bellum intulit Germanorum ope Leo IX Summus Pontifex. At Germani à Northmannis ad internecionem cæſi, captuſque Pontifex à Roberto ſummo honore cultus gratìs Romam remiſſus eſt. VIII. Calabriam & Apuliã occupant.

REGES NEAPOLITANI.

IX. Robertus fit Dux Calabriæ.

Aliquantò pòſt Ducatus Apuliæ & Calabriæ Roberto; Richardo ſive fratri, ſive ſororis marito, Capuanus principatus à Nicolao II confirmatus eſt. Cæterum eorum fides ſacramento obligata Pontifici Romano, & certa in annos ſingulos penſio conſtituta. Inde Apulia, Calabria & Campania Romanæ Sedi fiduciariæ, quod feudum dicimus, eſſe cœperunt anno MLIX. Sub hæc Robertus Romanis Pontificibus, quibus hactenus terrori fuerat, ſæpe ſaluti fuit: quod in Gregorio VII enituit, ut ab aliis exemplis abſtineam. Henricus Imperator cum Guiberto Antipapa Urbem invaſerat, Gregorius in arce obſeſſus erat: de quo ut allatum eſt ad Robertum, è Græcia, ubi Græcos vicerat, Romam advolat: tanti Ducis famâ territus Imperator in Germaniam refugit. Urbs rebellis à Viſcardo direpta; extractus ex arce Gregorius Capuam perductus eſt: ibi Pontifex deceſſit; & paulò pòſt anno MLXXXIV Robertus vir bellica laude, in ſacras Baſilicas liberalitate, & pietate in Deum longè clariſſimus.

X. Rogerius regium nomen aſſumit.

Roberto ſucceſſit filius Rogerius, Rogerio Willelmus; uterque, ille ab Urbano II, hic à Paſchali II Apuliæ Dux appellatus. Willelmum excepit Rogerius Siciliæ Comes, Rogerii, qui Viſcardi frater erat, filius. Is Neapolim cepit, & ab Anacleto Antipapa, cui adverſus Innocentium II adhærebat, regium nomen obtinuit anno MCXXX. Illi Campania & Apulia à Lothario Imperatore adempta eſt; ſed paulò pòſt utramque de Germanis recepit. Deinde ipſum Innocentius II bello petiit; ſed pari eventu, quo Leo IX Viſcardum. Dum enim Rogerium obſidet, à Willelmo ejus filio circumſeſſus capitur, & Neapolim deducitur. Ibi ſummo honore à Rogerio exceptus regium ipſi nomen indulſit anno MCXXXIX. Inde Rogerius utriuſque Siciliæ Rex citra & ultra Pharum dici cœptus; ab eoque Regum Neapolitanorum ſtemma propagatum eſt.

XI. Ipſius poſteri.

Hæredem habuit Rogerius Guillelmum filium, cui *Mali* cognomen fuit. Huic duo filii fuerunt, Rogerius & Guillelmus. Rogerius jam à Siculis Rex renuntiatus ante patrem deceſſit; Guillelmo Regnum obtigit. Conſtantia Rogerii filia anno MCLXXXVI nupſit Henrico VI Imperatori Fri-

derici OEnobarbi filio. Poſtquam Guillelmus anno MCXCI abſque liberis obiit, duo continuò Reges pro uno extitere. Tancredus enim Guillelmi Regis conſanguineus à Siculis; Henricus VI à Cæleſtino III Rex appellatus eſt: inde inter utrumque bellum exarſit. Sed Tancredo duobus pòſt annis mortuo, Henrico omnia prona fuere, Rexque ab omnibus anno MCXCIII ſalutatus: ita poteſtas regia à Nòrthmannis ad Suevos tranſiit. REGES NEAPOLITANI.

Suevi.

HENRICUS ſumma crudelitate dum in Siculos graſſatur, Meſſanæ veneno, ut fertur, periit: illi ſucceſſit Fridericus tum puer, qui materno ſe regno continuit, donec mortuo Philippo patruo à Germanis Imperator electus eſt. Is perpetuo ferè bello Romanos vexavit Pontifices; in Apulia anno MCCL Manfredi (ipſius ſpurius erat) crimine, ut fama tum fuit, compreſſo in ſtratis ore extinguitur. E Germania anno MCCLI in Italiam venit Conradus ejus filius, devictiſque Neapolitanis utrâque potitur Siciliâ: ſed haud multò pòſt anno MCCLIV, ſive morbo, ſive Manfredi fraude, periit. Huic erat, vel filius, vel ex fratre nepos Conradinus, qui cùm abeſſet in Germania, Manfredus interim Regnum pro pupillo adminiſtrat, ditionemque Pontificiam armis invadere inſtituit. XII. Suevi Reges.

Urbanus IV ulturus injuriam, Carolum Andegavenſem S. Ludovici fratrem ad ſpem Regni Siculi evocat, qui, ut Romam venit, à Clemente IV Regni ſuſcipit inſignia; ea tamen lege, ut quotannis duo de quinquaginta aureorum millia Romano Pontifici ſolveret. Deinde bellum adverſus Suevos geſtum: bis pugnatum eſt, ſemel anno MCCLXVI ad Beneventum, iterum anno MCCLXVIII ad Lacum Fucinum: in utroque prælio victi fugatique Suevi; in primo Manfredus cecidit; Conradinus captus in altero: de quo cùm Neapoli aliquantò ſeveriùs conſultum eſſet, ipſius morte Suevicæ familiæ ſtirps extincta eſt anno MCCLXVIII, paxque Italiæ ad breve tempus reddita. XIII. Regnum à Pontifice datur Francis.

REGES NEAPOLITANI.

Franci.

XIV. Franci à Siculis occiſi.

SUMMA pace, & Neapolitana res, & Sicula ſub Carolo florebat, cùm derepente atrox bellum exortum eſt. Tanti incendii faces extiterunt Petrus Aragoniæ Rex, cui Conſtantia Manfredi filia nupſerat, & Joannes à Prochita. Illi Regni obtinendi ſpes, huic opes amiſſæ, in Gallos odii cauſa fuerunt. Eorum igitur fraude ipſo die, qui Chriſto reſurgenti ſacer eſt, ſigno ad veſpertinum officium, ut moris eſt, edito, Franci ab armatis Siculis, nec opinatò, oppreſſi ſunt, ac ſine ullo ætatis ſexûſve diſcrimine crudeliter mactati anno MCCLXXXII: inde *Veſperæ Siculæ* in proverbium abierunt. Continuò cum ingenti claſſe Petrus in Siciliam appulit, & omnium conſenſu Panormi Rex ſalutatur.

XV. Aragonii Siciliam occupant.

Fruſtra Siciliam Carolus armis repetiit; moxque clades cladi addita eſt imprudentiâ filii. Is à Lauria, priuſquam pater, qui haud procul aberat, adveniret, ad pugnam allectus, navali prælio victus captuſque eſt anno MCCLXXXIV. Tres filios è Conſtantia Petrus Aragonius ſuſceperat, Alfonſum, Jacobum, Fridericum. Moriens Alfonſum Aragoniæ, Jacobum Siciliæ Regem dixit: at Alfonſo haud multò poſt mortuo, Jacobus utrumque Regnum adiit. Ab eo Carolus anno MCCLXXXVIII è carcere dimiſſus eſt: hac tamen conditione, ut à Summo Pontifice ipſi Siculi Regni jus impetraret. Id ratum eſſe vetuit Nicolaus IV, juſſitque Carolum Siciliæ diadema recipere; unde bellum de integro exarſit, quod Bonifacii VIII autoritate ann. MCCXCIX ita compoſitum eſt, ut Jacobus Carolo, & filios redderet obſides, & Siciliâ cederet. Injecta Aragonio Sardiniæ ſpes: pacem his legibus factam ut audiit Fridericus Jacobi frater, in Siciliam cum claſſe contendit, ſummiſque Siculorum ſtudiis Rex appellatur. Hinc nova bellorum materies, quæ cùm ad res Siculas pertineant, nos de his in Hiſtoria Siciliæ viderimus.

XVI. Neapolitanum Regnum invadit Carolus Dyrrachinus.

Carolo S. Ludovici fratri ſucceſſit Carolus filius, cui *Claudo* cognomen fuit, de quibus hactenus: huic Rober-

tus, qui Joannam ex Carolo filio neptem hæredem ſcripſit. Joanna multis famoſa nuptiis à Ludovico Hungariæ Rege ſpoliata eſt ob necem Andreæ mariti, ſed paulò pòſt reſtituta Carolum Andegavenſem Caroli Francorum Regis fratrem adoptat anno MCCCLXXX: at jura Regni ab Urbano VI in Carolum Dyrrachinum tranſlata ſunt. Is armis regno potitus, Joannæ Reginæ, à qua educatus fuerat, laqueo gulam fregit: illum Ludovicus Andegavenſis bello perſecutus eſt: belli læta initia fuerunt, exitus triſtior. Biennio enim poſt aditam Italiam, infectis, ut ferunt, veneno fontibus anno MCCCLXXXIII cum pleraque nobilitate periit. Secundùm hæc cæſo in Hungaria Carolo Dyrrachino Ladiſlaus ejus filius regium nomen ſuſcipit. Is à Ludovico Andium Duce illius, qui nuper in Apulia deceſſerat, filio, ingenti prælio victus anno MCCCCX regnum amiſerat, ſi Ludovicus ſciviſſet uti victoriâ. REGES NEAPOLITANI.

XVII. A Joanna adoptati primùm Alfonſus Aragonius; deinde fratres Andegavenſes.

Extincto in Florentiæ obſidione abſque liberis Ladiſlao anno MCCCCXIV ſoror ejus Joanna Regnum tenuit: cui Martinus V, quòd cum Braccio de Montone ipſius hoſte arma junxerat, regium nomen abrogavit, bellumque intulit Sfortiæ Ducis fortiſſimi ductu. Joanna ſibi à Sfortia metuens, Alfonſum Aragoniæ & Siciliæ Regem in auxilium evocat, quicum anno MCCCCXXI de adoptione paciſcitur. Cæterum Alfonſus mulieris inconſtantiam veritus maritimas arces in poteſtate redigit. Inde orta inter ipſum & Joannam diſcordia eſt, quæ eò uſque proceſſit, ut Joanna Alfonſi adoptione reſciſſâ Ludovicum Andegavenſem ſibi filium adſciverit.

XVIII. Regnum Neapolitanum datum Franco Regi.

Continuò Ludovicus Româ, ubi Rex utriuſque Siciliæ à Pontifice per eos dies appellatus erat, profectus Neapolim, anno MCCCCXXXI Regnum obtinet; & triennio pòſt morbo deceſſit; eodemque anno Joanna Renato Ludovici fratre hærede relicto, qui aliquantò pòſt venit Neapolim. Interea Alfonſus Aragoniæ Rex prioris adoptionis jure fretus Regnum occupare nititur; & jam multis & urbibus potitus & provinciis, tandem anno MCCCCXLI intromiſſo per aquæductum milite cepit Neapolim. Ita Regnum Neapolitanum Aragoniis ceſſit. Renatus Andegavenſis amiſſa urbe in Galliam profugit, ſuique juris hæredem ſcripſit fratrem

REGES NEAPOLITANI. Carolum, illeque Ludovicum XI Galliæ Regem, à quo jus illud ad alios deinceps Galliæ Reges propagatum eſt.

Hiſpani.

XIX. Hiſpani Reges. HOSTIUM victor Alfonſus alienum à ſe Eugenii IV animum conciliare ſtuduit: Eugenius ſpe auxilii contra Vicecomitem & Sfortiam delinitus, jus Alfonſo in Regnum Neapolitanum ratum eſſe jubet, & Ferdinando poſt ipſum filio. Ferdinando qui poſt patris obitum Regnum obtinuit, duo erant filii, Alfonſus & Fridericus: Alfonſo natus eſt Ferdinandus alter, & filia, quæ Joanni Galeacio Mediolanenſium Duci nupſit. Is ex principatu præter nomen habebat nihil: omnis enim poteſtas erat penes Ludovicum Sfortiam ejus patruum cognomento Maurum. Ægrè id erat Alfonſo Neapolitano, & contra Ludovicum Sfortiam bellum parabat: quod ille ut averteret, Carolum VIII Galliæ Regem ad Neapolitani Regni veluti hæreditariam poſſeſſionem vocavit.

XX. Carolus Galliæ Rex Neapolim capit & amittit. Carolus tranſgreſſus Alpes cum ingenti exercitu anno MCCCCXCIV Romam contendit, inde Neapolim. Inter hæc Alfonſus hoſtis apparatu exterritus, Regnum Ferdinando filio legat, ipſe ſecedit in Siciliam: Ferdinandus Francis impar in Ænariam inſulam fugit. Ita Carolus priùs victor, quàm hoſtem videret, toto Regno potitus eſt. At in Galliam citius, quàm par erat, cùm rediiſſet, Ferdinandus Regnum, quà Principum favore, quà Gonſalvi Hiſpani Ducis operâ recepit, quod paulò pòſt moriens reliquit Friderico patruo.

XXI. Franci Regnum cum Hiſpanis partiuntur & pelluntur. Secundùm hæc Ludovicus XII Galliæ Rex, inito cum Ferdinando Aragonio fœdere, anno MDI Neapolim occupat; Fridericus Regno ſpoliatus in Andegavos attributam ſibi à Rege provinciam obiit: cæterum in Regni diviſione orta diſſenſio Gallos Hiſpanoſque inter ſe commiſit: Galli à Gonſalvo intra biennium ejecti penitus; unde & Gonſalvus *Magni Ducis* cognomen adeptus eſt, & Regnum Hiſpanus anno MDIV obtinuit integrum.

XXII. Dux Guiſius Neapolim contra Hiſpanū tuetur, & capitur. Anno MDCXLVII ingens Neapoli exorta ſeditio eſt ob tributa, ut tum ferebatur, immoderata: ſeditionis autor Thomas

Thomas Aniellus, qui ex piſcatore urbis repentè dominus, intra paucos dies periit. Dux Guiſius Româ, ubi tum erat, evocatus, partes populi adverſus Hiſpanos ſingulari & fortitudine & prudentia aliquandiu ſuſtentavit: at amiſſa Gallici auxilii ſpe urbs, ut fama fuit, proditione capitur, ipſeque, dum fugit, Guiſius. Hæc habui ferè de Hiſtoria Neapolitana, quæ ſcriberem. SEDES NEAPOLITANA.

CAPUT IV.

Quando Sedes Neapolitana inſtituta.

MULTA Caracciolus, Chiocarellus, Ughellus de Eccleſiæ Neapolitanæ initiis referunt, ſive ex traditione, ſive ex antiquis monimentis. Non eſt inſtituti noſtri ſingula perſequi; ſed ea quæ, & certiora ſunt, & illuſtriora, explicare paucis.

I. Sedes Neapolitana à D. Petro inſtituta.

Sanctum Petrum, dum Antiochiâ Romam peteret, anno Chriſti XLII tranſiſſe Neapoli, ibique Chriſtianam prædicaſſe fidem perhibent. Cùm multi nomina Chriſto dederunt, tum in primis Aſprenus homo dives & nobilis. Is ab Apoſtolo morbo, quo jam diu laborabat, ſubitò curatus, ſacro fonte abluitur, & ad fidem eruditus naſcenti huic Eccleſiæ præficitur Epiſcopus. Aſpreni labore, ſtudio & induſtria, non Neapoli tantùm, ſed in vicinis etiam oppidis Chriſtiana pietas propagari cœpta eſt.

II. Multis decorata Martyribus.

Sub hæc ingens civium numerus ad Chriſtianam religionem acceſſit, cùm Paulus Apoſtolus anno LIX Puteolis divertit Neapolim, & aliquantò pòſt Ignatius Antiochenus anno CIX jam candidatus martyrii. Is & Paganos ad fidem, & Chriſtianos ad martyrium verbis & exemplo cohortatus eſt: nihil tamen ad alliciendos civium animos potentius fuit martyrum ſanguine. Ubi enim in Chriſtianum nomen ab Imperatoribus ſævitum eſt, multorum cruore irrigata Neapolis uberiores deinceps fructus protulit. Ibi paſſi ſunt Fauſtinus, Jovita, Maximus, Rufus, & aliis temporibus alii. At nihil Januarii Epiſcopi Beneventani martyrio illuſtrius,

Episcopi Neapolitani.

qui Galerii Imperatotis edicto anno CCCV Timothei Præſidis juſſu cæſus eſt; vivus & mortuus patratis miraculis clariſſimus extitit: de quo etiam nunc illud præter rerum naturam fertur, quòd ſacer illius in ampulla cruor, ſi admoveatur capiti, ſtatim ebullire, & quaſi igne ſuppoſito effervescere videatur.

CAPUT V.

Neapolitani Epiſcopi.

I. Epiſcopi ſanctitate inſignes.

POST Aſprenum Patrobas Chriſti, ut multis viſum eſt, Pauli certè diſcipulus, Neapolitanam rexit Eccleſiam, & aliquantò pôſt Severinus, Agrippinus, Euſtaſius, Euphebius, Marcianus, Fortunatus, Calepodius, qui Concilio Sardicenſi anno CCCXLVII unà cum Oſio præfuit Julii Papæ Legatus, ſi Gratiano credimus; interfuit quidem certè, & ſubſcripſit: Maximus fidei Nicænæ contra Concilium Ariminenſe defenſor acerrimus, exilioque nobilis: Severus amicitiâ junctus Ambroſio, ut ſcripta ad ipſum teſtatur epiſtola: Noſtrianus laudatus à Proſpero; & Stephanus, qui Synodis Romanis anno CCCCXCIX & DII ſub Symmacho adfuit. Ii omnes aliique, quos appellare longum ſit, aut martyrii gloriâ fuerunt, aut morum innocentiâ inſignes; plerique in Sanctorum album adſcripti.

II. Alii criminis inſimulati.

Non par tamen omnium, qui huic Sedi præfuerunt, ſanctitas fuit & gloria. Pulſo ab Arianis S. Maximo, intruſus ab iis eſt Zoſimus, ipſique ſuffectus Maximus alter: uterque, ſin minùs Arianæ impietatis propugnator, at Catholicis tamen vel eo nomine invіſus, quòd ab Arianis allectus eſſet. Anno CCCLXVIII Urſicinus facto contra Damaſum ſchiſmate nobilitatus, Neapoli, ſi qua fides Anaſtaſio, Epiſcopatum adeptus eſt. His addendus Demetrius ille, qui à Gregorio Magno anno DXCI quòd graviter in multis deliquiſſet, ut ipſe teſtatur Gregorius Epiſt. 2 l. 2, ſede dejectus eſt. Tum Sedis iſtius adminiſtratio Paulo Nepeſino ad tempus permiſſa, donec anno DXCIII Fortunatus in Demetrii locum

ſublectus eſt, ad quem multæ extant Gregorii epiſtolæ. Episcopi Neapolitani.

Inuſtam Sedi Neapolitanæ labem deleverunt vitæ ſanctitate illuſtres quatuor Epiſcopi: Laurentius anno DCCII, qui dono etiam prophetiæ enituit: Joannes anno DCCCXXXVIII à S. Paulino Nolano quondam Epiſcopo in cælum evocatus. Nec iis pietate inferiores fuerunt Stephanus & Athanaſius, quorum ille Dux Conſulque urbis ob ſingularem virtutem anno DCCLXIV à Paulo Papa Romæ etiam tum laïcus in Epiſcopum conſecratus eſt; hic Sergii Ducis filius anno DCCCXLIX à Leone IV: ambo liberalitate in pauperes, in cives munificentiâ, odio in Saracenos clariſſimi; Athanaſii tamen fama paulò illuſtrior, quàm Sergii nepotis qui tum urbi Dux præerat, improbitas clariorem reddidit: ab eo enim multa paſſus eſt Athanaſius: deinde conjectus in vincula: denique apud Imperatorem Ludovicum & Adrianum Pontificem exul & vivere & mori coactus eſt. III. Stephani & Athanaſii fama illuſtris.

Illatas Athanaſio injurias ultus eſt Athanaſius junior illius & ſucceſſor & nepos. Ut primùm enim patruo ſuffectus eſt, Sergio Duci, qui ipſius frater erat, oculos effodi jubet, eumque Romam perduci ad Pontificem, à quo jam antea Sergius piorum cœtu prohibitus erat: tum ipſe Athanaſius in fratris locum Dux Magiſterque militum dicitur: at viribus impar Saracenis cum iis fœdus iniit. Quare à Joanne VIII anno DCCCLXXX ſacris abſtinere juſſus eſt; paulò pòſt in fidelium cœtum admiſſus ea lege, ut initum cum Saracenis fœdus diſſolveret: vir alioquin ingenio & prudentiâ & eruditione præſtans, ſed augendæ potentiæ, ſibique aſciſcendæ laudis, & belli gerendi paulò, quàm par erat, cupidior. IV Athanaſius junior Dux & Epiſcopus.

CAPUT VI.

An dùo olim Neapoli Epiſcopi, alter Latinus, alter Græcus.

FUIT hæc Baronii & Chiocarelli ſententia, duos olim Neapoli fuiſſe Epiſcopos, quorum Latinus erat alter, I. An duo Epiſcopi.

Unus Neapoli Episcopus. alter Græcus, ut ille Latinos regeret, hic Græcos: ita tamen, ut Græcus Epiſcopus Latino ſubeſſet. Quæ opinio verâne ſit, an ſecus, ut videamus, tria nobis præſtanda ſunt. Primùm proponimus ea, de quibus inter omnes convenit; deinde quæ à Chiocarello facere videntur; denique & ea diluere, & noſtram firmare ſententiam conabimur.

II. Clerus ex Latinis & Græcis. Cùm à Græcis olim condita ſit Neapolis, & Græcis Imperatoribus paruerit ad annum MCXXV, quo à Rogerio Northmanno capta eſt; illuc ſive negotiorum, ſive voluptatis causâ, è Græcia multi confluebant: regio enim & dives erat, & peramœna. Inde factum eſt, ut evocati ſint identidem è Græcia Sacerdotes, iiſque templa ſex in urbe attributa, in quibus & ſacra peragerent ritu Græco, & Græcis adminiſtrarent ſacramenta: quod in actis S. Athanaſii legere eſt. Nec tamen ſui juris erant iſti Sacerdotes; ſed Latino Epiſcopo ſubditi: unde moris erat, ut ſtatis diebus in templo Latinorum, aut omnes adeſſent, aut plerique; ibique & feriâ ſextâ majoris hebdomadæ, & die Reſurrectionis Dominicæ *Credo* Græco idiomate & ritu concinerent, ut autor eſt Joannes Archiepiſcopus in iis, quæ anno MCCCXXXVII editæ ſunt, Conſtitutionibus.

III. Sacra officia Græco & Latino idiomate celebrata. Quod Eccleſiæ, tum Romanæ, tum Conſtantinopolitanæ exemplo factitatum ſuſpicor: in illis enim, ſi Durando credimus, Græcè Lectiones ſex, totidem Latinè legi ſolemne fuit: quæ ne quis à me temere dicta putet, conſulat acta tum S. Severini Abbatis, tum tranſlationis S. Soſſii Monachi anno DCCCCXX, in quibus Clerici Latinâ linguâ & Græcâ ceciniſſe perhibentur: à quibus nec abludunt ea, quæ de Caſſinenſibus Monachis Leo Oſtienſis memorat, à Paſchate divinum ab iis officium promiſcuo cantu Græco & Latino celebrari.

IV. Ideóne duo Epiſcopi. Ex his conſequens eſſe volunt, Sacerdotibus Græcis Græcum Neapoli fuiſſe Epiſcopum; eoque pertinere contendunt teſtimonium Autoris, qui nono ſæculo S. Athanaſii acta conſcripſit, cujus verba ſunt hæc: *Nam & introrſus binas Præſulum geſtat ſedes adinſtar duorum Teſtamentorum, quamquam una ſit quæ gubernat & regit.* Ex quibus verbis confici putant duos Neapoli extitiſſe Epiſcopos, quorum alter ſub-

eſſet alteri : idque eò maximè, quòd Innocentius III, aut Lateranenſis Synodus ad Neapolim reſpexiſſe videatur, dum ab ea capite nono cautum eſt, ne duo ibi, ubi Græci Latinis permixti viverent, ſed unus eſſet Epiſcopus, cui parerent & Vicarius Græcus, & Clerici omnes, à quibus divina officia utroque ritu & idiomate peragi curaret. Hæc ferè illi. UNUS NEAPOLI EPISCOPUS.

V. Unus tantùm fuit.

Eorum opinioni ne ſubſcribam, multa me deterrent. Primum enim, ſi duo Neapoli aliquando fuerunt Epiſcopi, cur in Hiſtoria hujus urbis, apud Scriptores Eccleſiaſticos, in antiquis monimentis, in epiſtolis Pontificum frequens Latini mentio eſt, Græci nulla? Quid eſt quòd apud Gregorium Magnum, cujus extant multæ & de Neapolitano Epiſcopo, & ad Neapolitanum Epiſcopum epiſtolæ, de duobus illis Epiſcopis mirum ubique ſilentium? Quid, quòd Latinus Conciliis ſæpius ſubſcripſerit; Græcus nuſquam? Epiſcopum Neapolitanum à Romano Pontifice conſecratum ſæpe legere eſt; alter, ſi quis fuit, à quo ordinatus? à Romano, an à Conſtantinopolitano? an Neapoli à Latino? ubi illius diœceſis? an intra ſex urbis parœcias Græcanicas definita? an extra civitatis etiam muros excurrebat? Cur Leo Sapiens in ſua Diatypoſi non duos, ſed unum Epiſcopum Neapolitanum appellat.

VI. Id probant acta ſancti Athanaſii.

Quin etiam illa ipſa, quibus nituntur, ſancti Athanaſii acta refragari videntur: poſtquam enim Athanaſius in carcerem à Sergio detruſus eſt, hæc verba ſubjiciuntur, quæ hoc loco appingere libuit: *Inter hæc Græca Latinaque pars, ſacerdotalis & monaſtica turba, præcipuè Antonius vir ſatis idoneus & provectæ ætatis Monachorum Abbas . . . cum univerſo Clero ad Prætorium advenit, qui ita exorſus eſt: Dic, miſer . . . ſed etiam tota urbs, quæ Athanaſii hactenus oratione gubernata eſt, ſine dubio deſolabitur Paſtore decedente. Redde nobis, inquiunt, Patrem noſtrum, qui nos ſpirituali carnalique protectione tuebatur.*

VII. Difficilis locus explicatur.

Ex his verbis elici quid poſſit, nemo non videt: capto Athanaſio ad Prætorium convolat Clerus omnis, Latinus, Græcus, Monachi, Abbas ipſe. Annon fuit Epiſcopi Græci, ſi quis tum erat in urbe, unà cum Clero ſuo adeſſe? Si

UNUS NEAPOLI EPISCOPUS.

adfuit, ipſius ſanè fuit, non Abbatis Antonii Sergium Ducem alloqui: in Sergium tamen omnium, qui aderant, nomine invehitur Abbas Antonius; ſilet Epiſcopus: ergo non aderat: ergo in urbe nullus erat. Præterea ſi duo erant Epiſcopi, duo etiam Cleri fuerant. Cur igitur non duo, ſed unus Clerus appellatur, cujus una pars Græcorum fuit, Latinorum altera? Cur ab Antonio tota urbs Athanaſii oratione gubernari dicitur? Cur hæc una vox omnium, *Redde Patrem noſtrum*? Athanaſius igitur omnium Pater erat, hoc eſt, Epiſcopus, tum Latinorum, tum Græcorum. Igitur non duo tum Neapoli, ſed unus erat Epiſcopus.

VIII. Nec duo in aliis urbibus Epiſcopi, nec in Monaſteriis Abbates.

Multi è Græcia his temporibus confluxerint Neapolim, illorumque cauſâ fuerint è Græcia evocati Sacerdotes, quid tum? Annon etiam in alias civitates demigrarunt Græci, ſive rei familiaris augendæ ſpe, ſive urbis regendæ gratiâ? An ideo ſingulis in urbibus duo erant Epiſcopi? At Neapoli Baſilicæ Græcis attributæ ſunt: fuerunt itidem in aliis urbibus. Ubi verò Græci pauciores erant, aut illis conceſſus Sacerdos Græcus; aut omnes unà cum Latinis ſacro intereſſe juſſi. Annon & in Monaſteriis fuerunt ſimul Monachi & Latini & Græci? Quod & de Caſſinenſibus nos docet Leo Oſtienſis, & de aliis acta tranſlationis S. Soſſii è Meſeno Neapolim. An continuò duo Caſſini, duo in aliis Monaſteriis Abbates? nihil minus. Cùm igitur par omnium ſit ratio, ut unus fuit & in Monaſteriis Abbas, & in aliis urbibus Epiſcopus, ita & unus fuit Neapoli.

L. 1. c. 31.

IX. Duæ Neapoli Epiſcopales Baſilicæ.

Nec enim nobis adverſatur is, qui paulò antè deſcriptus eſt ex actis ſancti Athanaſii locus, ex quo duas Neapoli Præſidum ſedes fuiſſe liquet, duos Epiſcopos non item. Cùm enim unam fuiſſe ſedem affirmet, quæ regat, ita hunc locum interpretor, ut è ſex Baſilicis, quæ conceſſæ Græcis erant, una fuerit, aut magnitudine, aut nitore præ cæteris nobilis, in qua Epiſcopus Latinus Græcos omnes Clericos identidem convocaret, & ipſe interdum, cùm libitum erat, ſacris operaretur. Si enim Romæ quinque olim erant Patriarchales Baſilicæ, quid prohibet Neapoli duas fuiſſe Epiſcopales? Quænam verò potiſſimùm fuerint hæ Baſilicæ, affirmare non auſim. Eſt tamen, cur ſuſpicer, earum alteram

fuiſſe B. Virgini ſacram, alteram Salvatori Chriſto, quæ cùm fortuito deflagraſſet incendio, à Stephano Duce & Epiſcopo eâ munificentiâ reſtituta eſt, ut cæteras urbis Baſilicas opibus, ornamentis, ſacriſque reliquiis facilè vinceret. *Stephaniæ* illi nomen inditum, ſive à Stephano Epiſcopo, ut Villano placuit; ſive, quod verius putem, à viginti-quatuor Senioribus, qui in ea depicti coronas ſinguli ſingulas Chriſto offerebant.

UNUS NEAPOLI EPISCOPUS.

X. Cur decretum à Synodo Lateranenſi, ut unus in ſingulis urbibus eſſet Epiſcopus.

Ne quis etiam decretum illud Synodi Lateranenſis ad urbem Neapolim pertinere putet, cujus ne in mentem quidem venit Concilii Patribus, quonam verò ſpectet canon ille, paucis accipe. Ubi Francorum virtute, & Syria de Saracenis recepta, & ereptum Græcis Imperium eſt, Latini Epiſcopi in præcipuis urbibus conſtituti ſunt; qui quòd Romano ritu ſacra obirent munera, Græcis id ægrè admodum fuit. Quare ab iis evocati interdum Græci Epiſcopi, qui Græco ritu ſacra peragerent: hinc orta Græcos inter & Latinos diſſidia, de quibus ad Pontificem cùm eſſet allatum, huic malo ut mederetur, hoc canone ſancitum eſt, ut unus quidem illis in urbibus eſſet Epiſcopus, iſque Latinus; at ei Græcus, qui Græcorum curam gereret, ſubeſſet Vicarius. Unde planum fit Synodum Lateranenſem nec ad Neapolim, nec ad alias Italiæ civitates; ſed ad Syriam Græciámve reſpexiſſe. Maneat ego Neapoli unum olim fuiſſe, qui & Latinis & Græcis præeſſet, Epiſcopum.

CAPUT VII.

Quando Neapolis facta metropolis.

I. Sententiæ variæ.

MULTIS abhinc annis inter viros eruditos quæſitum eſt, quo tempore Neapolis metropolis facta ſit: aliter aliis ſuper hac re viſum eſt. Sunt qui ab Apoſtolis id repetant; alii Fortunato Romano Pontifici tribuunt, ut Marinus Freccia; alii Gregorio Magno, ut Proſper de Auguſtino, & Aubertus Miræus. Nonnulli Joanni IX, ut ex Joanne Monacho Caracciolus. Baronius verò, Chiocarel-

NEAPOLIS FACTA METROPOLIS.

lus, & Ughellus ex Leone Oſtienſi id Joanni XIII adſcribunt. Quæ ſententia, niſi mea me fallit opinio, cæteris verior eſt. De ſingulis dicamus breviter.

II. Neapolis non facta metropolis à tempore Apoſtolorum.

Ac primùm quidem fruſtra ſunt ii, qui hunc honorem ad Apoſtolorum tempora ideo referunt, quòd ea Sedes à D. Petro erecta ſit: quaſi verò metropoles fuerint ſedes omnes ab Apoſtolis inſtitutæ, ut Puteoli, ut Terracina, ut Atina, aliæque, tum in Italia, tum in Aſia benemultæ. Nec audiendus etiam eſt Marinus Freccia, qui ſcribit Fortunatum Romanum Pontificem, cùm pulſus à ſuis fugiſſet Neapolim, hanc dignitatem Epiſcopo contuliſſe. Romanos Pontifices ejectos à civibus multos quidem legere eſt; cui Fortunato nomen fuerit, neminem quidem certè: quare in Chronicon illud, quo teſte uſus eſt Freccia, irrepſit error. Si pro Fortunato Joannem XIII quis reponat, bellè congruent omnia.

III. An à Gregorio Magno.

Quæ à Miræo faciunt, ea, & pauca ſunt, & perinfirma: ſunt verò hujuſmodi. Victor, inquit ille, Epiſcopus Neapolitanus à Gregorio Magno apud Gratianum dicitur *Archiepiſcopus*: nec mirum, cùm jam ante Gregorii ætatem Neapoli Dux præfuerit; quæ dignitas metropolitanæ, & par erat, & ſocia: cùm uterque publicam rem, ille in civilibus, hic in eccleſiaſticis regeret. Unde, ut Comites Epiſcopis, ita Archiepiſcopis Duces quodammodo reſpondebant: illi enim civitatum erant, iſti provinciarum; quod Neapoli contigiſſe liquet ex ſancta Walpurge virgine, cujus hæc verba ſunt in Hodæporico ſancti Wilibaldi fratris: *Navigantes venerunt ad unam urbem, quæ vocatur Neapolis: ibi erant Wilibaldus, ejuſque Comites multos dies: ibi eſt ſedes Archiepiſcopi, & magna dignitas ejus illic habetur.* Erat verò Wilibaldus Gregorio III ætate ſuppar. Hæc Miræus.

IV. Nec ſub Gregorio Magno.

Quæ refellere nullius eſt operæ, ac primò quidem, qui Victori Neapolitano apud Gratianum tribuitur *Archiepiſcopi* titulus, non ita ſanè à Gregorio Magno ſcriptus eſt. Cùm enim abſit ab hac epiſtola, in ipſius Regeſto, ut loquuntur, mendum eſt, quòd huic inſedit titulo, ſive Librarii vitio, ſive Gratiani, cui ut ſua, ita Gregorii ætate Archiepiſcopum Neapoli fuiſſe temere perſuaſum fuit. Præterea Duces inter

inter & Archiepiſcopos non ea olim cognatio fuit, ut ubi Dux erat, ibi continuò eſſet Archiepiſcopus: ac ne plura, res enim per ſe loquitur. Exemplo nobis ſint Tridentum, Spoletum, Beneventum. In iis Urbibus Duces erant; an ideo Archiepiſcopus? Fuit quidem Beneventi; ſed multò pòſt: Spoleto verò & Tridento necdum is conceſſus honos: nec firmius eſt S. Walpurgis teſtimonium, quæ in *Archiepiſcopi* appellatione decepta, alios induxit in errorem. Poſtquam Archiepiſcopi Neapolitani meminit, paucis pòſt verbis Capuanum Præſulem *Archiepiſcopum* etiam appellat. *Et inde venit ad urbem Capuam, & ille Archiepiſcopus miſit eum ad aliam urbem.* Capuano tamen hæc dignitas multò pòſt à Joanne XIII anno DCCCCLXVIII delata eſt, ut inter eruditos omnes convenit: quare quam in uno erraſſe Walpurgem certum eſt, in utroque lapſam par eſt credere. NEAPOLIS FACTA METROPOLIS.

V. An à Græcis.

Qui Neapolim factam à Græcis metropolim volunt, ſententiæ ſuæ ſuffragatores advocant, hinc Petrum Alexandrinum, is enim, ſi Radero credimus, Chronici Alexandrini autor eſt; inde Leonem Imperatorem: quorum ille inter urbes Italiæ principes vel ante Romam appellat Neapolim; hic in ſua Diatypoſi inter Archiepiſcopos Neapolitanum numerat. At hoc nihil eſt: à Græcis, quibus tum parebat, laudatur Neapolis; quid mirum? Fuerit inter urbes Italiæ, ut certè fuit, clariſſima, quid illud ad dignitatem Archiepiſcopalem pertinet?

VI. Quando à Græcis.

Nolim tamen diffiteri illam Leonis Sapientis tempore anno DCCCLXXXVI inter Archiepiſcopatus à Græcis recenſeri, cùm id nos non Leonis modò Diatypoſis doceat; ſed Joannes etiam Diaconus in Chronico Epiſcoporum Neapolitanorum. Quis verò neſciat, vel leviter eruditus, his temporibus à Patriarchis Conſtantinopolitanis, qui parem cum Romano gradum tum affectabant, hanc dignitatem multis in Italia Epiſcopis fuiſſe præter morem ultro conceſſam, ut Rhegienſi, ut S. Severinæ, ut Hydruntino Epiſcopis: quod apud Leonem Sapientem, apud Joannem Curopalatem in lib. *de Officialibus Palatii*, apud Luitprandum Cremonenſem in ſua Legatione, apud Balſamonem p. 1191.

NEAPOLIS FACTA METROPOLIS. cuivis legere licet. At id præter jus faſque cùm tribuerit ſibi Patriarcha Græcus, nihil ad nos, maximè cùm Sergius ille Neapolitanus, qui anno circiter DCCXXXIII nomen *Archiepiſcopi* ab eo acceperat, paulò pòſt à Romano Pontifice admonitus officii, ab *Archiepiſcopi* & nomine abſtinuerit, & inſignibus, quod eodem loco Joannes Diaconus nos admonet. Inde tamen factum eſt, ut in Græcorum Notitia Neapolitano Epiſcopo *Archiepiſcopi* nomen adhæſerit.

VII. An ſub Joanne IX. In ea ſententia fuit Caracciolus, ut Archiepiſcopum Neapoli à Joanne IX anno DCCCCIV creatum fuiſſe putet; idque autore Joanne Monacho, qui ſcripſit Auctarium ad Chronicon Authberti Abbatis ad Fontes Vulturni: quæ opinio mihi quidem nihilo aliis verior videtur. Eſt enim cur in hoc Chronico inſediſſe mendum ſuſpicer; aut ſanè Joannes ille Monachus deceptus ipſe aliis fraudi fuit. Illius verba ſunt hæc: *Iſte Neapoli, Capuæ, Beneventi, Archiepiſcopos fecit.* In quibus bis ut minimum falſus eſt: ſemel, quòd *archiepiſcopum* Capuæ à Joanne IX ordinatum dicat; iterum, quòd Beneventi; quos apud omnes eruditos conſtat aliquantò pòſt à Joanne XIII inſtitutos. Quòd ſi in duobus erravit, nonne in tertio etiam, qui Neapolitanus fuit, ipſum erraſſe proclive fuit?

VIII. Nec ſub Joanne IX. Quanquam, ut quod ſentio, dicam apertiùs, non erravit Joannes ille Monachus; ſed qui illum minùs intellexit, Caracciolus. Hic enim locus ad rem, qua de hîc agimus, nihil facit, cùm ad primam Archiepiſcopi inſtitutionem ſive Capuæ, ſive Neapoli, non pertineat. Illius enim, quod cuique obvium eſt, hæc vera eſt & germana ſententia: *Ioannes IX Neapoli, Capuæ, Beneventi, conſecravit Epiſcopos.* Nullus tum erat his in urbibus Epiſcopus; in ſingulis ordinavit; quid inde? Annon ipſius fuit, qui Metropolita erat, his ſedibus providere? Nec te moveat, quòd Joannes Diaconus Archiepiſcopos appellet: locutus eſt enim more ſuæ ætatis; fuerunt quidem & Capuæ, & Neapoli *Archiepiſcopi*, non tum quidem, cùm vivebat Joannes IX; ſed eo, quo Joannes Monachus ſcripſit tempore, anno circiter MC.

IX. Facta eſt metropolis anno 970. Poſtquam aliorum ſententias refellimus, reliquum eſt, ut quænam noſtra ſit, dicamus paucis. Eſt verò hujuſmodi;

Neapolis anno circiter DCCCCLXX metropolis facta eſt. A quo Pontifice, obſcurum eſt. Si ſinceræ ſint Monaſterii ſancti Sebaſtiani monimenta, primus *Archiepiſcopus* inſtitutus eſt à Joanne XIII Nicetas; ſi ſuppoſititia, ut ſuſpicatur Ughellus, ſub hæc tempora ab alio alius. Id verò unde probem, habeo: primùm quidem in veteribus, quod ſciam, monimentis, nullus, præter Sergium, de quo paulò antè dictum eſt, Neapolitanus Antiſtes inſcribitur *Archiepiſcopus*, ante annum DCCCCLXVIII: poſtea verò omnes, ut Nicetas, qui tum ſedebat, in archivio Monaſterii ſancti Sebaſtiani; ut Sergius anno MVI in privilegiis Cœnobii ſancti Marcellini; ut Joannes anno MXXXIII in diplomate Monaſterii ſancti Gregorii, & alii deinceps dicuntur *Archiepiſcopi*. Neapolis facta metropolis.

X. Poſt Capuam. Deinde nullus fuit in Regno Neapolitano ante Capuanum, ſive Archiepiſcopus, ſive Metropolita; nullaque extant, teſte Baronio, monimenta, niſi dubiæ fidei, unde aliud elici poſſit. Capuæ verò primus, ut autor eſt Leo Oſtienſis, Archiepiſcopus anno DCCCCLXVIII à Joanne XIII inſtitutus eſt Joannes Pandulphi Capuani Comitis frater; quod qua ratione factum ſit, hic explicare operæ pretium eſt: id enim cùm ad Neapolitanam, tum ad cæteras hujus Regni ſedes maximè pertinet. Anno DCCCCLXV Joannes XIII ex Narnienſi Epiſcopo Pontifex eligitur, & paulò pòſt, quòd Romanos Proceres haberet aliquantò duriùs, Urbe pellitur à Rotfredo Urbis Præfecto: in Campaniam ſe recepit, ubi à Pandulpho Capuano Principe perhonorificè habitus eſt. Anno DCCCCLXVI revocatur Romam. At duobus annis pòſt anno DCCCCLXVIII unà cum Othone Imperatore Capuam rediit, acceptique beneficii memor Joannem Pandulphi Comitis fratrem inſtituit Capuæ *Archiepiſcopum*.

XI. Simul cum Benevento, Salerno, &c. Secundùm hæc vicinæ civitates per ſuos ſive Duces, ſive Principes, hanc ſibi dignitatem expetunt: negata aliis eſt à Romano Pontifice, aliis permiſſa, ut Benevento, anno DCCCCLXIX; ut Salerno anno DCCCCLXXIV; ut Amalphi anno DCCCCLXXXII. Inde Neapolitanam ſedem metropolis & nomen adeptam, & jura ſuſpicor: cùm enim id conceſſum ſit Salerno, Amalphi, Benevento; annon par

ARCHIEPISCOPI NEAPOLITANI. eſt credere datum etiam Neapoli, quæ & magnitudine, & nobilitate longè vincebat cæteras? Idque eò fit ſimilius verò, quòd Neapolitani Præſules deinceps *Archiepiſcopi* appellentur.

CAPUT VII.

Neapolitani Archiepiſcopi.

I. Ex variis familiis Archiepiſcopi.

INFINITUS ego ſim, ſi Neapolitanos Archiepiſcopos omnes perſequar: ſatis erit clariſſimos quoſque appellare nobilitate, pietate & rebus geſtis. Præ cæteris enituerunt Anſelmus ille, qui anno MCC Friderici II tum pueri nomine, Innocentii III juſſu Siciliæ præfectus eſt: Bernardus Caracciolus anno MCCLII ſub Innocentio IV legatione ad Reges Bohemiæ & Pannoniæ illuſtris; Matthæus Philamarinus, qui apud Carolum II & Robertum Reges gratioſus ad Clementem V & Philippum Pulcrum anno MCCCXXV Legatus in Galliam miſſus eſt; nec minor Joannis Urſini anno MCCCXXXIV, & Pauli Aretii anno MDLXXVI gloria: quorum ille à Benedicto XII conſtitutus in Urbe Vicarius, hic mira in pauperes liberalitate, morum innocentiâ, ſacraque purpurâ nobilis.

II. Ex Caraffa gente multi.

At cebebre præ cæteris in ſede Neapolitana Caraffarum nomen. Ex ea enim gente novem Archiepiſcopos fuiſſe perhibent; ex iis etiam quinque Cardinalitia dignitate inſignes, de quibus præſtiterunt Oliverius, & Petrus Joannes Caraffæ: alter ſub Paulo II, Sixto IV, Innocentio VIII, Alexandro VI multis legationibus ſumma cum laude perfunctus; alter Marcello II Summo Pontifici ſublectus Pauli IV ſibi nomen aſcivit: ſumma & integritate vir & ſeveritate. Par fuit & Alfonſi Geſvaldi anno MDXCVI, & Octavii Aquavivæ anno MDCV nobilitas, eloquentia, & in rebus gerendis induſtria; ille ex Principum Venuſinorum ſtemmate fuit, hic ex Adrienſium: Octavius tamen altero mihi eo nomine carior, quòd Rodolphi Aquavivæ è Societate Jeſu, qui in India pro Chriſto martyrium ſubiit, frater fue-

rit, nepoſque Claudii Aquavivæ, qui Societati ſummâ prudentiæ famâ Vicarius generalis præfuit. Illos exceperunt & Franciſcus Boncompagnus anno MDCXXVI Gregorii XIII nepos, & Aſcanius Philamarinus anno MDCXLI; ille eruditionis, hic prudentiæ famâ clariſſimus. SUFFRAGANEI NEAP. ARCHIEPISC.

CAPUT IX.

Epiſcopi Neapolitano contributi.

QUOT Epiſcopi Neapolitano Metropolitæ fuerint olim contributi, inter Scriptores non convenit, plures alii, alii pauciores numerant: vulgò ſeptem recenſentur. Urbium nomina ſunt hæc, Nola, *Nola*; Cumæ, *Cuma*; Puteoli, *Puzzolo*; Miſenum, *Miſeno*; Iſchia, *Iſchia*; Averſa, *Averſa*; Acerra, *Acerra*. Henricus Bacchus, ſi tamen illius eſt deſcriptio Regni Neapolitani, Cumanum detrahit; Miræus præterea Miſenum & Averſam: qui, ut inter ſe quoquomodo concilientur, habenda eſt ratio temporum: aliàs enim plures Epiſcopi Neapolitano ſuberant, nunc pauciores. Sed quoniam de Puteolano, Nolano, Acerrano, Iſchiano nulla eſt controverſia; de his nulla etiam nobis quæſtio erit: de cæteris agamus breviter. I. Suffraganei.

Anno Chriſti MCXCVIII inter Anſelmum Neapolitanum & Averſanum Epiſcopum contentio fuit, quòd Averſanum ille ſibi ſubeſſe contenderet: lis Innocentio III permiſſa, pro Neapolitano pronuntiatum eſt. At ſub Martino V re diligentiùs diſcuſſa, Neapolitanus, qui priùs vicerat, causâ cecidit; quod judicium, ne quid inde litis iterum oriretur, ratum fore voluit Calixtus III. Cùm multa, tum id potiſſimùm movit Martinum V, quòd *Averſana Eccleſia Romana ſpecialis* eſſet *filia*, & Averſani Epiſcopi plures fuiſſent aliàs à Romanis Pontificibus conſecrati, ut Azolinus à Leone IX, ab Urbano II Guitmundus, Robertus à Gelaſio: decretoque publico cautum eſt, ut Averſana ſedes uni Romanæ in poſterum pareret, ipſiuſque Epiſcopi à Romanis ordinarentur. II. Averſanus detractus.

SUFFRAGANEI NEAP. ARCHIEPISC.

III. Cumanus creari deſitus. Anno MCCVII bello civili dum arderet Campania, Cumani priſtini ſplendoris memores adverſus Neapolitanos ſteterunt; at viribus impares victi ſunt. Urbs everſa, arx diruta funditus, cives alii aliò diſperſi, magna pars Neapolim migrare juſſi; ſedis jura omnia in Neapolitanum tranſlata: Averſanus enim Epiſcopus & Anſelmus Neapolitanus ita mutuò pacti ſunt, ut Cumani Clerici inter Averſanos adſcriberentur; bona verò & reditus Cumanæ ſedis Neapolitano cederent: aliter quidem aliis ſuper hac re viſum; ſed hæc ſententia probatur pluribus.

IV. Miſenus nunquam paruit Neapolitano. Miſena ſedes ſedi alteri bis unita fuit, ſemel Cumanæ, iterum Neapolitanæ. Cùm enim nec Cumæ, nec Miſeni eſſet ob paucitatem civium, unde Epiſcopus dignitatem tueretur; Gregorius Magnus anno DXCII Benenatum utramque ſedem regere juſſit; tumque Epiſcopus appellari *Cumanus* deſiit, ſed *Miſenas* dictus: quod in Epiſtolis ſancti Gregorii cuique obvium eſt. Aliquantò pòſt tamen ſuum cuique ſedi reſtitutum Epiſcopum, vel ex eo colligere licet, quòd epiſtolæ ſynodicæ Agathonis anno DCLXXX ſubſcripſerint, & Agnellus Miſenas, & Petrus Cumanus. Anno tandem DCCCLXXX, teſte Joanne Diacono, Miſenum à Saracenis deſtructum, ibique Epiſcopum creari deſitum eſt. Sedis illius prædia Sergius Dux, penes quem tum ſumma rerum erat, ſedi Neapolitanæ, cui præerat Athanaſius ipſius filius, indulſit. Hæc in Epiſcopis Neapolitanis Joannes Diaconus.

In actis tranſl. S. Soſſii.

V. Quatuor ſunt Epiſcopi Neapolitanus. Cumanus igitur & Averſanus Epiſcopi Neapolitano olim ſuberant: nunc verò eorum neuter, quia ille nullus eſt; hic uni Romano Pontifici ſubditus. Miſenas nunquam Neapolitano paruit; nec verò parere potuit, cùm multò antè Miſenum everſum ſit, quàm Neapolis facta metropolis. Unde quivis intelligat, non ſeptem, ut vulgò creditum eſt, ſed ſex olim Epiſcopos fuiſſe Neapolitano contributos: noſtra verò ætate quatuor tantummodo ſunt Suffraganei, *Puteolanus*, *Nolanus*, *Acerranus*, *Iſchianus*.

DISSERTATIO SECUNDA.

Capua.

CAPUT I.

Urbs Capua.

DE Capuæ tum origine, tum nomine, alia alii prodiderunt. Ab Oſcis, quæ Thuſca gens erat, conditam volunt Cato & Sempronius; à Capy Æneæ comite Virgilius & Servius; à Capy Samnitium Duce Livius; à Capy Albanorum Rege Iſidorus; à Capy ſive Samnite, ſive Trojano, ſive Albano nomen inditum ſcribunt Virgilius, Livius, Iſidorus; à capacitate Diodorus; à vicina camporum planitie Plinius; Strabo, quòd multarum urbium caput eſſet. Utut eſt, ad Tifatæ montis radices condita eſt tribus à Vulturno flumine millibus. Primos, ut perhibent, incolas habuit Oſcos, à quibus Oſca dicta eſt, teſte Catone: tum Oſci à Cumanis pulſi; hi etiam aliquantò pòſt ab Hetruſcis. De Capua, quò breviores ſimus, duo tantùm quærimus: unum, à quibus & exciſa ſit, & reſtituta, dum paruit Romanis; alterum, qui poſtea fuerint ipſius Principes. I. A quo condita Capua.

Capua, dum bello à Samnitibus premitur, Romanis ſe ſponte dedidit; ab iis tamen bis aliquantò pòſt defecit: ſemel ſuis & opibus confiſa & viribus; iterum ad Annibalem victis ad Cannas Romanis. Quare geminam à Romanis cladem accepit: primùm agri parte mulctata; deinde urbs ipſa à Q. Fulvio capta, Senatus Principes LXX ſecuri percuſſi, II. A Romanis capta, &c.

CAPUANI PRINCIPES. nobiles trecenri conjecti in vincula, plebs ſub haſta vendita, muri diruti, deformata civitas, aratoribus & libertinis permiſſa. Ita jacuit ad Conſulatum C. Cæſaris, cujus juſſu ager viritim diviſus eſt; oppidum muris clauſum, colonia facta, *Julia*que *felix* dici cœpta eſt. Hinc priſtinum decus Capuæ redditum: ſub Imperatoribus tum paganis, tum Chriſtianis Campaniæ caput fuit, donec à Genſerico Vandalorum Rege anno CCCCLV iterum everſa eſt, & à Narſete anno DLIII inſtaurata.

CAPUT II.

Capuani Principes.

I. Capuani Principes. CAPUANOS Principes in quatuor, ſive ætates, ſive claſſes tribuimus. Prima ab anno DLXXXVIII, quo Romanis erepta eſt Capua, pertinet àd annum D.CCCLI, quo à Ducatu Beneventano abſtracta, Salernitanis Principibus contributa eſt. Altera ab anno DCCCLI ad annum DCCCXCIX, quo iterum ab Arnulpho juncta Benevento. Tertia ab anno DCCCXCIX ad annum MLII, quo capta eſt à Richardo Northmanno Averſano Comite. Quarta ab anno MLII ad annum MCXXXVII, quo à Rogerio Siciliæ Comite occupata eſt.

II. Quando cœperint. Jam magna Italiæ pars ſerviebat Longobardis, cùm Rex Autharis in Campaniam & Samnium anno DLXXXVIII penetrat: inde ejecti ab eo Græci, Duxque uti Spoleti priùs, ita tum Beneventi conſtitutus, Capuæ verò Comes. Inter Capuanos Comites ingens aliquantò pòſt Transemundi gloria fuit, qui ob res præclarè geſtas adverſus Conſtantem Imperatorem à Grimoaldo Rege gener aſcitus eſt, & Dux Spoletanus factus. Multis poſt hæc annis Capua ſive Comitibus, ſive Guaſtaldis paruit; hi verò Duci Beneventano.

III. Francis ſubditi. Poſtquam verò anno DCCLXXXVI à Carolo Magno everſum Longobardorum in Italia Imperium eſt, Aregiſus Dux Beneventi regios honores affectare inſtituit: de quo ut Carolo nunciatum eſt, continuò in Campaniam cum valida manu

manu advolat. Capta eſt à Francis Capua, fugit Aregiſus, paxque petenti data ea lege, ut ipſius filius & Beneventani cum ſuo, tum Aregiſi nomine fidei ſacramentum Carolo præſtarent. Inde & Beneventum & Capua Gallici juris eſſe cœperunt. Anno DCCCXVII Capua unà cum aliis Campaniæ urbibus Romanæ Sedi à Ludovico Pio data eſt, ut in Diplomate legere licet. Erat tamen anno DCCCXXXI in poteſtate Beneventani Ducis: tum enim perhibent Capuam à Sicone Duce ædificari cœptam in monte Trifico, duobus ferè paſſuum millibus à loco, ubi priùs ſita erat; unde illi *Sicopolis* nomen inditum. CAPUANI PRINCIPES.

Anno DCCCXL Sicardo Duce à ſuis in tumultu occiſo, hinc Adelgiſus Quæſtor illius ditionem occupat; inde Landulphus Capuæ Guaſtaldus Siconulphum Sicardi filium Tarento, ubi tum exulabat, accerſit. Inde ortum civile bellum; Salernum à Siconulpho receptum; Saraceni ab utroque evocati: ab alio tamen alii; ab Adelgiſo Africani, ab Siconulpho Hiſpanienſes, qui & utrique & Italiæ penè excidio fuerunt: ab iis enim Barium occupatum eſt, vaſtata Apulia, &c. Inter hos Principes cùm nulla eſſet pacis ineundæ ratio, Ludovicus Imperator anno DCCCLI in Campaniam venit, ab eo Adelgiſus Beneventi, Siconulphus Capuæ & Salerni imperare juſſi. Hæc Principatûs Salernitani primordia fuiſſe vulgò creditum eſt. Paulò pòſt, quòd Capuani Ludovicum adverſus Saracenos non ea, quâ par erat, fide juviſſent, principatus Siconulphi filio ademptus eſt, datuſque Adamario. Sub hæc *Sicopolis* ſive *Capua*, vel quòd deflagraſſet ſæpius, vel ob admiſſa à civibus ſceleta oblato incendio abſumpta eſt; tumque Lando Comes, Landulphus Epiſcopus, aliique Landulphi ſenioris filii aliam urbem propter pontem Caſulini ad ulteriorem Vulturni ripam anno DCCCLVI condiderunt: *Capua nova* dicta eſt. IV. Diverſi à Beneventanis.

Anno DCCCXCIX Capua Benevento iterum adjuncta eſt: mortuo enim Adelgiſo Atenulphus Capuæ Guaſtaldus utrumque principatum occupavit. Huic ſucceſſit Landulphus filius, Landulpho Pandulfus ille, à quo Joannes XIII anno DCCCCLXV perhonorificè Capuæ exceptus eſt, cujúſque frater Joannes primus Capuæ inſtitutus eſt Archiepiſco- V. Iidem cum Beneventanis.

CAPUANI PRINCIPES. pus; deinde Landulfus alter, Landenulfus, aliique, quos appellare longum ſit. Anno M Capua à Saracenis capta eſt, recepta continuò ab Othone III, anno MXVII Pandulfus operâ Northmannorum, qui Chriſtianæ rei juvandæ causâ venerant in Italiam, contra Saracenos uſus eſt: at ipſe anno MXXXVIII, quòd defeciſſet ad Græcos, principatu dejectus eſt; quem tamen à Guimario, cui traditus erat, magno auri pondere anno MXLVII recepit.

VI. Northmanni. Mortuo Pandulfo Richardus Northmannus, qui tum Averſæ Comes erat, Capuam per vim occupat: utque paulò pòſt Roberto Viſcardo Apuliæ & Calabriæ Ducatus; ita ipſi Capuanus Principatus à Nicolao II confirmatus eſt. Ambo ſolemni adacti ſacramento ſe Romanæ Sedis fideles fore, & *ligio*, ut tum loquebantur, & tributi annui nomine, duodeni in ſingula boum juga denarii imperati. Richardum excepit Jordanes filius, Jordanem Richardus alter, hunc Robertus, quem Principatu anno MCXXXVII expulit Rogerius Siciliæ Comes, qui paulò pòſt regium & nomen & inſigne aſſumpſit: unde Capua iiſdem deinceps, quibus Neapolis, & Principibus paruit, & bellis perfuncta eſt.

CAPUT III.

Capuana ſedes inſtituta.

Sedes à B. Petri Diſcipulis inſtituta. QUI de Capuanis ſcripſerunt Epiſcopis, ut Neapolitanam, ita Capuanam etiam ſedem à S. Petro, dum Antiochiâ Romam peteret, anno XLIII inſtitutam volunt. Quoniam nihil habeo, cur negem, ab iis diſſentire nolim; mihi tamen ſimilius vero videtur id aliquantò pòſt contigiſſe. Ubi D. Petrus Romæ Sedem fixit, tum ipſius Diſcipuli ad fidem prædicandam alii aliò dimiſſi; dumque Chriſtiana religio per Italiam propagatur, multis in urbibus epiſcopales ſedes erectæ, aliæ quidem ab aliis, Capuana à S. Priſco. Is Chriſti, an S. Petri Diſcipulus fuerit, obſcurum eſt. Chriſti fuiſſe tradunt Bedâ, Uſuardus, Ado, Baronius, unaque cum S. Petro veniſſe in Italiam. Latinus tamen fuerit, an

Græcus, dubitat Caracciolus, ob veterem inſcriptionem, in qua S. Anſius Priſcus dicitur: quod ſanè nomen nec Græcum eſt, nec Hebraicum. Unde quis fortè, nec immeritò, illum Petri, non Chriſti Diſcipulum fuiſſe ſuſpicetur. Dum in Chriſtianum nomen ab Imperatoribus ſævitum eſt, multorum in ſuppliciis perpetiendis conſtantia Capuæ enituit, ut Quinti, Arcontii, Donati, Rufi, Carpophori, Nicanoris, Caſſiani, Feliciſſimi, Antonini adoleſcentis, &c. quorum alii ſub aliis Imperatoribus paſſi, omnes in martyrum album adſcripti ſunt. Capuana ſedes.

CAPUT IV.

Capuani Epiſcopi.

CAPUANÆ ſedi poſt S. Priſcum, de quo paulò antè, Sinotus præfuit; poſt Sinotum Rufus ille, cujus filiam è mortuis cùm excitaſſet, Apollinaris, ipſe ex Pagano Chriſtianus, & ex Patricio militumque Duce Epiſcopus factus eſt; deinde Auguſtinus, qui unà cum Felicitate matre martyrium ſubiit. His quidem Ariſteus à Monacho ſubjungitur, ſed repudiatur à Bellarmino. Poſt Proterius & Protus; quorum ille, ſi tamen alter ab altero diverſus eſt, Concilio Romano ſub Melchiade anno CCCXIII in causâ Cæciliani; hic Arelatenſi anno CCCXIV ſub Silveſtro adfuit. I. Epiſcopi antiquitate inſignes.

Tum Vincentius ille obitis legationibus illuſtris, futurus tamen multò illuſtrior, niſi collectam tribus legationibus gloriam quartâ obſcuraſſet. Primùm à Silveſtro anno CCCXXV etiam tum Eccleſiæ Romanæ Preſbyter ad Nicænam Synodum Legatus miſſus eſt; deinde à Julio anno CCCXLVI, jam Epiſcopus Mediolanum ad Conſtantem de cogenda Sardicenſi Synodo; poſt à Synodo Sardicenſi anno CCCXLVIII Antiochiam ad Conſtantium Imperatorem; denique à Liberio anno CCCLIII ad eundem Conſtantium Arelate, ubi Imperatoris ſive minis, ſive blanditiis victus à priſtina conſtantia deſcivit; non Ariano tamen dogmati, ſed Athanaſii damnationi conſenſit. Hanc deinde quoquomodo abſterſit II. Vincentius.

CAPUANI EPISCOPI.

maculam; dum in Synodo Ariminenſi Catholicam fidem adverſus Arianos acriter tutatus eſt.

III. Memorius & Germanus.

Memorii, ut generis nobilitas major, ita fama ab omni labe purior fuit; eo tantùm nomine infelix, quòd ante Epiſcopatum ſuſceperat Julianum illum, qui Pelagianum errorem adverſus S. Auguſtinum & verbis & ſcriptis aſſeruit: quem qui Capuanos inter Præſules annumerant, opinione ſua falſi ſunt. Fuit enim non Capuanus, ſed Eclanenſis Epiſcopus, ut auguratus eſt olim Pellegrinus, probavit vir erudítiſſimus Garnerius noſter. Celebre etiam Priſci Junioris nomen, qui genere Afer in perſecutione Vandalica anno CCCCXLIII fidei tuendæ ſtudio clarus extitit. At nullius pietas, doctrina, prudentia magis enituit, quàm S. Germani, qui Romani Pontificis juſſu legationem ad Imperatorem anno DXIX ſumma cum laude obiit, cujúſque animam inter Angelorum choros in cælum deferri S. Benedictus vidiſſe fertur.

IV. Alii Epiſcopi.

Nec ſanctitate inferiores S. Victor anno DXLI; S. Rufinus anno DLIV; Dedecoroſus anno DCLXXX, qui Romanæ Synodo adfuit ſub Agathone; Vitalianus anno DCC; S. Paulinus anno DCCCXLIII: omnes in Sanctorum faſtos relati. Non par fuit, ſi Erchemperto credimus, Landulfi Epiſcopi anno DCCCLI aut modeſtia, aut ſanctitas. Is enim Landulfi ſenioris filius Landonem nepotem, quò rerum potiretur, Capuâ expulit, ipſeque præter fas Comes factus eſt. Duo tamen ad laudem inſignia præſtitit; quòd unà cum fratribus Capuam novam condidit ad pontem Caſulini; & Campaniâ ejecit Saracenos; eoque nomine laudatur à Joanne VIII.

V. Duo ſimul Capuæ Epiſcopi.

Sub Landulfi mortem ſchiſma Capuæ conflatum eſt. Landulfus anno DCCCLXXIX Landulfo patruo ſublectus eſt; at conſecrationem, quòd ætate junior erat, dum differt in dies; Pandenulfus ipſius patruelis Romam venit; à Joanne VIII, ut Landenulfus frater homo laïcus ordinetur, multis precibus impetrat; reverſus Capuam expellit Landulfum. Inde diſtracta duas in partes civitas; dum alii Landulfo favent, Landenulfo alii. Huic malo ut mederetur, Joannes VIII Capuam venit, & jubet utrumque eſſe

Epiſcopum, Landenulfum novæ Capuæ, Landulfum vete-ris. Hic in Epiſtolis Joannis VIII, quod hîc monere abs re non fuerit, dicitur Epiſcopus Suricorum & Berolaſis, à duabus, quæ in veteri Capua erant, Baſilicis. Si quis enim hæc nomina duo inter urbes Italiæ inquirat, operam luſerit. Sunt qui velint Landenulfum haud multò pòſt Capuâ pulſum à Landulfo fugiſſe Neapolim: tradit tamen Erchempertus Landulfum ab Athenulfo Comite anno DCCCLXXXVIII conjectum eſſe in carcerem. Utriuſque nulla deinceps occurrit mentio, niſi eorum alter ſit Landulfus ille, qui à Formoſo Pontifice anno DCCCXCI Conſtantinopolim miſſus eſt. Qui plura de Capuano ſchiſmate avet cognoſcere, Erchempertum, Leonem Oſtienſem, & Joannis VIII epiſtolas conſulat. CAPUANI EPISCOPI.

CAPUT V.

Capua facta metropolis.

DUo mihi hoc loco præſtanda ſunt. Primum, Capuam ante annum DCCCCLXVIII non fuiſſe metropolim. Alterum, ea dignitate fuiſſe à Joanne XIII inſignitam Utrumque breviter.

I. An Capua à tempore Conſtantii Metropolis.

Capuam jam inde à Conſtantii temporibus fuiſſe metropolim, Sirmondo olim noſtro in ea, quam contra Salmaſium ſcripſit, adventoria viſum eſt: habeo tamen cur ab eo diſſentiam. De Italiæ preſſiùs ſumptæ finibus inter Sirmondi & Salmaſii ſententiam id intererat, quòd ille Italiâ ſeptem tantùm provincias contineri velit; hic verò omnes, quæ ſunt extra Urbis centeſimum. Quod ut evertat Sirmondus, primùm utitur epiſtolis, tum Synodi Sardicenſis, & Athanaſii ad Solitarios, quarum utraque Campaniam, Calabriam, Apuliam ab Italia dividit. Deinde refert ſubſcriptiones Conciliorum & Sardicenſis & Arelatenſis, quorum in primo ita ſubſcriptum eſt: *Lucillus ab Italia, Vincentius à Campania de Capua, Ianuarius à Campania de Benevento, Stercorius ab Apulia de Canuſio.* In altero verò: *De provincia Italiæ civitate*

CAPUA METROPOLIS.

Mediolanenſi Mirocles Epiſcopus; ex provincia Campaniæ de civitate Capuenſium Proterius Epiſcopus; de provincia Apuliæ de civitate Arpienſium Pardus Epiſcopus. Denique adhibet verba Athanaſii ex epiſtola ad Solitarios: Βικώντιον μὲν τὸν ἀπὸ Καπύης· ἔστι δὲ αὕτη μητρόπολις. Hoc eſt: *Vincentium quidem de Capua; illa verò eſt metropolis.*

II. Metropolis fuit, civilis, non eccleſiaſtica.

Ex his ſi velit Sirmondus Campaniam ab Italia utroque jure, & civili & eccleſiaſtico, ſejunctam fuiſſe, rectè illud quidem; ſi pariter à Romana provincia, non item, ut mihi quidem videtur. Fuit quidem Campania jure civili diverſa à Romana provincia, non tamen eccleſiaſtico: utraque enim diverſis Magiſtratibus, ſed uni Metropolitæ Romano paruit. In his verò quas modò appellavimus, ſive epiſtolis, ſive ſubſcriptionibus, juris plerumque civilis habita ratio eſt, non eccleſiaſtici; tumque urbes diverſis vulgò provinciis adſcriptæ ſunt: ſi aliis alius, ſive Præſes, ſive Proconſul præfuit. Nec alia mens fuit Athanaſii, dum Capuam Campaniæ *metropolim* appellat: metropolis quidem fuit, non eccleſiaſtica tamen, ſed civilis; eoque reſpexiſſe videtur Athanaſius, qui non vocat Vincentium Metropolitanum, ſed Capuam *metropolim:* hæc enim prærogativa urbis fuit, non Epiſcopi.

III. Alioquin multæ in eadem provincia metropoles.

Præterea, ſi Campania ſolida provincia eccleſiaſtica fuit, annon & Apulia & Calabria ſolidæ itidem provinciæ fuerunt? Eadem enim omnium ratio eſt. Quænam verò in his provinciis metropoles, an Hydruntus? an Tarentum? Barium? at eas multò pòſt hac dignitate ornatas in confeſſo eſt. Eò accedit, quòd ſi Capua Campaniæ erat metropolis, an illi contributa Neapolis? At ſubditam Capuæ fuiſſe nullum extat veſtigium. Si verò Neapolis metropolis etiam erat, fuerunt in una Campania provinciæ multæ. At hæc omnia nihili ſint, vel ex unius Gregorii Magni epiſtolis cuivis intelligere licet Capuam præ cæteris nihil habuiſſe præcipui: ut à pluribus abſtineamus exemplis, hæc pauca ſubjicere ſatis ſit.

IV. Nec erat tempore Gregorii metropolis.

Feſtus Capuæ Epiſcopus in contemptum & populi & Clericorum venerat: illum Petro Campaniæ Subdiacono commendat Gregorius: moritur paulò pòſt Romæ: Gregorius Gaudentium Nolanum Capuam viſitatorem mittit: Baſilius

Feſto ſuffectus apud Siciliæ Præfectum hærebat diutius: illum Gregorius per Romanum Defenſorem ad ſuam ſedem intra quinque dies redire jubet, eumque Romam ad Synodum evocat. Quid hic eſt, ex quo elici poſſit Capuanum Epiſcopum fuiſſe Metropolitam? Annon potiùs inde planum fit, ut cæteros Campaniæ Præſules, ita Capuanum fuiſſe Romano Metropolitæ contributum? Id, opinor, negaverit nemo, qui Gregorii epiſtolas vel leviter perlegerit: longè enim alia illius eſt cum Mediolanenſi & Ravennate Metropolitanis agendi ratio. CAPUA METROPOLIS.

Quo verò tempore Capua metropolis facta ſit, quod ſuperiùs indicavimus, paucis accipe. Poſtquam Othonis I juſſu Pontificatus Joanni XII abrogatus eſt, illi ab Othonis Synodo Leo, à Romanis paulò pòſt Benedictus V ſuffectus eſt, quorum utrique anno DCCCCLXV ex Othonis conſenſu à Populo Romano ſublectus eſt Narnienſis Epiſcopus, Joanni XIII nomen factum. Is, quòd auſterior eſſet aliquantò, à Rotfredo Præfecto ex Urbe ejicitur: Capuæ, quò ſe receperat, ſummo honore illum excepit Pandulfus Comes. Inde Othonis metu à Romanis revocatur Romam, quò ſub hæc Otho advenit. Poſtquam in ſeditionis autores ab Imperatore ſævitum eſt, pacis cum Græcis incundæ causâ, Capuam Otho & Joannes XIII ſe conferunt. Ibi dum moratur Pontifex, Capuanæ ſedi, quò Pandulfo gratiam referret, metropolitanam dignitatem indulſit, & Joannem Pandulfi fratrem ordinavit *Archiepiſcopum*. Hæc certa Capuani Archiepiſcopatus primordia fuerunt, ut autor eſt Leo Oſtienſis in Chronico Caſſinenſi l. 2. c. 9. V. A Joanne XIII metropolis facta eſt.

CAPUT VI.

Capuani Archiepiſcopi.

E Capuanis Archiepiſcopis hi præ cæteris illuſtres fuiſſe perhibentur; alii tamen aliis, aut artibus, aut dotibus: Hildebrandus, qui Romanis Conciliis adfuit, primùm ſub Nicolao II anno MLIX, iterum anno MLXIII ſub Alexan- I. Epiſcopi clari nobilitate.

CAPUANI ARCHIEPISCOPI.

dro II: Hugo, cujus nomini duplex infamiæ nota inuſta eſt, quòd Antipapæ Anacleto adhæſiſſet in ſchiſmate, & ob ſimoniæ crimen malè audiret. Alfanus, qui anno MCLXXIX Synodo Lateranenſi ſub Alexandro III ſubſcripſit. Generis nobilitate clari fuerunt Joannes Borgia Alexandri VI nepos anno MCCCCLVI; Hippolitus Eſtenſis anno MDII ambo Cardinales: Nicolaus Schombergus gente Suevus anno MDXX, Thomas Caracciolus anno MDXXXVI: duo è Domo Gaëtana, Nicolaus anno MDXLVI, & Aloyſius MDCXXVI.

II Pietate & doctrina.

Inter eruditos ſuæ ætatis principem ferè locum obtinuerunt Marinus è gente Philamarina anno MCCLII, & Cæſar Coſta anno MDLXXIII, uterque legum peritiâ celebris: ille cùm fidelem decem Pontificibus navaſſet operam, Regno Neapolitano à Friderico II prohibitus eſt; hic in emendatione Sexti Decretalium multum operæ contulit. Illis omni genere laudis prætitit Robertus Bellarminus Marcelli II Pontificis nepos, qui è Societate Jeſu in Cardinalium Collegium allectus eſt à Clemente VIII, vir pietate, doctrina, editiſque adverſus Hæreticos libris longè clariſſimus.

CAPUT VII.

Epiſcopi Suffraganei.

Suffraganei.

EPISCOPI tredecim Capuano Metropolitæ à Joanne XIII olim attributi ſunt. Urbium nomina hîc adſcribere libuit: Atina, *Atino*; Æſernia, *Iſernia*; Aquinum, *Aquino*; Caïeta, *Gaëta*; Calatia, *Calazzo*; Cales, *Calui*; Calenum, *Carinola*; Caſerta, *Caſerta*; Fundi, *Fondi*; Sora, *Sora*; Sueſſa, *Seſſa*; Tranum, *Trano*; Venafrum, *Venafri*. Ex his poſtea quinque detracti: Aquinum enim, Fundi, Caïeta, Sora, ſive quòd in Latio ſint, ſive alia de cauſa, Romanæ provinciæ multis abhinc annis adſcribuntur, nihilque juris in illos Epiſcopos habet Capuanus; Atinæ verò creari Epiſcopum jam inde ab Innocentii III temporibus deſitum eſt.

CAPUT

SYNODI CAPUÆ HABITÆ.

CAPUT VIII.

Tres Synodi Capuæ habitæ.

TRes Capuæ Synodi habitæ ſunt. Prima ann. CCCLXXXIX ſub Siricio: altera ſub Victore III anno MLXXXVII: tertia anno MCXVIII ſub Gelaſio II. Quæ cujuſque convocandæ cauſa fuerit, quæve in ſingulis ſancita ſint, paucis pro noſtro inſtituto perſtringimus. I. Tres Capuæ Synodi.

Anno Chriſti CCCLXII Antiochia Syriæ tres in factiones ſciſſa erat: alii à Magno Euſtathio, *Euſtathiani* dicebantur; alii *Meletiani*, à Meletio, qui Euſtathianis quamvis Catholicus ob Arianorum conſortium inviſus erat; alii denique *Ariani*. Sub hæc Antiochiam venit Lucifer Calaritanus, qui Paulinum Euſtathii Preſbyterum ordinat Epiſcopum. Ita tres eâ in urbe fuerunt Epiſcopi, Meletius & Paulinus Catholici ambo, & Euzoïus Arianæ impietatis propugnator: aliquantò pòſt Meletio in ſecunda Synodo generali Flavianus, Antiochiæ Paulino Evagrius ſublectus eſt. Flaviano favebant Orientales, Evagrio Romanus Pontifex; neutri Alexandrinus Patriarcha. Cùm nullus eſſet diſcordiarum modus, & Pontificis Romani, & Imperatoris juſſu Capuæ Synodus indicitur; eoque Flavianus venire juſſus non adfuit. II. Prima de ſchiſmate Antiocheno.

Eò accedebat Bonoſi in Macedonia Epiſcopi impietas, qui cùm Dei genitricis Mariæ virginitatem poſt partum illibatam negaret, jam multos erroris ſui contagione infecerat. De ſchiſmate Antiocheno primùm omnium conſenſu ſancitum eſt, ut Antiocheni omnes, ſive Flaviano ſtuderent, ſive Evagrio, modò pura ab omni labe eorum fides eſſet, ad Catholicam communionem admitterentur. Deinde ſeditionis illius ſedandæ poteſtas Theophilo Alexandrino permiſſa: hæc tamen adjuncta conditio eſt, ut quam ille tuliſſet ſententiam, Romanus Pontifex autoritate ſua comprobaret. Ne verò ſparſum à Bonoſo in Macedonia venenum ſerperet latiùs, totius cauſæ cognitio Anyſio Theſſalonicenſi delata eſt, à quo proſcripta paulò pòſt Bonoſi blaſphe- III. Et Bonoſi hæreſi.

SYNODI CAPUÆ HABITÆ.

mia, damnatique, qui ab eo dicti ſunt, *Bonoſiani:* denique à Synodo Capuana cautum eſt, ne quem quis iterum, aut ſacro fonte ablueret, aut ſacris initiaret Ordinibus.

IV. Secunda de Victoris Pontificis electione.

Gregorio VII, qui Salerni obierat, omnium ſuffragiis anno MLXXXVI ſublectus eſt Deſiderius Preſbyter Cardinalis, Caſſinenſis Abbas: at is oblatam dignitatem repudiat; nulliſque precibus, lacrymis, rationibúſve permotus Româ egreditur, & Pontificatûs inſignia Terracinæ deponit: aliquantò pòſt Caſſino, quò fugerat, à Northmannis Principibus perductus eſt Capuam, quo Rogerius Calabriæ Dux, Jordanes Capuæ Princeps, multique tum Epiſcopi, tum Romani Proceres unà cum Cincio Conſule convenerant. Ibi habetur Synodus; huic Victor, id enim nominis jam ipſi Romæ inditum fuerat, præſidere juſſus: tum ad ejus genua procumbunt Dux, Principes, Epiſcopi, quorum tandem precibus victus crucem, & purpuram, quæ abjecerat, recepit: denique à Northmannis Principibus Romam perductus eſt.

V. Tertia de Burdino Antipapa.

Paſchali II Gelaſius item II ſuffectus eſt anno MCXVIII. Ejus electionem Henricus V primùm ratam fore jubet: paulò pòſt Romæ, ſive ipſius juſſu, ſive Procerum audaciâ turbatum eſt. Gelaſius à Cincio Frangipano malè acceptus Caïetam profugit. Tum Henricus ad Urbem Profectus Mauritium ſive Burdinum Braccarenſem Epiſcopum ex Hiſpania fugitivum hominem Gelaſio obtrudendum curat. Interim Gelaſius Capuam pervenit, vicinos Epiſcopos ad ſe evocat: ab iis & Cardinalibus, qui cum Pontifice fugerant, habetur Synodus anno MCXVIII, à qua Henricus & Burdinus ignominiâ notati: haud multò pòſt reſipuit Henricus; Burdinus averſo camelo impoſitus ludibrium urbis fuit.

DISSERTATIO TERTIA.

Surrentum, Teate, Lancianum, Compſa, Acheruntia, Amalphis, Salernum, Beneventum.

CAPUT I.

Surrentum.

SURRENTUM Picentinorum olim caput ad litus Tyrrheni maris in amœno colle viſitur inter oſtia Sarni & Athenæum promontorium. Multa veteres de ipſius, tum origine, tum nomine fabulantur. Urbem ab Ulyſſe conditam volunt; nomen deductum à Sirene: ſed hæc nihil ad nos. Romanorum olim coloniam fuiſſe teſtantur antiqui lapides: iiſdem, quibus cæteræ illius regionis urbes, gentibus paruit. Suos etiam, ut Salernum, ut Neapolis, habuiſſe ſive Duces, ſive Principes gloriatur. Ubi enim Guimario Salernitano Principe hæc urbs expugnata eſt, Guido Guimarii frater anno MLXXI Dux Surrenti conſtitutus perhibetur, aliaque paſſim Surrentinorum Principum occurrunt nomina. Poſtquam in ditionem Northmannorum venit, fuit Regno Neapolitano contributa. Anno MDLVIII à Turca Piali de nocte capta eſt, direpta, incenſa, cives partim in ſervitutem abducti, partim per vineta & colles dilapſi: muri, templa, ædificia necdum omnino reſtituta ſunt.

I. Surrentum à quo conditum, illiuſque Principes.

A S. Petri Diſcipulis Chriſtiana fides anno Chriſti circi-

II. Quando ſedes inſtituta.

SURRENTUM. citer LX Surrenti prædicari cœpta eſt, ab iiſque ſedes Epiſcopalis inſtituta, & Martyrum & Epiſcoporum nomina, ſive injuriâ temporis, ſive incuriâ civium perierunt. Inter Martyres celebris Quarti, Quartilli, Quartillæ, Marci, & novem ſociorum memoria eſt.

III. Epiſcopi. Epiſcoporum primus, cujus apud Autores mentio eſt, Renatus ille eſt natione Gallus, patriâ Andegavenſis, qui dum ſolitariam non procul à Surrento vitam ageret, ob morum innocentiam, vitæque ſanctitatem in Epiſcopum vel invitus allectus eſt anno CCCCXXX aut CCCCL, aliter enim aliis ſuper hac re placet. Illius corpus ſitne Surrenti, an Andegavi, ingens & olim fuit, & etiam nunc eſt inter utramque civitatem controverſia. In alterutra eſſe certum eſt; in utra ſit, incertum. Sanctitatis etiam fama poſt Renatum floruerunt S. Valerius Renati diſcipulus; S. Athanaſius ann. DCXVII; S. Baculus anno DCLX ex Brancacciorum, ut ferunt, ſtemmate. Notum etiam Joannis nomen anno DXC, ad quem extat Gregorii Magni epiſtola, quique Romanæ Synodo adfuit anno DXCV. Illuſtris quoque Agapiti fama anno DCXLV, cujus & precibus & jejuniis urbem adverſus Rodoaldum Beneventanum Ducem defenſam perhibent.

IV. Quando facta metropolis. De tempore, quo Surrentina ſedes in metropolim evecta ſit, in quatuor ſententias abierunt Autores. Sunt qui ad Gregorii Magni ætatem id referant: ſunt qui tribuant Joanni IX: ſunt qui Innocentio III: ſunt denique qui ſub undecimi ſæculi initium id factum velint; quæ ſententia aliis certior eſt: cæteras enim refellere nullius eſt operæ.

V. Nec à Gregorio Magno. Ac primùm quidem, qui hanc dignitatem à tempore Gregorii Magni repetunt, unius Gratiani autoritate nituntur, quæ cujuſmodi ſit, norunt eruditi. In C. *Conſtitutus. de teſt. & atteſt.* legitur; *Conſtitutis in præſentia noſtra Archiepiſcopo & M. Canonico Surrentiano, dum ipſe illum de ſimoniæ crimine deferret.* At hoc nihili eſt; hæc enim verba ad Surrentinum Epiſcopum an pertineant, an ſecus, obſcurum eſt. Et Gregorius ipſe titulo *de religioſ. domibus* c. 2. Surrentinum Præſulem non Archiepiſcopum, ſed *Epiſcopum* appellat. Ipſius verba ſi quis ea requirit, ſunt hæc: *Ipſum autem Monaſterium*

ſic nos tuæ ordinationi commiſiſſe cognoſcas, ut tamen juriſdictionem illic non Epiſcopus Surrentinus .·.·.·. habeat. Quare ut alia multa, ita hanc vocem, *Archiepiſcopum*, à Gratiano additam par eſt credere. SURRENTUM.

Qui Surrentum anno DCCCCII à Joanne IX metropolim factam volunt, argumento, quod ſciam, utuntur unico, quòd in dyptichis Surrentinis Leopardus qui tum ſedebat, dicatur *Archiepiſcopus*: ſed in ſedis Neapolitanæ Hiſtoria exploſa jam à nobis illa ſententia eſt, dum his in regionibus ante annum DCCCCLXVIII nullam fuiſſe metropolim oſtendimus. VI. Nec à Joanne IX.

Nec certior eſt illorum opinio, qui ad annum MCCVIII ſub Innocentio III id rejiciunt. Illos aliis etiam errare graviùs nos admonet Leo Oſtienſis, dum inter Archiepiſcopos, qui anno MLXXI Baſilicæ Caſſinenſis conſecrationi adfuerunt, Surrentinum appellat. Interfuerunt huic celebritati Archiepiſcopi decem, id eſt, *Capuanus*, *Salernitanus*, *Neapolitanus*, *Surrentinus*, *Amalphitanus*, *Sipontinus*, &c. VII. Nec ab Innocentio III.

Quarta igitur ſententia, ut mihi quidem videtur, tutior eſt, Surrentum paulò poſt Capuam & Neapolim ſub undecimi ſæculi initium factam metropolim: quo anno, à quo Pontifice, incertum. Quid enim juvat incerta pro certis venditare? Id unum liquet, Archiepiſcopos ſe inſcripſiſſe, & Joannem anno MLIX in Synodo Romana ſub Nicolao II, & Barbatum anno MCX in diplomate pro Stabienſi, quem ordinaverat, Epiſcopo. VIII. Sed facta eſt metropolis ſub initium undecimi ſæculi.

Inter Surrentinos Archiepiſcopos clari præ cæteris fuerunt generis nobilitate Bernardus Caracciolus anno MCCCCXXIII; Philippus de Strozzis Florentinus anno MCCCCLXXVIII; Bernardinus Picolominæus ex Ducibus Amalphitanis anno MDXLV; & Lælius Brancaccius anno MDLXXI; Cardinalitia dignitate Franciſcus Romelinus anno MDI, Juris ſcientiâ Carolus Baldinus anno MDXCI. IX. Archiepiſcopi Surrentini.

Metropolitæ Surrentino tres tantùm parent Suffraganei: ſingulorum ſedes ignobile oppidum eſt; Vicus Arquenſis, *Vico di Sorrento*; Stabiæ, *Caſtel à mar di Stabia*; Maſſa Lubrenſis, *Maſſa di Sorrento*. Ullúſne olim fuerit Arquenſis Epiſcopus, non liquet. Arqua gemina eſt, vetus & nova: X. Epiſcopi Suffraganei.

TEATE. illa diruta à Gothis; nova à Carolo II Neapolitano Rege condita. Eò cùm ob cæli & ſoli amœnitatem ſanitatis cauſâ ætate ſæpius ſoleret, anno circiter MCCCII à Bonifacio VIII impetravit, ut oppidum illud ſedes eſſet Epiſcopi. An verò fuerit tum inſtitutus, an evocatus ex Arqua veteri, inter Auctores non convenit.

CAPUT II.

Teate.

I. Teatinæ urbis hiſtoria. TEATE urbs Marrucinorum quondam præcipua, nunc Aprutii metropolis, non procul ab Aterno flumine in colle peramœno ſita. Quæ de illius origine traduntur, ita ſunt infecta fabulis, ea ut referre pigeat. Alii ab Hercule, ejuſque ſociis; alii vel à Thetyde, vel ab Achille: alii à Græcis, qui è Tegea (Arcadiæ oppidum erat) illuc appulerant, conditam volunt: ab Italis aboriginibus alii. Plura ſi quis avet ſcire, legat Lucium Camarram. Nonnulli ſuſpicantur & florente Republica coloniam fuiſſe, & à Veſpaſiani temporibus municipium: utrumque abſque idoneo teſte. Poſtquam concidit Romani Imperii decus, in deliciis fuit Longobardis Principibus, ab iiſque Comitatûs titulo nobilitata, quod ipſi penè exitio fuit: cùm enim Longobardis adverſus Francos faviſſet, à Pipino Caroli Magni filio capta, ferro & flammis vaſtata eſt: cives ad triginta circiter millia cæſi. Ita jacuit penè deſerta ad Northmannos uſque Principes, quorum ſtudio ob loci opportunitatem civibus iterum frequentari cœpta eſt.

II. Quando ſedes inſtituta. Dum Romanam Sedem D. Petrus regeret, multi apud Teatenſes, ut fama eſt, Chriſtianam fidem amplexi ſunt. An illis jam tum datus ſit Epiſcopus, an aliquantò pòſt, obſcurum eſt: ſunt quidem qui Epiſcoporum nomina proferant, ſed ea temere conficta. Chriſtianæ rei ea in urbe multum ſplendoris additum eſt Juſtini utriuſque & pietate & laboribus, quorum alter Sipontinus Preſbyter ſub Diocletiano floruit; hic Teatinus Epiſcopus ſub Conſtantino.

Hic principem in faſtis Teatinis locum obtinet: unde quis non immeritò ſuſpicetur, primum Teate Epiſcopum à ſancto Silveſtro inſtitutum, idque eò maximè, quòd in urbis patronum adſcitus ſit. TEATE.

De Epiſcopis Teatinis, quod hîc adſcribam, nihil eſt: unius alteriúſve hîc meminiſſe ſatis erit; uterque ex Caraffarum gente fuit, Bernardinus & Joannes: ille poſtea Patriarcha Alexandrinus; hic Summus Pontifex, Paulo IV nomen fuit, qui Ordinem Clericorum Regularium unà cum Caïetano Thianeo cùm inſtituiſſet, à Teate, cui diu præfuerat Epiſcopus, Teatinos dici voluit. III. Epiſcopi.

Id unum præ cæteris regionis illius Epiſcopis Teatinus habebat præcipui, quòd uni pareret Romano Pontifici, cùm Clemens VII & Caroli Imperatoris, & urbis Teatinæ precibus permotus, illum deinceps Archiepiſcopum fore decrevit anno MDXXVI. Tres Epiſcopi illi contributi ſunt, Lancianenſis, Pennenſis, & Adrianenſis. IV. Facta metropolis.

Genere nobiles memorantur Guido Medices anno MDXXVIII Clementis VII affinis; & Joannes Caraffa, qui priùs ejuſdem fuerat ſedis Epiſcopus: tres ex Maffæorum ſtemmate, Bernardinus anno MDXLIX; Marcus Antonius anno MDLIII, ambo fratres; Horatius anno MDLXXX, illorum nepos; omnes purpurâ inſignes, quibus nec genere nec dignitate inferior Joannes Caſtruccius anno MDLXXXV. V. Archiepiſcopi.

A Clemente VII uti diximus, Teatino Metropolitæ ſubjecta ſunt Auxanum, *Lanciano*; Adria, *Atri*; Penna, *Penna*. Sed Pennenſis Epiſcopus primùm apud ipſum Clementem, tum apud Paulum III de injuria ſibi illata conqueſtus eſt; cùm enim uni priùs ſubeſſet Romano Pontifici, Teatino præter morem antiquum parere juſſus erat; nihil quidem illi Clemens VII indulſit, ſed eum Paulus III in jus priſtinum reſtitui voluit. Lancianenſis etiam Epiſcopus ſui juris aliquantò pòſt factus eſt, cùm Pius IV Lancianum anno MDLXII in metropolim erexit. Ipſius loco Ortonæ (exiguum eſt ad litus maris oppidum) Pius V anno MDLXX conſtituit Epiſcopum, qui Teatino ſubeſſet: Ortonæ, quòd Epiſcopo vix eſſet, unde viveret, addita eſt à Clemente VIII Campa, tenue itidem oppidulum. VI. Suffraganei Epiſcopi.

LAN-CIANUM ET COMPSA.

CAPUT III.

Lancianum.

I. Lanciani & ſedes Epiſcopalis inſtituta, & facta metropolis.

LANCIANUM Aprutii citerioris oppidum non procul à ſuperi maris litore, ex Anſani veteris ruderibus conditum eſt. Ad annum MCCCCXCIX Epiſcopo Teatino patuit; nulla re præ cæteris inſigne; deinde Romano Pontifici, cùm anno MDXV & Epiſcopali dignitate, & civitatis nomine à Leone X cohoneſtatum eſt; tum anno MDXXVI Teatino Metropolitano à Clemente VII contributum: quod cùm & Epiſcopo & civibus ægrè eſſet, & illorum precibus, & Philippi II Hiſpaniæ Regis autoritate Archiepiſcopus Lanciani anno MDLXI à Pio IV inſtitutus eſt; in eo tamen inferior cæteris, quòd nulla ipſi ſubſit provincia, nullus Epiſcopus.

CAPUT IV.

Compſa.

I. Compſæ inſtitutus Epiſcopus & Archiepiſcopus.

COMPSA olim Hirpinorum, quæ gens ad Samnites pertinebat, nunc Principatus ulterioris caput, ad amnem Auſidum Romanorum colonia fuit. De hac urbe quod ſcribam, nihil certi habeo, adeo omnia aut obſcura ſunt, aut levia. Quando, à quo, quáve de cauſa & Epiſcopus & Archiepiſcopus creari ibi cœptus ſit, non liquet: Epiſcoporum perierunt nomina, Archiepiſcoporum dubia initia. Leo Compſenſis ſub Gregorio VII dicitur *Archiepiſcopus*, unde quis fortè conjiciat ab Alexandro II, vel à Gregorio VII datum huic oppidulo Archiepiſcopum. Quid cauſæ fuerit, hîc divinare non eſt animus: ita enim tenue eſt, vix ut cives numerentur CL, & nulla ſit præter cathedralem ſedem Parochia, nullum ſive Monachorum, ſive Monialium Cœnobium.

E

E Jeſualda Domo quatuor fuerunt Archiepiſcopi; Camillus anno MDXVII; Trojanus anno MDXXXV; Alfonſus Cardinalis anno MDLXIII; Scipio anno MDLXXXVII: alii etiam purpurâ & rebus geſtis nobiles, ut Nicolaus Sermoneta anno MDXXXIX; Camillus Creſcentius anno MDXLVI; Bartholomeus Cæſius anno MDCVIII: quibus gloriâ par, eruditionis famâ ſuperior Ambroſius Catharinus anno MDLII è Dominicano Ordine. COMPSA. II. Archiepiſcopi.

Epiſcopi Compſano Metropolitæ ſubditi ſunt omnino ſex, quorum ſive urbes, ſive oppida ſunt hæc: Muranum, *Morano*; Mons Viridis, *Monte Verde*; Laquedonià, *Lacedogna*; Biſaccium, *Biſaccio*; Angelopolis, *S. Angelo di Lombardi*; Satrianum, *Satriano*: non idem tamen nunc conſtat numerus: Epiſcopatus ſancti Angeli Biſaccienſi primùm à Leone X; deinde à Paulo III adjunctus eſt, ut eſſet unde Epiſcopus pro dignitate viveret: Sutrianum dirutum; ſedes verò Epiſcopi in oppidum Compſenſe anno MDXXV tranſlata eſt. III. Epiſcopi Suffraganei.

CAPUT V.

Acheruntia.

ACHERUNTIA olim Lucaniæ, nunc Baſilicatæ civitas, ad radices Apennini montis, quondam civibus frequens, noſtra ætate ad caſas penè redacta. Poſtquam Gothi Italiâ potiti ſunt, Præfecti ſedes fuit: à Narſete recepta de Gothis, Græcis paruit, deinde Longobardis, à quibus victo à Francis Deſiderio Rege exciſa eſt, & ſolo æquata: At qui eam diruerat Gronoldus Arechis Beneventani Principis filius, idem illam iterum extrui, cingi mœnibus, palatio temploque ornari juſſit. I. Quibus gentibus paruit Acheruntia.

Ab Apoſtolorum Diſcipulis Acheruntini ad Chriſtianam fidem eruditi ſunt. Sub annum CCC illis datus eſt Epiſcopus. Is ad annum DCCCII Romano paruit Pontifici; tum à Nicephoro Phoca, cui ſerviebat hæc Italiæ pars, Hydruntino Metropolitæ ſubeſſe juſſus eſt: pulſis verò ex Italia Græ- II. Sedes inſtituta, illiuſque Epiſcopi.

ACHERUNTIA. cis anno DCCCCXCIII Joannis XV decreto Salernitano Archiepiſcopo ſubditus eſt. Obſcura admodum eſt Acheruntinorum Epiſcoporum memoria. Juſtus anno CCCCXCIX Romanæ Synodo ſub Symmacho ſubſcripſit; Leo anno DCCLXXIX ſanctitatis famâ, & editis miraculis celebris extitit: de aliis quod addam, nihil eſt.

III. Quando facta metropolis. In privilegio quod Robertus Viſcardus Baſilicæ ſancti Joannis de Salo conceſſit, Gerardus Acheruntinus Præſul, Archiepiſcopus inſcribitur anno MLXIII: unde quis fortè conjiciat vel à Leone IX anno MLI, vel à Nicolao II Acheruntiam factam metropolim: quod tamen ſecus eſſe mihi videtur, cùm nullum extet hujus rei veſtigium. A Patriarcha Græco Acheruntinus Præſul Archiepiſcopi appellationem, uti diximus, obtinuit: quare à Viſcardo eodem, quo à Græcis titulo cohoneſtatus eſt. De Acheruntini tamen Archiepiſcopi dignitate nonnihil detraxit Urbanus II, dum ab eo anno MXCIX ſancitum eſt, ut Compſanus & Acheruntinus Archiepiſcopi Salernitano tanquam Primati ſubeſſent, ſine cujus conſenſu illos aut eligi, aut ſua obire munera nefas eſſet.

IV. Matera illi adjuncta. Deſertâ ferme à civibus aliquantò pòſt ob bellorum tumultus Acheruntiâ, è re Acheruntini Archiepiſcopi fore viſum eſt Innocentio III, ſi Acheruntinæ ſedi *Materam*, ſplendidum haud procul oppidum, adjungeret. Fuerat olim *Materæ* Epiſcopus Polieucti Græci Patriarchæ juſſu ab Hydruntino Metropolita inſtitutus. Poſtquam verò *Matera* Græcis erepta eſt, Epiſcopus creari deſitus eſt, quod colligere licet ex Alexandri II diplomate, in quo inter Parochias Acheruntino Epiſcopo contributas *Matera* recenſetur: Epiſcopatûs verò nulla mentio eſt. Innocentius igitur tertius Materanam Baſilicam, quæ beato Petro dicata eſt, & cathedralem, ut loquuntur, deinceps fore juſſit, & Acheruntini Archiepiſcopi ſedem itidem, ac Acheruntinam deinceps fore juſſit: unde Metropolita, modò Acheruntinus, modò Materanenſis vulgò dici cœptus eſt.

V. Inter utriuſque Clerum contentio. Sub hæc inter Clerum Materanenſem & Acheruntinum orta contentio eſt, uter præſtaret alteri, quibúſque terminis eſſet utriuſque poteſtas definita. Ab Eugenio IV anno MCCCCXL

alter ab altero disjunctus eſt, datuſque moderator Petrus Moſulanus Epiſcopus, qui Clerum Materanenſem regeret: paucis tamen pòſt annis Acheruntiæ Matera, ut utriuſque commodo conſuleretur, iterum adjuncta eſt. Continuò inter Clerum utrumque contentio recruduit, quæ anno MCCCCLXXI Sixti IV decreto quoquomodo ſopita, à Clemente VIII anno MDXCIX penitus extincta eſt: pro Acheruntinis pronuntiatum. Quòd tamen Epiſcopus Materæ ſæpius habitet, quia & urbs & Baſilica elegantior eſt, *Materanenſis Archiepiſcopus* vulgò appellatur. ACHERUNTIA.

VI. Archiepiſcopi.

Inter Acheruntinos Archiepiſcopos cæteris præſtitere Arnoldus anno MLXVI, apud Alexandrum II & Gregorium VII gratioſus; Monfredus Joannæ Reginæ à Conſiliis, vir in rebus gerendis prudentia ſingulari: tres è gente Palmeria, Vincentius anno MCCCCLXXXIII; Andreas anno MDXVIII; Franciſcus anno MDXXVIII, hic Cardinalis, illi non item: è Saracenorum familia Michaël Cardinalis anno MDXXXI; Sigiſmundus anno MDLVII: è Spinularum ſtemmate, totidem; Dominicus anno MDCXXX, Joannes anno MDCXLVIII, uterque purpurâ nobilis. Inter utriuſque ætatem interjectus Simeon Caraffa anno MDCXXXVIII, itidem Cardinalis.

VII. Epiſcopi Suffraganei.

Suffraganei ſunt quinque. Urbium, quibus præſunt, hæc ſunt nomina: Anglona olim Pandoſia, Alexandri Moloſſi & Romanorum clade celebris; quâ everſâ, ſedes Epiſcopi Turſium (Ducatus eſt gentis Doriæ) traducta eſt: Gravina, quæ ditionis eſt Urſinorum: Potentia, *Potenza*: Tricaricum, *Tricarico*: Venuſia, *Venoſa*.

CAPUT VI.

Amalphis.

I. Amalphis à quibus condita.

AMALPHIS in Principatu citeriori, quæ pars eſt veteris Lucaniæ, ad mare Tyrrhenum condita, Ducatus cognominis caput eſt. Quæ de hujus urbis produntur origine, fabulæ quàm hiſtoriæ propiora videntur; hæc verò ſunt

AMALPHIS. hujuſmodi. Romanos Proceres, dum Conſtantinopolim quæ tum ædificari cœpta erat, unà cum liberis claſſe petunt, naufragium feciſſe; alios periiſſe fluctibus; alios appuliſſe Raguſium; iis aliquid agri datum, quod colerent: ſed orto paulò pòſt inter ipſos & Raguſinos diſſidio, rediiſſe in Italiam, in eoque loco, cui tum Melphis nomen erat, conſediſſe; ab iiſque urbem conditam, cui *Amalphis* à loco nomen inditum.

II. Illius Principes. Amalphis Romanis, Longobardis, Græcis diu paruit. Poſtquam Salernum Principes habuit, & Beneventum Duces, & ipſa ſui juris facta eſt, cæteriſque civitatibus ob potentiam timori eſſe cœpit. Quare potentiſſimi quique civium per fraudem à Salernitanis intercepti, Salernum per vim abducti ſunt: at ii ſe ſummâ audaciâ in libertatem aſſerunt, & Amalfim reverſi ſibi præficiunt in annos ſingulos Præfectos binos; deinde unum ſive Præfectum, ſive Ducem, qui primùm annuus fuit, pòſt perpetuus: quorum qui nomina & res geſtas avet cognoſcere, legat Capaccium lib. 1 c. 13. ea enim ad rem noſtram minùs pertinent.

III. Militari laude celebris fuit. Anno MLXXV Robertus Viſcardus urbis Ducatum obtinuit, aliique deinceps ſive Duces, ſive Reges Neapolitani. Anno MCCCCXXXIV ab Alfonſo Rege Ducatus Raymundo Urſino Salernitano Principi datus eſt: tum à Ferdinando Antonio Piccolominæo Pii II nepoti: denique Caracciolis. Duo ſunt quæ hîc annotare non pigebit: unum, Amalphitanos olim militari laude, opibus, rei nauticæ ſcientiâ, in Aſia, Africa, totoque orbe celebres fuiſſe; natumque Amalfi Flavium Giſiam inventa pixide nautica nobilem; alterum, dum Ladiſlas & Ludovicus Andegavenſis de Regno dimicant, Amalphim duas in factiones diſtractam eſſe, quarum altera alteri, utrâque urbi exitio fuit: cives enim diuturni belli pertæſi alii aliò dilapſi ſunt, urbiſque ſplendor omnis concidit.

IV Quando inſtituta ſedes, & facta metropolis. In Gregorii Magni Epiſtolis Amalphitani Epiſcopi mentio eſt. Unus pluréſve ante ipſum fuerint, quóve tempore cœperint, non liquet. Nullius enim nomen nec ante ipſum, nec ducentis annis pòſt à quoquam proditur. Joannes XV & Manſonis Epiſcopi & civium precibus permotus anno

DCCCCLXXXVII juſſit, ut Amalphis, quæ tum Capuæ & Benevento opibus, aut par erat, aut etiam ſuperior, eſſet metropolis, Leonique Archiepiſcopo anno DCCCCXCIV honorem pallii indulſit Pontifex. AMALPHIS.

Leonem excepit anno MXXX Laurentius ille Hildebrandi, qui ſummum poſtea Pontificatum adeptus eſt, Romæ præceptor, ex Monacho Benedictino Archiepiſcopus, de quo multa Benno mentitus eſt. Leoni ſucceſſit anno MXLVIII nec doctrinâ nec virtute impar Petrus cum Humberto & Friderico obita legatione ad Græcos ſub Leone IX notiſſimus. Non eadem laus fuit Joannis *della Porta*, qui ab Anacleto Antipapa conſecratus hanc ſedem præter jus aliquandiu retinuit. Matthæi pietas anno MCCII illuſtrior. Is S. Andreæ corpus è Græcia à Petro Cardinale advectum ſummo honore in Baſilicam urbis principem detulit. Generis claritate floruerunt, Joannes Petri Cardinalis Capuani frater anno MCCXV; Bartholomæus Pignatellus anno MCCLIV; Landulfus Catacciolus anno MCCCXXVI Scoti auditor, eruditione ſingulari tum celebris; Joannes Aquaviva anno MCCCLXXV: tres in Cardinalium album allecti, Joannes Medices anno MDX, poſtea Summus Pontifex Leo X; Laurentius Puccius anno MDXVI, & Tiberius Criſpus anno MDLXXIV, quibus nulla re inferior Franciſcus Sfondratus anno MDXLIV Gregorii XIV pater. V. Archiepiſcopi.

Qui Amalphim fecit metropolim Joannes XV, ut eſſent qui illi ſubeſſent Epiſcopi, tres ſimul Epiſcopatus inſtituit: unum Capreæ, *Capri*, in inſula cognomine, quæ olim Tiberii ſeceſſu infamis; alterum Letteræ, *Lettere*, in finibus Terræ Laboris; tertium Minori, *Minore*, ad maris litus, quæ Amalphitanorum colonia eſt: quibus quartum paulò pòſt addidit Scalenſem; erat olim Scala, dives oppidum & elegans. VI. Epiſcopi Suffraganei.

SALERNUM.

CAPUT VII.

Salernum.

I. Salernitani Principes.

SALERNUM, quod Principatus citerioris nunc caput eſt, in ora Tyrrheni maris olim à Sem Noëmi filio conditum fabulantur : ab amne Silare illi nomen inditum. Romanorum aliàs colonia fuit; à Longobardis Regibus hæc urbs ſervire juſſa eſt Ducibus Beneventanis, donec anno DCCCLI ſuos etiam cœpit habere Principes. Cæſo, uti antea diximus, per tumultum Sicardo Beneventano Duce, Adelgiſus ejus ditionem occupat: Landulfus Capuæ Gualtaldio Siconulfum Sicardi filium Capuæ Principem conſtituit. Inter utrumque atrox inde bellum exarſit, quod vario marte geſtum eſt; res tandem à Ludovico Imperatore anno DCCCLI ita compoſita eſt, ut Adelgiſus Beneventi, Siconulfus & Capuæ & Salerni, quod armis receperat, imperaret. Hæc prima, ut perhibent, Salernitani Principatus initia: nec omnes tamen poſtea Principes ejuſdem aut familiæ fuerunt, aut gentis; ſed alii vel pro Imperatorum libidine, vel pro ſuis in publicam rem meritis aut dejecti, aut aſciti in Principes. Anno MLXXV Giſulfus à Roberto Viſcardo jam tum Apuliæ Duce principatu ſpoliatus eſt; illi Rogerius filius, Rogerio Willelmus ſucceſſit; huic Rogerius Siciliæ Comes, qui paulò pòſt utriuſque Siciliæ Rex appellatus eſt. Denique Salernitana civitas Principatûs titulo data eſt viris Principibus, ut Jordano Columnæ, Ducibus Sanſeverinis & aliis, donec Principis à Rege defectione, Regiæ, ut loquuntur, *Cameræ* iterum adjuncta eſt.

II. Quando inſtitutus Epiſcopus.

A primis naſcentis Eccleſiæ temporibus Chriſtianam fidem Salerni receptam vulgò creditum eſt, ibique inſtitutum, qui civium pietatem foveret, Epiſcopum; verè, an ſecus, alii viderint. Epiſcoporum ſanè, ſi qui fuerunt, nomina aut perierunt, aut ita nullo ordine produntur ab Autoribus, ut quo quiſque tempore ſederit, dignoſcere nullo modo liceat.

Sanctitate inclyti memorantur Donatus, Gramatius, Veſtus, Euſtaſius, Valentinianus, Gaudioſus; ſed eorum ferè omnium ætas incerta: nullius certa extant veſtigia ante Gaudentium, qui anno D in Romana Synodo ſub Symmacho ſubſcripſiſſe legitur: inſignis paulò pòſt Aſterii in rebus gerendis prudentia fuit, qui ab Agapeto anno DXXXIV miſſus Conſtantinopolim Synodo præfuit, in qua Anthymus Eutychianæ dementiæ fautor depoſitus eſt, illique ſublectus Mennas. Aſterio propè ſuppares fuerunt Luminoſus & Joannes, quorum uterque Romanis Conciliis adfuit: ille anno DCLII ſub Martino I; hic anno DCLXXX ſub Agathone. SALERNUM. III. Epiſcopi.

Amatum Salerni primum fuiſſe Archiepiſcopum anno circiter DCCCCLXXXIII, duo ſunt, quæ nobis fidem faciunt: datum à Benedicto VII privilegium, & Joannis XV diploma; ex quibus intelligere licet Joannis ſub hæc tempora Principis Salernitani precibus indulſiſſe Benedictum VII, ut Salernum jam Principatûs titulo nobile, & Capuâ nulla re inferius, Archiepiſcopatûs dignitate ornaretur. Quod multis diplomatibus ratum fore juſſerunt alii deinceps Romani Pontifices: ut Joannes XV anno DCCCCXCIII; Sergius IV anno MXII; Clemens VI anno MXLVIII; Leo IX anno MLI; Alexander II anno MLXVII. Inter Epiſcopos celebris eſt S. Alfani memoria, cujus ſanctitas invento S. Matthæi corpore apud poſteros commendata eſt. IV. Quando facta metropolis.

Id Salernitanus Archiepiſcopus præ cæteris habuit præcipui, quòd tot inter Italiæ Metropolitas unus Primatis & honores & jura adeptus ſit. Hoc indulſit anno MXCIX Urbanus II; & multas ipſe, cur conceſſerit, affert cauſas: quòd S. Matthæi Apoſtoli, S. Fortunati, Gaii, Anthes Martyrum corpora ſumma pietate Salerni colerentur; quòd Gregorius VII, cujus ſanctitas, doctrina, animi conſtantia tum erat in ore omnium, afflictis Eccleſiæ rebus Salernum à Roberto Viſcardo perhonorificè perductus eſſet; quòd cùm ipſe Robertus, tum Rogerius Romanis Pontificibus, & præſidio ſæpe fuiſſent & ſaluti. Deinde jubet, ut Compſanus & Acheruntinus Archiepiſcopi, qui olim Epiſcopi Metropolitano Salernitano paruerant, ipſi deinceps pareant ut Primati. V. Archiepiſcopus fit Primas.

SALERNUM. VI. Salernitani Primates.

Inter Primates Salernitanos principem locum obtinet Alfanus II anno MXCIX, Urbani II & Paſchalis II, quos hoſpitio Salerni exceperat, amicitiâ clarus. Genere nobiles fuerunt Rogerius Sanſeverinus anno MCCCXLVII; Guillelmus de Capua anno MCCCLXXVIII. Utrique longè præſtitit regii ſtemmatis Princeps Joannes Aragonius Regis Ferdinandi filius, dignitate Cardinalitia, ſummâ prudentiâ, in Pannoniam legatione, rebuſque geſtis clariſſimus; tum Rodericus Fregoſus anno MDVII; Nicolaus Rodulfus anno MDXXXIII & Rodolfus Pius anno MDXLVIII, ambo Cardinales; Ludovicus *de Torres* anno MDLIII multiplici eruditione illuſtris, quem excepit Hieronymus Seripandus ex Ordinis Auguſtiniani Vicario generali primùm Archiepiſcopus anno MDLXXIV deinde Cardinalis doctrinâ, ſcriptis, legationibus notiſſimus: duo è Columna gente M. Antonius anno MDLXVIII, & M. Antonius cognomento Marſilius anno MDLXXIV; ille purpurâ inſignis, hic non item: denique Cardinales quatuor, Lucius Sanſeverinus anno MDCXII; Gabriel Treſcius anno MDCXXV; Julius Sabellus anno MDCXXX, & Fabricius Sabellus anno MDCXLII hic alterius nepos.

VII. Epiſcopi Suffraganei.

Salernitano Metropolitano quindecim primùm ſubditi ſunt Epiſcopi; deinde ſeptem; alii alia de cauſa aliiſque temporibus abſtracti. Tres facti ſunt ſui juris, Coſentinus, Compſanus, Acheruntinus, quorum urbes factæ metropoles. Tres aliis Metropolitanis contributi, ut Nolanus Neapolitano, & Romano Melphitanus & Biſinianus. Præterea Reſtana ſedes Caputaquenſi adjuncta. Octo Epiſcopis nunc præeſt Salernitanus. Hæc ſunt urbium nomina: Acernum, *Acierno*; Campania, *Campagna*; Caputaqueum, *Capaccio*; Marſicum, *Marſico*; Nuceria, *Nocera*; Nuſcum, *Nuſco*; Policaſtrum, *Policaſtro*; Sarnum, *Sarno*.

CAPUT

Bene-ventum.

CAPUT VIII.

Beneventum.

INTER Sabathum & Calatim Beneventum in colle viſitur, olim Samnitium ſedes, nunc Principatus ulterioris caput. Conditum à Diomede ſcribit Solinus; ab Hirpinis Plinius; alii à Sabellis: à Diomede verò inſtauratum. Sunt qui velint dictum primò *Mileſiam*, deinde *Samnium*; tum à malo vento, cui objectum eſt, *Maleventum*; denique ubi colonia à Romanis anno Urbis CCCCLXXXV eò deducta eſt, boni ominis causâ *Beneventum*. Semper Romanos & opibus & viribus juvit, primùm adverſus Annibalem, multò pòſt contra Totilam; quare ab utroque direptum eſt: receptum de Gothis, ut antea Romanis Imperatoribus, ita deinde Græcis patuit uſque ad annum Chriſti DLXXXIX, quo Autharis Longobardorum Rex in Samnium penetravit.

I. Beneventum à quo conditum, ejuſque varia nomina.

Autharis adventu cùm aliæ civitates metu perculſæ, tum Beneventum provinciæ caput deditionem fecit; eodemque victoriæ impetu Rhegium uſque perventum eſt: tum ab Authari Beneventi Dux Zoto conſtitutus, qui nomine Regis has provincias regeret. Mortuo Zotoni anno DXCVIII ab Agilulfo Rege Arichis ſuffectus eſt, ad quem extat Gregorii Magni epiſtola. Hunc excepit Aio filius anno DCXLVIII, qui anno proximè ſequenti à Slavis, quibus imprudenter occurrerat, cæſus eſt. At Romualdus ejus affinis barbaros victoriâ exultantes devicit, Ducatumque Beneventanum invaſit, quem moriens anno DCLI legavit fratri Grimoaldo.

II. Duces Beneventani à quo inſtituti.

Is dum Pertharitus & Gundebertus fratres de Regno Italiæ contendunt; altero occiſo Garibardi perfidiâ, altero fugato, Longobardorum Regnum occupat. Beneventum Romualdo filio permiſit, qui à Conſtante Imperatore anno DCLXIII obſeſſus, liberatus à patre in Calabriam irrupit; Græciſque cùm Tarentum eripuit, tum alias urbes. Romualdo Grimoaldus filius ſucceſſit, cui Giſulfus ſuffectus eſt, de quo id memoriæ proditum, captivos, quos in Cam-

III. A Regibus Longobardis pro arbitrio depoſiti.

BENEVENTUM. pania fecerat, pro ſua in Romanam Sedem obſervantia, precibus Joannis Pontificis anno DCCIV gratis reſtituiſſe. Poſt Giſulfum Romualdus Dux Beneventanis datus eſt; poſt Romualdum Giſulfus alter, etiam tum puer, Luitprandi Regis ex ſorore nepos. Quod verò per ætatem tantò impar eſſet oneri, à Rege revocatus eſt, illique ſuffectus Gregorius Luitprandi item nepos; at eo paulò pòſt mortuo, electus eſt à Beneventanis Godeſcalcus anno DCCXXXIX, cujus electionem cùm ratam eſſe vetuiſſet Luitprandus, Giſulfus anno DCCXLII reſtitutus eſt.

IV. Francis regibus ſubditi. Poſt Giſulfi obitum Dux anno DCCLXII creatus eſt à Deſiderio Aragiſus ipſius gener. Ubi Deſiderius ann. DCCLXXIV à Carolo Magno victus eſt, Carolus, ut Ducatum Spoletanum Hildebrando, ut Rodgando Forojulienſem, ita Beneventanum Aragiſo permiſit: iis tamen legibus, ut eadem Franco Regi feudi nomine præſtaret, quæ priùs Longobardo. • At Aragiſus mox officii oblitus, Principem appellari ſe jubet; & ab Epiſcopis more Regum inunctus regia aſſumit inſignia: de quo in Galliam ut allatum eſt, continuò in Italiam Carolus advolat, penetrat in Campaniam, Capuam obſidet. Aragiſus viribus impar Salernum fugit; inde pacem veniamque à Carolo petit. Utrumque Carolus indulſit ea lege, ut Grimaldus ipſius filius & Beneventani cùm ſuo, tum Aragiſi nomine fidei ſacramentum ipſi præſtarent.

V. Deinde Imperatoribus Francis & Germanis. Aragiſo Caroli juſſu ſucceſſit filius Grimoaldus anno DCCLXXXVIII, qui cùm rebus novis ſtuderet, à Pipino Rege anno DCCXCIII repreſſus eſt. Eo aliquantò pòſt occiſo, Sico Ducatum occupat, à quo Capua nova condita. • Hunc excepit filius Sicardus anno DCCCXXXIV: poſt cujus cædem, uti diximus, inter Adelgiſum & Siconulfum civile bellum exarſit. Tandem duas in partes diſtractus fuit à Ludovico Imperatore Principatus: juſſus enim ab eo eſt Adelgiſus • præeſſe Benevento, Siconulfus Salerno & Capuæ. Illius filius Aio à Græcis, quos bello aggreſſus erat, Ducatu ejectus eſt anno DCCCXCI, & Græci ipſi à Vidone anno DCCCXCV. Vidoni ſuffectus Adelgiſus, quo mortuo Athenulfus Capuæ Gaſtaldus anno DCCCXCIX Principatu, ipſiuſque poſteri, ad annos ferme ducentos potitus eſt: Ducatum enim reliquis

Landulfo filio, hic Athenulfo; is Pandulfo & Landulfo fratribus, qui anno DCCCCLXVIII ab Othone Magno, à quo defecerant, perdomiti. Sub hæc Beneventum ab Henrico II anno ML Leoni IX vel datum eſt, vel reſtitutum, uti ſuprà dictum à nobis eſt; tum à Leone IX Rodulfus Benevento præfectus eſt. BENEVENTUM.

A S. Potino (Petri Apoſtoli Diſcipulus erat) Beneventani ad Chriſtianam fidem eruditi ſunt. Epiſcoporum omnium nomina perierunt uſque ad Januarium, qui anno CCCV ſub Diocletiano paſſus eſt: cujus vita omni genere virtutum, martyrium multis effulſit miraculis. Nomina deinde proๆduntur multorum, qui in Sanctorum faſtos adſcripti ſunt, ut S. Dori anno CCCXX; S. Apollinaris anno CCCXXVI; S. Caſſiani anno CCCXL; S. Januarii alterius anno CCCXLIII, qui Sardicenſi Synodo interfuit; S. Thammari, qui à Vandalis multa ob fidem perpeſſus eſt; S. Sophiæ ex Valliæ in Anglia Regum ſtemmate, qui dum ſacris anno CCCCXC operatur, ab Arianis lanceis confoſſus; S. Marciani anno DXXXIII, qui teſte Procopio Beliſarium de Gothis liberavit; S. Zenonis vel Zoſimi anno DXLIII, ſub quo Beneventum à Totila direptum. VI. Sedes à S. Petri Diſcipulo inſtituta. Epiſcoporum nomina.

Nullius tamen ſanctitas, aut clarior, aut prodigiis illuſtrior, quàm S. Barbati, qui & cives ab idolorum cultu deterruit, & Virginis Deiparæ præſentiâ ab urbe fugavit Conſtantem Imperatorem. Illi Vitalianus Papa anno DCLXVIII ultro indulſit, ut ſedes tum Sipontina, tum S. Michaëlis Montis Gargani Beneventanæ ſubeſſent; quod aliquantò pòſt & Marinus anno DCCCCXLIV Joanni Epiſcopo, & Joannes XII anno DCCCCLVII Landulfo ratum eſſe juſſerunt: ex quorum diplomatibus colligere licet, jam inde ab his temporibus Beneventanum Epiſcopum Metropolitani non quidem nomine, ſed juribus uſum eſſe. VII. S. Barbati pietas.

Landulfus Pandulfi Principis filius jam ab anno DCCCCLVII Beneventanus erat Epiſcopus, cùm à Joanne XIII anno DCCCCLXVIII Capua, uti diximus, facta eſt metropolis. Idem Pontifex anno DCCCCLXIX eamdem Benevento dignitatem conceſſit, cùm multas in bulla, tum has potiſſimùm cauſas recenſet, quòd Beneventani cives S. Bartholomæi VIII. Sedes facta metropolis.

BENEVENTUM. corpus ſumma pietate venerentur; quòd ipſe Beneventi perbenignè exceptus ſit; quòd id multis à ſe precibus petierit, qui tum Romæ aderat, Otho Imperator. Subinde pallium Landulfo mittit, quibúſque diebus eo ad ſacrum uti liceat, præſcribit: quæ Beneventanæ ſedis jura à Joanne XIV, & à Gregorio V, & ab aliis deinceps Pontificibus rata habita ſunt, ut ex ipſorum diplomatibus, quæ cuique obvia ſunt, colligere eſt. Id erat Beneventano Metropolitano ſingulare, quòd ipſi fas eſſet, & Euchariſtiæ ſacramentum, cùm luſtraret provinciam, ſecum deferre, & quas ſcriberet epiſtolas, eodem, quo ſolent Romani Pontifices, ritu conſignare. Utrumque uſurpari deinceps vetuit anno MCCCCLXXVI Sixtus IV.

IX. Archiepiſcopi. Infinitus ſim, ſi Archiepiſcopos Beneventanos appellem omnes, qui laude aliqua floruerunt: ſatis ſit illos indicaſſe, qui aliquid præ cæteris habuerunt præcipui. Hi verò ſunt: S. Milo anno MLXXIV ex Arvernia Galliæ oriundus; Roffridus anno MLXXVI ortus ex Beneventanis Principibus; Henricus, qui anno MCLXVI ſub Alexandro III obita ad Græcos legatione nobilis; Gaſpar Columna anno MCCCCXXIX Martini V affinis, qui in Eugenium IV cum Columnenſibus quòd conſpiraſſet, in carcerem conjectus eſt; Nicolaus Picolomineus anno MCCCCLXIV Pii II conſanguineus; Laurentius Cibo anno MCCCCLXXXVI Innocentii VIII ex fratre nepos; Galeottus Franciottus anno MDIV, & Sixtus de Ruvere anno MDVIII, ambo Cardinales; Alexander Farneſius anno MDXIV poſtea Paulus III; Alfonſus Sfortia anno MDXXI; Franciſcus Roboreus nepos Julii II anno MDXXX; Jacobus Sabellus anno MDLXVII, & Pompeius Arigonius anno MDCVII, uterque & purpurâ & morum innocentiâ clarus.

X. Epiſcopi Suffraganei. Beneventano Metropolitæ ſuberant olim Epiſcopi duo & triginta; multoque latiùs, quàm ætate noſtra, illius patuit diœceſis, quæ Samnium, Apuliam, Aprutiumque complexa erat: deinde Epiſcopatus multi alii aliis temporibus abſtracti; & anguſtioribus multò, quàm ſolebat, definita terminis provincia eſt. Urbes aliquot, ut Sipontina, factæ metropoles, aliæ dirutæ; aliis, quia ad Epiſcopi dignitatem ci-

vium non ſatis erat, Epiſcopi creari deſiti. Ita ſenſim ex xxxii Suffraganeis primùm ad viginti-quatuor reducti ſunt, quorum nomina in valvis Baſilicæ Beneventanæ inſcripta ſunt: deinde ad ſexdecim, quorum nomina hîc appingimus; Abellinum, *Avellino*; Allipha, *Aliſe*; Arianum, *Ariano*; Aſculum, *Aſcoli di Latriano*; Boïanum, *Boïano*; Bovinum, *Bovino*; Frequentum, *Fricenti*; Guardia, *Guardia Alferia*; Larinum, *Larino*; Luceria, *Luceria*; Mons Marianus, *Monte Marrano*; S. Agatha, *S. Agatha di Gotti*; S. Severus, *S. Severo*; Termulæ, *Termini*; Trevicum, *Trivico*; Vulturaria, *Vultoraria*, cui adjunctus Corbinus, *Monte Corbino*. BENEVENTUM.

Concilia Beneventi habita ſunt octo, quæ quia levioris momenti ſunt, eò breviùs perſtringimus. Ab Archiepiſcopis Beneventanis duo celebrata ſunt: unum à Milone anno MLXXV; à Landulfo alterum anno MCXIX. In primo Abbatis ſanctæ Sophiæ jura in duas Baſilicas aſſerta; in ſecundo graviſſimis pœnis cautum eſt, ne quis aut quietem violaret publicam, aut quid injuriæ inferret mercatoribus. Sex ibi Synodos coëgerunt Romani Pontifices: Nicolaus II, Victor III, Urbanus II, ſinguli ſingulas; tres Paſchalis II. Nicolai II decreto anno MLIX Joanni Abbati ſancti Vincentii ad Vulturni fontes cella reſtituta eſt; à Victore III anno MLXXXVII, & ab Urbano II anno MXCI Guibertus Antipapa fidelium cœtu prohibitus: præterea à Victore III vetitum, ne quis cum Hugone Lugdunenſi Archiepiſcopo & Richardo Maſſilienſi Abbate communicaret, vel ab homine laïco Abbatiam aliáve bona eccleſiaſtica reciperet. Idem ferè à Paſchali II anno MCVIII, de inveſtitura, ut loquuntur, ſancitum eſt in prima Synodo, qui in altera anno MCXIII Baſilicam ſanctæ Mariæ Caſſinenſi Monaſterio reſtitui juſſit; in tertia anno MCXVII Mauritium Burdinum, à quo Henricus Romæ Imperatoriis ornatus erat inſignibus, anathemate perculit. XI. Concilia.

DISSERTATIO QUARTA.

Barium, Nazareth, Sipontum, Tranium, Brunduſium, Hydruntum, Tarentum, Cuſentia, Roſſanum, Rhegium, Sancta Severina.

CAPUT I.

Barium.

I. Barium quibus gentibus ſervit.

BARIUM, ſive Barrium, ſive Barretum, aliter enim ab aliis dicitur, Apuliæ Peucetiæ civitas nobiliſſima, provinciæ totius jure tum civili, tum eccleſiaſtico metropolis. A Japyge Dædali filio conditam ſcribit Plinius, ab eoque *Japygem* olim dictam; deinde *Barium* à Barione Peucetiorum Duce: ſed hæc incerta ſunt. Barium primùm Romanæ, deinde Græcæ ditionis fuit ad annum DCCCXLI, quo à Siconulfo & Adelgiſo, uti dictum eſt ſuperiùs, evocati ſunt in Italiam Saraceni, qui rei ſuæ, quàm alienæ attentiores Barium occuparunt: unde cæteris urbibus incuſſus terror, Apuliæque & Calabriæ illata vaſtitas; receptum tamen eſt anno DCCCLXIX à Ludovico Imperatore Barium, redditumque Græcis.

II. Græcis à Northmãnis ereptum.

Barium Græcis unà cum Apulia anno DCCCCLXIX ab Othone I iterum ereptum eſt; ſed anno DCCCCLXXIX victo Othone II rediit ad Græcos; tumque Apulia à Catapanis, Præſidis ſive Præfecti cognomen erat, adminiſtrari cœpit anno DCCCCLXXXII; unde Apuliæ Catapanatæ, ſive Capitanatæ nomen deductum. Denique Exauguſtus Cata-

panus anno MXLI à Northmannis devictus captuſque eſt, Apuliaque inter victores diviſa : inde Comites Apuliæ celebrari cœpti ſunt, quorum princeps Guillelmus memoratur, ultimus Robertus Viſcardus illius frater. Is enim à Nicolao II, cui fidei ſacramentum præſtitit anno MLIX Dux Apuliæ & Calabriæ inſtitutus eſt, de cujus poſteris ſuprà egimus. Unum tamen eſt quod hîc non omiſerim, quod narrat in Hiſtoria Barenſi Beatillus : poſtquam nomen regium Rogerius aſſumpſit, is Barenſi civitati delatus honor eſt, ut ſinguli deinceps Reges Barii ſumerent Regni Apuliæ & coronam & inſignia. BARIUM.

III. Quando inſtitutus Epiſcopus.

De primis ſedis Barenſis Epiſcopis nihil habeo certi, quod ſcribam. Sunt qui velint eò veniſſe ſanctum Petrum, ab eoque Chriſtianam fidem in Apulia propagatam. Nullius certè Barenſis Epiſcopi extat memoria ante Gervaſium, qui anno CCCXLVII Synodo Sardicenſi interfuit : Concordius etiam Barenſis multò pòſt ſub Hilaro Papa anno CCCCLXV Romanæ Synodo ſubſcripſit.

IV. Factus Metropolita.

Petrus Barenſis Epiſcopus, ſi credimus Beatillo, anno DXXX ab Epiphanio Patriarcha Græco (Græcis enim tum parebat Apulia) factus eſt Metropolita, ipſique datum eſt, ut duodecim, qui ipſi ſubeſſent, crearet Epiſcopos: Felicem etiam IV conſenſiſſe auguratur; verè, an ſecus, planè neſcio. Quæ ſi vera ſunt, Barenſis metropolis & Capuanâ multò fuit, & Beneventanâ antiquior. Duabus Synodis duo Epiſcopi Barenſes, Leontius & Sebaſtianus, ſubſcripſerunt; ille Nicænæ anno DCCLXXXVII, hic Romanæ anno DCCCXXVI. At unde quis ſuſpicetur illos tum fuiſſe Metropolitas, nihil eſt : pallium quidem Joannes XI anno DCCCCXXXIII Epiſcopo Barenſi indulſit; ſed honor pallii non certum eſt metropolitanæ dignitatis argumentum : Beatilli tamen opinioni, quia nihil occurrit certius, libenter ſubſcripſerim; ita tamen, ut non anno DXXX Barium factum ſit à Græcis metropolis, ſed multò pòſt ſub Photio, vel aliquantò antè.

V. Canuſium Bario adjunctum.

Sub hæc tempora ſedis Barenſis & dignitas & opes ex alterius ruina creverunt. Canuſium (fuit olim celebris ad Aufidum flumen civitas) à Saracenis anno circiter DCCCXL dirutum eſt: dumque cives alii aliò diffugiunt, Angelarius

BARIUM. Canuſinus Epiſcopus à Clero populoque Barenſi in Epiſcopum eligitur, tumque à Romano Pontifice anno DCCCXLV ſancitum eſt, ut utrique ſedi deinceps unus præeſſet, qui & Barenſis & Canuſinus diceretur; quæ duo nomina ab aliis poſtea Epiſcopis uſurpata ſunt.

VI. Archiepiſcopi. Illuſtris fama fuit Urſi & Heliæ Barenſium Archiepiſcoporum, quorum ille corpus ſancti Nicolai à mercatoribus Barenſibus è Lycia delatum ſummo cum honore excepit anno MLXXXVII, hic in Baſilicam ipſi dicatam tranſtulit. Fuit præterea Helias & Urbani II Papæ & Rogerii Ducis amicitiâ nobilis, à quibus impetravit, ut rata eſſent omnia Barenſis ſedis jura. Fuerunt è gente Sanſeverina duo, Rogerius anno MCCCXXXVII Roberto Regi gratiſſimus; Robertus anno MCCCLXXXVII: è Caraffarum Domo totidem, Bartholomæus anno MCCCXLVII, Jacobus anno MCCCLXXXIV. At nullius nomen illuſtrius, quàm Bartholomæi Prignani, qui anno MCCCLXXVIII Romæ in Pontificem Romanum aſcitus eſt, Urbano VI nomen factum: ſub quo ſchiſmâ illud conflatum eſt, non Italiæ modò, ſed orbi Chriſtiano luctuoſum. Urbano in Barenſi ſede ſublectus eſt Landulfus Marramaldus, poſtea Cardinalis: tres deinde perhibentur nobilitate & purpurâ inſignes, Latinus Urſinus anno MCCCCLIV; Jacobus de Puteo anno MDLI; Bonviſus anno MDCII: pòſt tres item nobiles Neapolitani, Decius Caracciolus anno MDCVI, Aſcanius Geſvaldus anno MDCXIII, & Didacus de Villafrancha anno MDCXXXVIII.

VII. Epiſcopi Suffraganei. Barenſi Archiepiſcopo cùm à Græcis primùm, tum à Romanis Pontificibus Suffraganei attributi ſunt duodecim, è quibus poſtea tres detracti, Salpenſis creari deſitus; Cannenſis Nazareno Metropolitæ, Melphitenſis uni Romano Pontifici ſubditus. Cæterorum oppida ſunt hæc: Birettum, *Biretto*; Butuntum, *Bitonto*; Catharum, *Cataro*; Cuperſanum, *Converſano*; Juvenacium, *Giovenazzo*; Savellum, *Saviello*; Minervium, *Minervino*; Poliniacum, *Polignano*; Rubi, *Rivio*.

VIII. Concilia. Anno MXCVII ſub Urbano II adverſus Græcos Barii celebrata eſt Synodus: aderat Urbanus ipſe Pontifex cum Epiſcopis nonaginta-octo: de Spiritu ſancto pluribus diſputatum;

tum; an à Patre ſolo, ut placet Græcis, an etiam à Filio, quod docent Latini, procederet: in quo Anſelmi Cantuarienſis Epiſcopi, qui exul fugerat in Italiam, enituit & modeſtia, & doctrina; ab eo enim victi Græci, niſi è ſententia decederent, ab Urbano anathemate percuſſi ſunt. Hæc ferè Edinerus & Guillelmus Malmeſburienſis. NAZARETH.

CAPUT II.

Nazareth.

I. Nazarenus Archiepiſcopus quando in Italiam tranſlatus.

POSTQUAM de Saracenis Syria Francorum fortitudine recepta eſt, Nazareth, ignobile quondam Galilææ oppidum, ſed à Chriſto Salvatore, qui triginta ferme annis ibi habitaverat, nobilitatum, anno circiter MCXX factum eſt illius provinciæ metropolis: ſed amiſſâ iterum anno MCXC Syriâ, pulſi inde Chriſtiani alii aliò fugerunt, pars in Cyprum, pars in Italiam: quò etiam appulit Nazarenus Archiepiſcopus, cui, ut dignitatem quoquo modo tueretur, datum eſt oppidum Barletta, & Baſilica ſanctæ Mariæ de Nazareth non procul à mœnibus erecta eſt in metropolim, duoque adjuncti Epiſcopatus, Cannenſis anno MCCCCLV, & Montis Viridis anno MDXXXIV. Templum B. Mariæ aliquantò pòſt ſolo æquatum eſt, omniaque jura anno MDLXVI in Baſilicam ſancti Bartholomæi intra oppidum à Pio V tranſlata.

II. Privilegia.

Hoc unum habet Nazarenus Archiepiſcopus præ cæteris ſingulare, quòd ipſi non Baruli modò, ut in ſua cuique diœceſi, ſed per totum etiam Chriſtianum orbem, & pallio uti liceat, & crucem præferre; quod illi conceſſit, primùm Clemens IV, deinde Innocentius VIII, Clemens VII, Pius V. Ex Archiepiſcopis tres appellare ſatis ſit, Joannem Rodericum anno MCCCCXCI, Orlandum de Ruvere anno MDX Julii II affinem, & Maphæum Barberinum anno MDCIV, qui poſtea Summus Pontifex Urbanus VIII.

CAPUT III.

Sipontum.

I. Sipontum everſum & reſtitutum. SIPONTUM, quod à Diomede conditum volunt, à ſepiis piſcibus, quorum vis ingens ibi capi ſolet, nomen traxiſſe dicitur. Eò colonia à Romanis anno Urbis DLXIV deducta eſt. Romanis Græciſque ſerviit ad Caroli Magni tempora: haud multò pòſt occupata à Saracenis, & militari firmata præſidio, viribus & opibus floruit: deinde ſive quòd deflagraſſet ſæpius, ſive quòd Chriſtianorum metu cives dilaberentur, ab iis direpta & incenſa, civeſque ad internecionem cæſi. Diu deinceps jacuit, donec anno MCCLVI ex ipſius rudetibus novum Sipontum, ſive Manfredonia à Manfredo ad Montis Gargani latus juxta mare extructa eſt: eo nomine laudata ab Italis, quòd Hiſpano defenſa milite, Lautrechio Francorum Duci diu multumque reſtiterit.

II. Epiſcopi. Ab Apoſtolorum Diſcipulis, ut fama eſt, Sipontum Chriſtianam fidem ſuſcepit. Quo tempore Epiſcopus ibi inſtitutus ſit, incertum eſt: fuit ſanè, dum à Maximiano in Chriſtianos ſævitum eſt. Quatuor Epiſcoporum nomina novimus: Felicis, qui ſub Hilaro Papa anno CCCCLXV Concilio Romano ſubſcripſit; Felicis alterius, & Vitaliani, ad quos extant Gregorii Magni epiſtolæ lib. 1 ep. 51; lib. 7 ep. 9: ſed maximè Laurentii, quem nobilitas generis, vitæ ſanctitas, & ſancti Michaëlis in Gargano Monte, ut dicitur, *apparitio* poſteris commendavit.

III. Fit metropolis. Anno DCLXVIII à Vitaliano Papa decretum eſt, ut Sipontina ſedes Beneventanæ jungeretur; & utriuſque unus eſſet Epiſcopus: inde Siponti Epiſcopus eligi deſiit; ſed qui Benevento, idem & Siponto præerat. Quare metropolitana dignitas anno DCCCCLXIX Landulfo Beneventano à Joanne XIII conceſſa ad Sipontum etiam pertinuit, cùm & Landulfus & alii deinceps, ut Beneventani, ita & Sipontini Archiepiſcopi dicti ſint. Anno circiter MXXXVI juſſit Benedictus IX, ut ſuus cuique urbi præeſſet Epiſcopus.

Ne verò Sipontum Benevento cederet, Leoni qui Siponti- SIPONTUM.
nis tum datus eſt Epiſcopus, Metropolitani & nomen & jura permiſſa ſunt. Sancti Michaëlis in Gargano Monte oppidum Archiepiſcopo Sipontino contributum erat: ſed civibus viſum eſt ex dignitate Baſilicæ ſancti Michaëlis fore, ſi eadem ſibi, quæ Sipontinis, jura darentur: indulſit quidem Bonifacius IX, juſſuſque Archiepiſcopus dici & Sipontinus & Garganicus. Deinde cùm Sipontini itidem litem moverent Garganicis, cùm à multis Pontificibus, tum ab Innocentio III anno MCCXXV, & à Martino V anno MCCCCXIX ſancitum eſt, ut una ſedes Sipontina eſſet metropolis, ipſique eodem jure, quo cæteri, ſubeſſent Garganici.

Sipontinis Metropolitanis omni genere laudis præſtiterunt IV. Archiepiſcopi.
Matthæus Urſinus anno MCCCXVII, poſtea Cardinalis; Angelus Capranica anno MCCCCXXXVIII purpurâ & doctrinâ clarus; Beſſarion anno MCCCCXLVII toti orbi notiſſimus; & Joannes de Monte anno MDXII, deinde Pontificatum adeptus: Julio III nomen fuit.

Sipontino Metropolitæ quatuor Epiſcopatus à Benedicto V. Epiſcopi Suffraganei.
IX ſubditi: Troja, *Troja*; Melphis, *Melphi*; Monopolis, *Monopoli*; Rapolla, *Rapolla*: quibus à Paſchali II addita Veſta, *Veſte*. Rapolla anno MDXXVIII Melphienſi adjuncta eſt: alii tres Sipontino nihil in ſe juris eſſe contendunt, quòd uni Romano olim parerent Pontifici; ita unus, qui Sipontino ſubſit, ſupereſt Veſtanus.

Habitam Siponti anno ML Synodum à Leone IX conſtat VI. Concilia.
ex Wiberto, ab eoque ſede dejectos ob ſimoniæ crimen duos Archiepiſcopos; prætereà nihil.

CAPUT IV.

Tranium.

TRANIUM urbs maritima ad oſtia Aufidi, olim civium I. Tranium quibus gentibus paruit.
nobilitate & ædificiorum elegantiâ celebris. A Tyrrheno Diomedis filio conditam; à Trajano multò pòſt reſtauratam, ab eoque dictam *Trajanopolim*, teſtatur vetus in-

TRANIUM. ſcriptio: ut cæteræ hujus regionis urbes, paruit primùm Romanis, deinde Græcis. Victo à Northmannis Exaugusto, primùm Ducatûs Apuliæ pars fuit, tum Regni Neapolitani. Poſtquam à Venetis Aragoniis erepta eſt, eò confluxerunt multi tum Judæi, tum Mauri ex Hiſpania profugi. Judæos Ferdinandus Rex aliquantò pòſt expulit: unde & civium multitudo, & urbis ſplendor minui ſenſim cœpit: eo tamen nominis præſtat cæteris tractus illius civitatibus, quòd ſedes ſit regii Senatus, penes quem ſumma in omni provincia poteſtas eſt.

II. Epiſcopi. Vetus ſanè eſt & perantiqua Trani ſedes Epiſcopalis, cùm jam inde à Decii temporibus celebris ſit Tranenſium Epiſcoporum memoria; vel ante Decium Redemptus virtutibus enituit; ſanctus Magnus ſub Decio multa pro Chriſto paſſus eſt. Nec ignobile etiam nomen eſt Suthinii & Leonis, quorum ille Synodo Romanæ anno DCCLXI ſub Paulo I; hic Nicænæ II anno DCCLXXXVII ſubſcripſit. Memorantur multò pòſt Joannes duo, quorum alteri vita & tranſlatio ſancti Lucii Epiſcopi Alexandrini anno circiter M inſcribitur: ad alterum extat Michaëlis Cerularii adverſus Romanæ Eccleſiæ ritus epiſtola. Is ſive quòd Græcis faveret, ſive alia de cauſa, à Nicolao II in Synodo Apuliæ depoſitus eſt, ut ex epiſtola Petri Damiani ad Cardinales intelligere licet. Fuerunt etiam Byzantii duo, ſenior & junior: ille ſanctum Nicolaum Peregrinum hoſpitio excepit anno MXCVIII; hic illius corpus è Baſilica, ubi jacebat, in aliam ipſius honori dicatam, anno MCXLIII tranſtulit.

III. Fit metropolis. Sub hæc tempora Tranenſis ſedes facta eſt metropolis: à quo, non liquet. Ante Innocentii III. ætatem id factum probat ipſius Innocentii epiſtola, quæ ad Bartholomæum Tranenſem Archiepiſcopum inſcribitur. Poſtquam Salapia penitus exciſa eſt, juſſit Martinus V, ut & prædia & jura illius ſedis Tranenſi Archiepiſcopo cederent. Clarum nomen fuit Bartholomæi Brancaccii anno MCCCXXXVIII; Latini Urſini anno MCCCCXXXIX; Joannis de Cupis anno MDXVII: hi duo Cardinales.

IV. Epiſcopi Suffraganei. Duo tantùm Epiſcopatus parent Tranenſi Metropolitæ, Andria, *Andri;* Vigiliæ, *Biſiglio;* illa mediterranea, hæc maritima.

CAPUT V.

Brunduſium.

BRUNDUSIUM urbs Salentinorum maritimâ ad littus maris Adriatici, portu olim, quo ſolvebatur in Græciam, celebris. A Cretenſibus conditam tradit Strabo; ab Ætolis duce Diomede Trogus & Oroſius; à Brento Stephanus, à quo etiam nomen ipſius deductum ſuſpicatur, vel à ſpecie, quam refert, cervini capitis: *Brentum* enim apud Meſſapios idem erat, quod *Cervinum caput.* Brunduſium Romanorum colonia fuit: à Saracenis dirutum eſt: à Lupo Protoſpata Catapano anno circiter DCCCCLXXX inſtaurari cœpit: deinde à Roberto Viſcardo, aliiſque Northmannis Principibus amplificata, & facta multis ornamentis elegantior. I. Brunduſium à quo conditum, & unde dictum.

Memoriæ proditum eſt, Leucium patriâ Alexandrinum Brunduſinos ſub Commodo ad fidem Chriſtianam inſtituiſſe: multa quidem ad memoriam inſignia de Leucio traduntur in ipſius actis; at cùm in ea multi irrepſerint errores, nec congruat temporum ratio, nihil inde certi licet eruere. Illuſtris etiam ſanctitas fuit SS. Aproculi, Pelini & Cyprii; Pelinus S. Baſilii Diſcipulus fuiſſe perhibetur: nomina aliorum deinceps Epiſcoporum perierunt. Anno DCCCCLXXVII Andreas & *Brunduſinus* & *Vritanus* Epiſcopus dicitur: everſa enim à Saracenis urbe Brunduſina, Epiſcopus Uriam (modicum haud procul oppidum eſt) ſe recepit, unde Epiſcopi & *Brunduſini* & *Vritani* dici cœpti ſunt. A Leonis Iſaurici temporibus, ut alii pleriquc Apuliæ & Calabriæ Epiſcopi, ita Brunduſinus Græco Patriarchæ paruit. II. Fit ſedes Epiſcopalis.

Quis è Romanis Pontificibus Brunduſium juſſerit eſſe metropolim, non liquet: id unum affirmare licet, id factum poſt annum Chriſti milleſimum. Euſtachius enim, quod ſciam, primus anno MLX ſe *Brunduſinum* & *Vritanum* inſcribebat Archiepiſcopum: unde quis non temere ſuſpicetur, id Brunduſio datum vel à Gregorio VII, vel ab Urbano II, in III. Fit metropolis.

BRUNDUSIUM. gratiam Goffridi Northmanni Brunduſini Comitis, cujus ſumma fuit & in Deum & in Romanam Sedem pietas. Godinum, qui Euſtachio ſublectus erat, eo nomine arguit Urbanus II, quòd Brunduſinis, qua de cauſa, incertum, ſuboffenſus, nec Brunduſii habitaret, nec *Brunduſinus*, ſed *Uritanus* Archiepiſcopus dici vellet.

IV. Inter Brunduſinos & Uritanos contentio. Inde, niſi falſus ſum, inter Uritanos & Brunduſinos orta contentio eſt, utra ſedes præſtaret alteri: pro Brunduſina à Paſchali II pronuntiatum; nec ceſſarunt tamen Uritani, cùm negarint multò pòſt ſibi eſſe integrum, Franciſcum Aleandrum Brunduſinum Archiepiſcopum admittere, niſi ſe ut Brunduſinum, ita & Uritanum Metropolitam inſcriberet, & ſedis utriuſque eamdem eſſe dignitatem edicto publico teſtaretur: ſed à Paulo III, Brunduſino, ut antè, parere juſſi ſunt. Ut quis tamen his contentionibus modus eſſet, anno MDXCI poſt obitum Bernardini Figueroa Archiepiſcopi, à Gregorio XIV ſancitum eſt, ut utraque civitas ſuum haberet Præſulem, Brunduſium Archiepiſcopum, Utia Epiſcopum, qui tamen non Brunduſino, ne id ægrè eſſet civibus, ſed Tarentino Metropolitano ſubeſſet: inde Uritani Archiepiſcopi appellari deſierunt.

V. Archiepiſcopi. Dominicus Brunduſinus anno MCCIII ſub Innocentio III ſumma cum laude in Hungaria legatione perfunctus eſt; Joannes Petrus Caraffa anno MDXVIII, poſtea creatus Summus Pontifex, Pauli IV nomen ſibi aſcivit; Hieronymus Aleander anno MDXXIV obitis legationibus, eruditionis famâ, Cardinalis dignitate, omnique genere laudis clariſſimus. Unus eſt Brunduſinæ ſedis Suffraganeus Oſtuni Epiſcopus.

CAPUT VI.

Hydruntum.

I. Hydruntini à Turcis ob fidem trucidati. ANTIQUA quidem eſt, ſed parva Salentinorum civitas ad mare Adriaticum ſaxoſæ rupi impoſita: nunc regionis illius, cui nomen dedit, caput eſt. Aliter ab aliis

appellatur: à Strabone *Hydruntum*; *Hydrus* à Mela; *Hydruntium* à Plinio; *Hydra* à Ptolomæo; *Hydruns* à Procopio & Appiano. Anno MCCCCLXXXI de nocte à Turcis Achomato duce capta eſt, & direpta: mulieres & pueri abducti in ſervitutem: viri, quod ad urbis illius decus nihil poteſt eſſe illuſtrius, ad unum omnes pro Chriſtiana fide trucidati. Recepta eſt aliquantò pòſt de Turcis ab Alfonſo Rege, paulatimque inſtaurari, & novis, qui è diverſis locis eò commigrarunt, civibus frequentari cœpta eſt. Ne quid verò damni deinceps timeret à Turcis, arx extructa eſt, & arte & natura loci munitiſſima. HY-DRUN-TUM.

Quod ſcribam de Hydruntina ſede, vix quicquam eſt: hujus enim ſedis monimenta flammis abſumpta ſunt à Turcis. A S. Petri Diſcipulis Hydrunti, & traditam Chriſtianam legem, & Epiſcopum inſtitutum perhibent. In Vita S. Paulini mentio eſt Benedicti, qui anno CCCCXXXI Paulinum inviſit jam morti vicinum. Gregorius Magnus Petri, Sabini, Petri item alterius meminit. Nota etiam nomina ſunt Andreæ & Joannis, quorum ille in Romana Synodo anno DCXLIX ſub Martino I, hic in Conſtantinopolitana anno DCLXXX ſub Agathone adfuit. II. Epiſcopi.

Nec certiora ſunt Archiepiſcopatus Hydruntini, quàm Epiſcopatus primordia. Hæc civitas bis facta eſt metropolis, ſemel à Græco Patriarcha, iterum à Romano Pontifice; ab utroque quando id conceſſum ſit, ambigitur. An à Polieucto Patriarcha, ut autor eſt Paulus Diaconus? An ſub Leone Iſaurico, quod verius putem? In Leonis ſanè Diatypoſi Hydruntinus inter Archiepiſcopos recenſetur. Pulſis aliquantò pòſt ex Italia Græcis, in ea, quæ ab Alexandro II Salerni anno MLXVIII habita eſt, Synodo, Hugonis ſubſcriptiò eſt hujuſmodi: *Ego Hugo Hydruntinus Archiepiſcopus*; quod nec ſumpſiſſet ipſe ſibi, nec probaſſet Alexander, niſi eam dignitatem Romani Præſules jam tum Hydruntinæ ſedi aut indulſiſſent, aut datam à Græcis ratam habuiſſent; alii deinceps Archiepiſcopi inſcribuntur. III. Fit metropolis.

De quibus præſtiterunt Antonius de Capua anno MDXXXVI, vir ſummâ doctrinâ, quæ eluxit in Tridentina Synodo; Marcellus Aquaviva anno MDLXXXVI, multis pro Sede Ro- IV. Archiepiſcopi.

TARENTUM. mana legationibus clarus; & Didacus Lopez de Andrade anno MDCXXIII editis libris notiſſimus.

V. Epiſcopi Suffraganei. Hydruntino Archiepiſcopo quinque Epiſcopatus contributi ſunt; Aletium, *Lecci*; Alexanum, *Aleſſano*; Caſtrum, *Caſtro*; Gallipolis, *Gallipoli*; Uxentum, *Ugento*.

CAPUT VII.

Tarentum.

I. Tarenti antiquus ſplendor. TARENTUM, nobilis quondam magnæ Græciæ civitas, in exigua Cherſoneſo ad Taræ fluminis oſtia viſitur: portu olim & literarum ſtudiis clara inprimis. Conditum à Lacedemoniis ſcribit Florus; Solinus ab Heraclidis; à Tarante Neptuni filio Servius: nomen verò vel ab ipſo Tarante deductum eſt, vel à flumine, quo alluitur, Tarento; vel à Sabina voce Tarentum, quæ idem ſonat, quod molle: nuces enim inglandes præ cæteris molles juxta Tarentum naſcuntur. Otio Tarentini cùm diffluerent, florerentque opibus, Romanorum in ſe conſciverunt arma, Pyrrhumque viribus impares evocarunt è Græcia, quo bello omnis arſit Italia: ejectus tandem ex Italia Pyrrhus, victique Tarentini. Bello Punico ſecundo Tarentum captum eſt ab Annibale; ſed à Fabio Maximo paulò pòſt receptum. Ab his ferè temporibus inglorium nomen Tarenti fuit, nihilque præ cæteris urbibus habuit præcipui.

II. Epiſcopi. Sunt etiam incerta & obſcura ſedis illius initia. Ferunt B. Petrum, dum Romam peteret, facto naufragio Hydruntum appuliſſe, indeque Tarentum divertiſſe: tum multi, ut perhibent, abdicato idolorum cultu, Chriſtianam fidem ſuſceperunt, quibus Amaſianus datus eſt Epiſcopus. Non multò pòſt à Chriſtiana pietate deſciverunt Tarentini, donec Cataldus gente Hibernus, qui tum agebat Hieroſolymis, divinitus admonitus, Tarentum anno CLXVI ſub Aniceto venit, civeſque ad veram religionem revocat, & diu huic ſedi præfuit. Nullius deinde Epiſcopi Tarentini nomen reperire licet ante Gregorii Magni tempora, cujus

ſunt

ſunt epiſtolæ ad Andream & Honorium Tarentinos. Subinde tres tribus Synodis ſubſcripſerunt, Joannes Romanæ ſub Martino I anno DCXLIII; Germanus Conſtantinopolitanæ anno DCLXXX ſub Agathone; Cæſarius ſub Zacharia anno DCCXLIII Romanæ. TARENTUM.

In Alexandri II bulla, quâ Baſilicam Caſſinenſem à ſe conſecratam teſtatur, Dragonius Tarentinus anno MLXXI ſe inſcribit *Archiepiſcopum*: unde par eſt credere paulò poſt Capuam anno MLXX Tarentum factam metropolim. III. Fit metropolis.

Hi præcipuè memorantur, vel nobilitate, vel virtutibus, vel aliis dotibus inſignes: Stephanus Philamarinus, anno MCII; Philippus ille, qui cùm Anacleto adhæſiſſet, anno MCXXXIX in Synodo Romana ab Innocentio II depoſitus eſt, & ſub S. Bernardo Monachum profeſſus mira vitæ ſanctitate effulſit; Marinus de Judice, qui ab Urbano VI inter Cardinales aſcitus anno MCCCLXXXIII reus læſæ majeſtatis in carcerem detruſus eſt, & Urbani juſſu cum aliis quinque necatus; Alemannus Ademarius anno MCCCCI multas legationes pro Joanne XXIII obiit: tres ex Urſinorum gente, Marinus anno MCCCCXLV; Latinus anno MCCCCLXXII; Baptiſta anno MCCCCXCI; hi duo Cardinales: è Columnenſium Domo, duo, Petrus Franciſcus anno MDXLIV, & Marcus Antonius anno MDLX, hic Cardinalis, ille non item. Præterea è diverſis familiis multi purpurâ & genere nobiles; Raynaldus Brancaccius anno MCCCCXII; Joannes Aragonius Ferdinandi Regis filius an. MCCCCLXXVIII; Antonius Sanſeverinus anno MDXXVIII; Hieronymus Auſtriacus de Correggio anno MDLXIX; Lælius Brancaccius anno MDLXXIV; Bonifacius Caïetanus anno MDCXIII. IV. Archiepiſcopi.

Tarentinus Metropolita duobus tantùm præeſt Epiſcopis, quorum hæc ſunt oppida, Caſtellaneta & Motula. V. Epiſcopi Suffraganei.

CUSENTIA.

CAPUT VIII.

Cuſentia.

I. Cuſentia incenſa & reſtituta.

CUSENTIA olim Brutiorum, nunc Calabriæ citerioris caput, hinc Crathi, inde Buſento fluviis alluitur; civibus frequens, & affluens opibus. Alii ab Auſoniis, à Lucanis alii conditam volunt. Ab Annibale capta, intra annum ad Romanos rediit; Alarici Regis morte, qui in Buſenti alveo ſepultus eſt, & Othonis II Imperatoris à Græcis clade nobilitata. A Saracenis anno MCCCCLXXV direpta eſt & incenſa: deinde quòd agri undequaque ſint maximè feraces, à populis ſenſim inſtaurata eſt.

II. Epiſcopi.

Stephanum Rheginum, qui Apoſtolorum Diſcipulus dicitur, à B. Paulo fidei Chriſtianæ prædicandæ causâ Cuſentiam miſſum, primum ſedis illius Epiſcopum fuiſſe perhibent. Quo id probetur, nihil eſt præter traditionem,& autoritatem Innocentii III, qui Cuſentinam ſedem perantiquam eſſe ſcripſit. Ante Gregorii Magni tempora Cuſentinorum Epiſcoporum nullibi mentio fit. Extat ipſius Epiſtola 4 l. 7. ad Palumbum Cuſentinum Epiſcopum: deinde Julianus ſextæ Synodo generali anno DCLXXX interfuit; Roffredus Romanæ anno DCCXLIII ſub Zacharia. Epiſcopi Cuſentini paruerunt aliquandiu Salernitano Metropolitæ, ut conſtat ex bullis & Joannis XV anno DCCCCXLIV, & Sergii IV anno MXII.

III. Facta metropolis.

Quo potiſſimùm tempore Cuſentia facta ſit metropolis, affirmare non auſim. Id unum liquet, Petrum Cuſentinum Archiepiſcopum ſub Leone IX anno MLVI obiiſſe: num verò ille primus fuerit, an ſecus; illam dignitatem Cuſentiæ Gregorius IX, an Leo IX indulſerit, dubium eſt.

IV. Archiepiſcopi.

Celebris memoria eſt Ruffi anno MCLXX, qui Baſilicæ ruinæ obrutus periit; Lucæ anno MCCIII, cujus ſanctitas & induſtria cùm multis legationibus ſub Innocentio III, tum in concionibus de bello Saracenis inferendo enituit; Thomæ de Leontino è Dominicano Ordine anno MCCLXVIII,

qui & Patriarcha Hieroſolymitanus fuit, & Gregorii X in Syria Legatus; & Martini Poloni anno MCCLXXXV, qui brevem Hiſtoriam ab orbe condito ad ſua uſque tempora edidit: eruditis tamen eo nomine minùs probatur, quòd ſcriptis aliquas interdum fabulas aſperſerit. Varia Nicolai Brancaccii fortuna fuit: is anno MCCCLXXVII Archiepiſcopus Cuſentinus; paulò pòſt, quòd Clementi VII adhæſiſſet, ab Urbano VI depoſitus eſt, à Clemente continuò in Cardinalium album allectus, & tandem poſt Piſanam Synodum ab Alexandro V receptus. Quatuor è gente Caracciola, Nicolaus anno MCCCLXIII; Tirellus anno MCCCLXXXVIII; Berardus anno MCCCCXXIV; Pyrrhus anno MCCCCLII. E Gaddis (gens eſt Florentina) Nicolaus anno MDXXVIII, & Taddæus anno MDXXXV, ambo Cardinales; & Franciſcus Gonzaga anno MDLXI; Flavius Urſinus anno MDLXIX; Evangeliſta Palæottus anno MDLXXXVII. CUSENTIA.

Provincia Cuſentina multos in Calabria citeriori Epiſcopos complectitur; ſed omnes ferè Romano parent Pontifici: unus eſt Martoranenſis, *Martorano*, qui ſubſit Cuſentino. V. Epiſcopi Suffraganei.

CAPUT IX.

Roſſanum.

ROSSANUM, quod veteribus *Roſcianum* & *Ruſcianum* dicitur, rupi impoſitum eſt, Tarentum verſus. Conditum à Romanis tradit Procopius; alii à Sybariranis; à Rhodiis alii. I. Roſſanum à quo conditum.

Roſſani nulla fuit olim ſedes Epiſcopalis, ſed Thurii; urbe verò Thuriorum everſa, Roſſanum tranſlata eſt, jam inde à mille plus minùs annis: cujus rei teſtis eſt Valerianus Roſſanenſis, qui anno DCLXXX ſub Agathone ſextæ Synodo generali ſubſcripſit. II. Inſtitutus illi Epiſcopus.

Obſcura itidem ſunt Archiepiſcopatus Roſſanenſis primordia; antiquus tamen eſt, & Cuſentino ſuppar. Qui enim anno MCLXXXVII Roſſanenſi ſedi præerat Coſmas, bis appellatur *Archiepiſcopus*, ſemel anno MCXCIII in Tan- III. Fit metropolis.

ROSSANUM. credi Regis diplomate; iterum in literis Conſtantiæ Imperatricis, quibus ſedis illius privilegia rata eſſe jubet. Nec ab iis diſſentit Innocentius III, qui ad Paſchalem Roſſanenſem Archiepiſcopum ſcripſiſſe dicitur.

IV. Archiepiſcopi. Inter Roſſanenſes Archiepiſcopos celebre nomen eſt Bernardini *de Carvajal*, qui cùm à Julio II defeciſſet, Piſano Conciliabulo interfuit: quare à Julio II exutus purpurâ, anno tamen MDXI à Leone X reſtitutus, ſacri Collegii Decanus obiit. Clarus etiam fuit Vincentius Pampinella MDXXVI, qui à Clemente VII Legatus in Germaniam contra Lutheranos. E Columnis duo, Pompeius Cardinalis anno MDXXV, & Franciſcus anno MDXLIV. E Vetallis totidem, Hieronymus anno MDXLIV, & Paulus Æmilius anno MDLI, uterque Juris ſcientiâ, & purpurâ nobilis. Utraque laude illis par Joannes Caſtaneus anno MDLIII, poſtea Summus Pontifex, Urbani VII nomine: pòſt Silvius Sabellus anno MDLXXXIII, & Lucius Sanſeverinus anno MDXCII, uterque Cardinalis; ille præterea Patriarcha Conſtantinopolitanus. Denique nobiles Neapolitani, Hieronymus Pignatellus anno MDCXV; Paulus Taurellus anno MDCXXVI; Petrus Spinellus anno MDCXLV; Jacobus Caraffa anno MDCXLVI.

V. Epiſcopi Suffraganei. Multi quidem in Roſſanenſi provincia Epiſcopi, ſed in eos Roſſanenſis nihil juris habet: omnes parent Romano Pontifici præter Cariatenſem, cujus ſedes Geruntinæ à Gregorio XIII adjuncta eſt. Cùm verò Geruntina S. Severinæ Archiepiſcopo ſubdita ſit, Roſſanenſis, cui præſit, habet neminem.

CAPUT X.

Rhegium.

Rhegii hiſtoria. RHEGIUM urbs aliàs Brutiorum, nunc Calabriæ ulterioris caput, ad oram maris Siculi contra Meſſanam. De illius & origine & nomine intèr Scriptores non convenit: ſunt qui ex Joſepho à Noëmi nepote conditam velint;

à Chalcidenſibus Strabo & Solinus; ab aliis alii. Multi nomen deducunt à voce Græca ῥήγνυμι, *frango*, quaſi illa Italiæ pars à Sicilia inſolito maris æſtu avulſa ſit. Nonnulli Rhegium dictum ſuſpicantur, quaſi Regiam, quòd & Græcis olim literis floreret, & opibus, & alia in oppida coloniæ inde miſſæ ſint. Pyrrhum & Tarentinos adverſus Romanos auxiliis juvit. Ubi verò in Romanorum ditionem venit, tanta in eos fide fuit, cùm ſæpe aliàs, tum maximè bello Punico adverſus Annibalem, ut civitate, ſi Feſto credimus, meritorum ergò donata ſit. Terræ motu magna pars urbis paulò ante bellum Marſicum corruit: Cæſar Octavius fugato è Sicilia Sexto Pompeio, à militibus, quos dimiſerat, & inſtaurari & habitari juſſit; indeque *Rhegium Iulium* dici cœpit. A Saracenorum crudelitate & rapinis hanc urbem Euſebii Epiſcopi ſanctitas olim vindicavit; ſed ſuperiori ætate à Turcis direpta eſt quinquies, omniaque ferè ſedis illius monimenta combuſta ſunt: in priſtinum tamen ſplendorem quoquomodo reſtituta erat, cùm anno MDXCIV à Turcis iterum capta eſt. In templa, domos, ſacram ſupellectilem ita ferro flammiſque ſævitum eſt, ut tanto vulneri necdum mederi licuerit. RHEGIUM.

II. A D. Paulo ibi creatur Epiſcopus. Epiſcopi.

Gloriari ſolet civitas Rhegienſis D. Paulum, dum Romam peteret, Rhegium veniſſe, ab eoque multos ad Chriſtianam religionem eruditos, quibus Stephanum è Nicæa Bithyniæ Græcum hominem præfecit Epiſcopum, cujus & ſtudio & ſanguine, mortem enim pro Chriſto oppetiit anno LXXVI, multò uberior extitit Chriſtianorum ſeges. Marcus ille, qui in Synodo Nicæna Calabriæ Epiſcopus inſcribitur, Rhegienſis fuiſſe à multis dicitur. Inſignis fuit & Siſſinnii & Cyrilli pietas, qui in Sanctorum faſtos adſcripti ſunt. Extat Gregorii Magni ad Bonifacium Rhegienſem epiſtola. Singularis fuit & Joannis aliquantò pòſt in rebus agendis prudentia, & Euſebii ſanctitas, quorum ille miſſus in Græciam adverſus Monothelitas anno DCLXXX ſextæ Synodo ſubſcripſit; hic anno DCCCCXII precibus & jejuniis Saracenorum furorem à Rhegienſibus prohibuit. L. 2 Ep. 43.

III. Non facta eſt metropolis quinto ſæculo.

Synodum ab Hilario Rhegienſi cum tredecim Epiſcopis anno CCCCXXIV habitam quidam ſcripſerunt: unde Rhe-

RHEGIUM. gium jam inde ab his temporibus totius Calabriæ fuiſſe metropolim augurantur. Quod cùm nullo idoneo Autore probari queat; annon mihi tam licet illud inficiari, quàm illis affirmare lubet? At habuerit Synodum Hilarius Rhegienſis, an continuò fuit Metropolita, quid vetat, quod aliàs ſæpe factitatum legimus, juſſu Romani Pontificis vocatos ab eo ad Synodum Epiſcopos? Si enim vocanda tum erat in Calabria Synodus, cui potiùs vices ſuas daret Romanus Pontifex, quàm Hilario Rhegienſi, cujus civitas Calabriæ totiùs erat metropolis, non eccleſiaſtica quidem, ſed civilis? Idque eò mihi ſimilius verò fit, quòd apud Gregorium Magnum, ſive de Rhegienſi Epiſcopo, ſive ad Rhegienſem Epiſcopum ſcribat, nullum extet dignitatis illius veſtigium.

IV. Sed undecimo. Illorum ego ſententiæ ſubſcripſerim libentiùs, qui docent eam dignitatem non à Romano, ſed à Græco Patriarcha profluxiſſe. Ut enim Neapolitanus, ut Hydruntinus, ut alii à Græcis, dum illa Italiæ parte potirentur; ita etiam Rhegienſis *Archiepiſcopi* & appellationem & jura adeptus eſt: quod à Leonis Iſaurici temporibus cœptum, diu poſtea propagatum eſt. Poſtquam verò Græci à Northmannis ex Italia ejecti ſunt, Romani Pontifices ſingulis ferè iis ſedibus, ne quid è ſua majeſtate detractum quererentur, eam dignitatem ultro indulſerunt: quod, ut de aliis nonnullis, ita maximè de Rhegienſi non temerè dixerim. Nullibi enim Rhegienſem Archiepiſcopum legere eſt ante annum MLXXXVI, quo in donatione à Rogerio Calabriæ Duce facta Panormitanæ ſedi ſubſcripſit *Archiepiſcopus Rhegienſis*; ſed illius nomen excidit: *Ego N. Rhegienſis Archiepiſcopus huic donationi interfui.* Omnes deinceps *Archiepiſcopi* dicti ſunt.

V. Archiepiſcopi. Inter Rhegienſes Metropolitanos vel prudentiæ, vel pietatis vel doctrinæ famâ floruerunt, Rangerius anno MXC ab Urbano II inter Cardinales allectus; Thomas, cujus mentio eſt in Lateranenſi Synodo ſub Alexandro III; Lando, qui & Gregorio IX & Friderico II cùm carus eſſet, alterum alteri conciliare ſæpe, ſed fruſtra, ſtuduit; Petrus Philamarinus anno MCCCCIV; Gaſpar Columna anno MCCCCXXVI; Petrus Iſuales ex Meſſanæ Gubernatore Archiepiſcopus &

Cardinalis anno MCCCCXCVII; Robertus Urſinus anno MDXII. E Trivultiis fratres duo, Auguſtinus Cardinalis anno MDXX, & Petrus MDXXI. Auguſtinus Gonzaga anno MDXXXVII; Gaſpar à Foſſo, è Minimorum Ordine, cujus ſumma doctrina in Synodo Tridentina enituit. SANCTA-SEVERINA.

VI. Epiſcopi Suffraganei.

Novem omnino Epiſcopi Rhegienſi Metropolitano contributi ſunt, quorum hæc ſunt oppida: Bona, *Bona*; Catacium, *Cantazaro*; Croton, *Crotona*; Hieracium, *Gieraci*; Neocaſtrum, *Nicaſtro*; Nicotera, *Nicotera*; Oppidum, *Oppido*; Scyllacium, *Squillaci*; Tropæa, *Tropea*. Caſſanenſis Epiſcopus, *Caſſano*, à Metropolitæ juriſdictione cùm immunem ſe prætexeret, Rhegienſi parere anno MDLXVI à Pio V juſſus eſt; ita tamen ut à Cuſentino, non à Rhegienſi evocetur ad Synodum: Melitenſis verò Epiſcopus Synodorum tantùm causâ ſubeſt Rhegienſi.

CAPUT XI.

Sancta-Severina.

I. S. Severinâ antiqua Epiſcopi ſedes.

SYBERONA, nunc Sancta-Severina, non recens, ut vulgò creditum eſt, ſed perantiqua, ut teſtatur Stephanus, civitas eſt, ab OEnotriis, ut fama eſt, in loco prærupto & ſaxeo condita. A Dionyſio Areopagita, ſi tamen in Italiam unquam venit, fidem ſe Chriſtianam ſuſcepiſſe Rhegienſes prædicant. Ut civitas, ita etiam Epiſcopalis ſedes antiqua eſt, quæ Græco Patriarchæ, ut alii hujus regionis Epiſcopatus, diù paruit.

II. Fit metropolis.

Sanſeverini Archiepiſcopatus initia, ut aliorum, obſcura ſunt; quod ſcribam, hoc tantùm habeo. Anno MXCVI Stephanus Sanctæ-Severinæ à Rogerio Duce dicitur Epiſcopus. Qui illum excepit Conſtantinus anno MCXV, ab eodem Rogerio appellatur *Metropolitanus*: unde quis fortè conjiciat Sanctæ-Severinæ civitatem à Romano Pontifice Rogerii Ducis precibus factam metropolim. Cæteri enim deinceps Sanctæ-Severinæ Præſules *Archiepiſcopi* ubique inſcribuntur, quos inter clarum nomen eſt Joannis Salviati

SANCTA-SEVERINA. III. Epiſcopi Suffraganei.

anno MDXXXI, & Antonii Sanctorii anno MDXXXII: uterque Cardinalis fuit.

Hæc provincia latè per Calabriam patet: undecim olim, ut habet provinciæ Indiculus, Epiſcopatus complexa; ſed alii alia de cauſa abſtracti ſunt. Sitamenſis & Florentinenſis nullibi, niſi hoc in Indiculo, mentio eſt; Melitenſis & Sancti Marci immunes. Sancti Leonis anno MDLXXI à Pio V abolitus, jura omnia in metropolim tranſlata, Cariatenſis Geruntinenſi adjunctus. Ita quinque tantummodo numerantur, Bellicaſtrum, *Belcaſtro*; Cariatum, *Cariati*; Strongylo, *Strongoli*; Umbriaticum, *Umbriatico*; & Inſula.

DISSERTATIO QUINTA.

Sicilia.

OMNIUM Mediterranei maris inſularum primaria & longè maxima eſt Sicilia. Mari Tyrrheno ad Boream, ad ortum Siculo, & Libyco ad meridiem alluitur; anguſto ab Italia freto disjuncta. Varia olim ſortita eſt nomina: primùm *Sicania* à Sicanis dicta eſt; deinde à Siculo, ut ferunt, Neptuni filio, vel potiùs à Siculis, qui ex Italia illuc demigrarunt, *Sicilia*: à tribus etiam quibus terminatur, promontoriis, *Trinacria*, *Triangula*, *Triquetra:* Pelorus verſus Italiam eſt, Pachynus contra Græciam, verſus Africam Lilybæus.

CAPUT I.

Reges Siciliæ

I. Sicilia in varios Principatus diſtracti; Romanis tandē paruit.

SICILIA graviſſimis olim eſt perfuncta bellis; in multas primùm diſtracta eſt civitates ſive provincias: dumque civili bello omnis arderet inſula, Athenienſes evocati ab aliis, ab aliis Spartani, iiſque vel deletis vel fugatis, Carthaginenſes. Bella externa domeſticum bellum excepit: in multis urbibus ſive Tyranni, ſive Reguli fuerunt, quorum tandem ambitio Siciliæ exitio fuit. A Mamertinis aliquantò pòſt acciti Romani, ab Hierone Carthaginenſes, à quibus de imperio, vario præliorum exitu diu certatum eſt: victi Carthaginenſes omni Sicilia excedere juſſi, ipſaque Sicilia bello Punico ſecundo captis à Marcello Syracuſis, Romanis ceſſit victoribus: quæ, qua ratione, quibúſve Ducibus geſta ſint, pluribus perſequi non eſt noſtri aut otii, aut inſtituti.

II. A Gothis & Saracenis occupata.

Dum Romanum ſtetit Imperium, res Sicula floruit: ubi verò infinita propè Barbarorum multitudo è Septentrione erupit, Hunni, Vandali, Gothi, Suevi, Heruli, &c. aliæ ab aliis occupatæ provinciæ; Sicilia anno CCCCXXXIX à Vandalis vaſtata, à quibus jam & ſubacta Africa erat, & Roma direpta, deinde Gothis ſervire coacta eſt: donec anno DXXXV Beliſarii virtute recepta Græcis paruit. Anno DCLXIX à Saracenis, ut tradunt Anaſtaſius & Paulus Diaconus lib. 5 c. 3 iterum devaſtata eſt. Sub hæc Euphemii Ducis perfidiâ anno DCCCXXVII Saraceni Siciliam invadunt. Is Michaëlis Balbi Imperatoris juſſu quæſitus ad Pœnos fugit in Africam, à Saracenis & nomen Imperatoris obtinet, & validam militum manum: redit in Siciliam, ubi Saraceni illo Duce multas urbes occupant, donec ipſe graves admiſſi ſceleris pœnas dedit: dum enim tentat Syracuſas, à duobus Siculis capite truncatus eſt.

III. Recepta à Northmannis:

Jam ducentis & ampliùs annis à Saracenis regnatum erat in Sicilia, cùm Robertus Viſcardus & Rogerius illius frater, ex Italia, unde Græcos ejecerant, anno MLIX in Si-

REGES SICILIÆ. ciliam tranſmittunt. Eos ſequebatur invicta Northmannorum manus: ſæpe juſtis præliis pugnatum eſt; victi ubique Saraceni: urbes multæ, quà deditione, quà vi receptæ. Panormus jam tum Inſulæ caput poſt longam obſidionem annò MLXXII expugnata eſt, ejectique è Sicilia Barbari; tum Robertus Dux Siciliæ ſalutatus Panormum cum ipſius ditione ſibi retinuit; reliquam verò Inſulam Comitatûs nomine permiſit Rogerio fratri. Jam enim in Melphienſi Concilio à Nicolao II cautum fuerat, ut Sicilia Roberto Ducatûs titulo cederet: hæc tamen addita conditio eſt, ut Romano Pontifici ſolemne fidei ſacramentum præſtaret, & per ſingula boum juga duodecim denarios quotannis ſolveret. Ita ferè Leo Oſtienſis lib. 3 cap. 15. Hujuſmodi vectigal à Viſcardo anno MLXXX ſolutum Gregorio VII, Gregorius ipſe teſtatur lib. 8 ep. 1.

IV. Northmanni Reges. Robertum excepit Rogerius filius: nam Boamundus natu major omni ſua ditione ultro ceſſit, & cum Gottefrido Lotharingo anno MXCVI abiit in Syriam, ubi ſua & fortitudine & induſtria Principatum Antiochenum adeptus eſt. Rogerio Willelmus filius ſucceſſit, quo mortuo anno MCXXVII Rogerius Rogerii Siciliæ Comitis filius Calabriam, Apuliam Salernumque occupat, & ab Honorio Papa Ducis titulum obtinet: denique cum inceſſit regiæ dignitatis cupido, & Panormi regia aſſumpſit inſignia. Secundùm hæc inter Innocentium II & Anacletum ſchiſma oritur; Rogerius dubius utri adhæreret, explorat per Legatos, uter ipſi Regis appellationem concederet. Daturum ſe negat Innocentius; Anacletus ultro pollicetur: quare ipſius partes fovit Rogerius. Hæc Pyrrhus ex codice MS. & perantiquo & probatæ manus. Paulò pòſt Anacletus moritur. Innocentius Rogerio bellum indicit; ſed ab eo captus, & magnificè cultus, illum Apuliæ & Calabriæ Ducem Regemque Siciliæ appellat. Ita Rogerius Romanæ Sedis beneficiarius ex hoſte factus eſt.

V. Aragonii Siciliam invadunt. A Rogerio ad Carolum Andegavenſem penes eoſdem cùm Neapoli, tum in Sicilia imperium fuit: quare de his plura hoc loco attexere nihil opus eſt. Qui ſingulorum Regum & gentem & nomen avet cognoſcere, quæ à nobis di-

ᴄta ſunt ſuperiùs, conſulat: id admonere in præſentia ſatis fuerit. Poſtquam Paſchatis die Franci à Siculis nullo ſive ſexus, ſive ætatis diſcrimine necati ſunt, Petrus Aragoniæ Rex, cui Conſtantia Manfredi filia nupſerat, advolat in Siciliam, & Panormi magno totius Inſulæ concurſu Rex appellatur: inde duo & Reges & Regna pro uno extiterunt, Siculum & Neapolitanum; Siculi tamen jus omne penes Francos ſemper fuit: at penes Aragonios ſumma poteſtas. REGES SICILIÆ.

Petrus tres filios è Conſtantia ſuſceperat: Alfonſo Aragonia, Jacobo Sicilia obtigit; ſed mortuo paulò pòſt Alfonſo, Jacobus utrumque Regnum obtinet. Is Carolum Andegavenſem Caroli Andegavenſis filium, quem Lauria navali prælio ceperat, Conſtantiæ matris precibus anno MCCLXXXVIII liberum dimittit: ea tamen lege, ut Aragoniis Regibus Regni Siculi jus à Romano Pontifice impetraret. At Nicolaus IV ratum id eſſe vetuit: unde nova belli gerendi cauſa. Hæc tamen anno MCCXCIX inita eſt à Bonifacio VIII pacis conciliandæ ratio, ut ipſe Pontifex Sardiniâ Aragonio, Aragonius Siciliâ Carolo cederet: quod à Jacobo quidem præſtitum eſt; ſed Fridericus illius frater continuò in Siciliam cum claſſe contendit; & ſummis incolarum ſtudiis exceptus, Rex Siciliæ ſalutatur. Hinc de integro bellum exarſit. VI. Fridericus Aragonius Rex ſalutatur.

Modò adverſa, modò ſecunda Friderico belli fortuna fuit: cumque neutra pars cederet alteri, Eleonora Caroli Claudi filia data eſt in matrimonium Friderico, cui Sicilia, quoad viveret, permiſſa eſt anno MCCCII, illique datum, ut Rex Trinacriæ diceretur, quæ illo mortuo ad Caroli hæredes eodem, quo priùs, jure pertineret. Aliquantò pòſt Fridericus, quòd nonnullæ pacis conditiones ab eo neglectæ eſſent, à Joanne XXII unà cum Siculis anathemate percellitur, qui anno MCCCXXXVI moriens Regnum legat Petro filiorum natu maximo. Is tres habuit filios, Ludovicum, Joannem & Fridericum. Petro Ludovicus anno MCCCXLII Ludovico Fridericus frater anno MCCCLV ſucceſſit: jam enim Joannes obierat. VII. Moriens Petro filio Regnum legat.

Ludovicus etiam tum ferè puer bellis & civilibus & externis feſſus, Legatos ad Pontificem miſit, ut Siciliam ana- VIII. Sicilia Ludovico & Friderico Aragoniis permiſſa.

REGES SICILIÆ. thematis vinculo ſolveret anno MCCCXLVII; omnes Siculi piorum cœtui reſtituti: Sicilia Ludovico conceſſa; ſed tributi nomine tria unciarum millia imperata. Sub hæc Ludovicus moritur, illique ſufficitur Fridericus frater, ſub quo bellum & in Sicilia & in Calabria recruduit, dum ex antiquo jure Siciliam armis repetit Joanna Neapolitana. Inter eos tandem Gregorii XI autoritate pax iis legibus ſancita eſt, ut Fridericus *Rex Trinacriæ*, Joanna *Siciliæ Regina* diceretur; Joannæ tributum quotannis penderet Fridericus, cui integrum eſſet Mariam filiam teſtamento regni hæredem ſcribere.

IX. Cæteri Aragonii Reges. Mortuo igitur Friderico Maria hæres, quæ jam Joanni Galeacio deſponſata erat; ne quid novi tumultus ab Aragonia naſceretur, Martino Petri Aragonii ex Martino filio nepoti nupſit anno MCCCXCI; Petrus enim Aragonius, ſive ob pactum inter Fridericum primum & Jacobum fratres initum, ſive ob Eleonoram conjugem, quæ Friderici ultimi ſoror erat, Siciliam hæreditario jure ad ſe ſpectare contendebat. Ambo Martini, pater & filius, venerunt in Siciliam; ſed pater ad Regnum Aragoniæ capeſſendum mox revocatus eſt: filius mortuâ haud multò poſt Mariâ, ſive ab ea ſcriptus hæres, ſive jure Eleonoræ aviæ Siciliam retinuit; ipſeque anno MCCCCIX periit in Sardinia; moriens Siciliæ Regnum legavit patri, qui anno MCCCCX abſque liberis cùm deceſſiſſet, nova de Siculo Regno exarſerunt diſſidia, dum illud alii alio jure ſibi vindicant.

X. Ferdinandus Caſtellanus Rex Aragoniæ & Siciliæ. Ab Aragoniis novem virorum ſuffragio in Regem aſcitus eſt Ferdinandus ex Caſtellæ Regum ſtemmate. Is ut primùm Regni ſuſcepit inſignia, palam aſſerere inſtituit Siciliam jam diu Aragoniæ adjunctam eſſe: Joannes XXIII Summus Pontifex contendere Siciliam extincta Regum ſtirpe ditionis eſſe Pontificiæ: Siculi etiam Proceres prædicare hunc Regem futurum, quem ipſi juberent, cùm penes ipſos eſſet jus appellandi Regis. Sed Ferdinandi ut potentia major erat, ita etiam potiora fuerunt jura, miſſuſque ab eo in Siciliam eſt Joannes filius natu minor anno MCCCCXV, qui eam Inſulam regeret. Aſſenſum negavit Joannes XXIII: dedit verò poſtea Benedictus XII Petrus de Luna.

REGES SICILIÆ. XI. Quæ pares cæteris Hiſpaniæ Regibus.

Ferdinandum excepit Alfonſus filius, qui à Joanna Neapolitana anno MCCCCXX primùm adoptatus in filium eſt, deinde reſciſſa adoptione repudiatus, Neapoli partim vi, partim dolo capta, utroque Regno, Neapolitano & Siculo, potitus eſt, ut à nobis dictum eſt ſuperiùs. Moriens anno MCCCCLVIII Siculum & Aragonium Regnum Joanni fratri reliquit; Ferdinando filio notho Neapolitanum. Joannes filium habuit Ferdinandum illum, qui rebus in Mauros præclarè geſtis Catholici cognomen ſortitus eſt, & anno MCCCCLXXIX multorum Regnorum titulos obtinuit, ſed alios alio jure: Aragonici & Siculi paterno; Legionenſis & Caſtellani dotali; Neapolitani bellico. Iidem deinceps Siciliæ Reges, qui Hiſpaniæ: Carolus V anno MDXVI Ferdinandi ex filia nepos; Philippus II anno MDLVI; Philippus III anno MDXCVIII; Philippus IV anno MDCXXII, & Carolus II: de quibus in Hiſtoria Hiſpaniæ dicendi locus erit uberior.

XII. Quo anno gentes ſingulæ regnare cœperint.

Quot verò ex ſingulis gentibus Reges fuerint, quóve potiſſimùm anno regnare & cœperint & deſierint, paucis accipe. Reges fuerunt Northmanni ſex, Suevi quinque, Francus unus, Aragonii novem, Caſtellani quatuor, Auſtriaci quinque. Northmanni rerum potiti ſunt ab anno MLIX ad annum MCXCIV: Suevi ab anno MCXCV ad annum MCCLXII: Franci ab anno MCCLXIII ad annum MCCLXXXII: Aragonii ab anno MCCLXXXII ad annum MCCCCX: Caſtellani ab anno MCCCCXI ad annum MDXVI: Auſtriaci ab anno MDXVI ad noſtram uſque ætatem.

CAPUT II.

Sicilia ſemper fuit Romani Patriarchatus.

I. Probatur Siciliam ſemper fuiſſe Romani Patriarchatus Ex Notitia.

SICILIAM à primis naſcentis Eccleſiæ temporibus Romano Patriarchæ ſubjectam fuiſſe, tot veterum teſtimoniis certum eſt, ut id qui negaverit, aut Græculus ſit, oportet, aut harum rerum omnino rudis. Ne cui tamen quis ſuper hac re ſcrupulus hæreat, pauca hoc loco delibare libitum eſt: fontes verò unde hæc haurire licet uberiùs,

SICILIA FUIT ROM. PATRIARCHATUS.

ſunt omnino tres, Notitia ipſa, Romanorum Pontificum Epiſtolæ, & Romæ habitæ Synodi. Id nos docet Notitia, dum inter Romanæ diœceſeos provincias decem *Siciliam* appellat. Cùm enim Romanus Patriarchatus longè pateat latiùs, quàm Romana diœceſis; nemo erit, opinor, qui Siciliam Romanæ quidem diœceſis fuiſſe velit, Patriarchatus verò Romani non item.

II. Exemplo Illyrici.

Idem etiam loquuntur Epiſtolæ Pontificum bene multæ. Innocentius, S. Leo, aliique, Theſſalonicenſi Metropolitæ in omni Illyrico Orientali vices ſuas delegant, quod ſive in Oriente, ſive in Ægypto ab iis uſurpatum nuſquam legere eſt. Unde hæc diſpar agendi ratio? Quia Illyricum Romano Patriarchæ ſuberat, Ægyptus verò Alexandrino, & Oriens Antiocheno. Rectè. Quis verò, ſi ſanus eſt, ſuſpicetur Theſſaliam, Macedoniam, Græciam omnem Romano Patriarchæ paruiſſe; Græco verò, quæ Italiæ adjacet, Siciliam?

III. Ex epiſtolis Romanorum Pontificum.

Eò etiam pertinent quàm plurima S. Leonis, Gregorii Magni & Nicolai I teſtimonia, quibus Epiſcoporum in Sicilia conſecrationes, Baſilicarum viſitationes, ut tum loquebantur, de litibus criminibúſve Epiſcoporum judicii ferendi jus ſibi vendicant. Gregorii loca, quia & plura ſunt, & cuíque obvia, hîc deſcribere nihil opus eſt: ſatis habebo tum Leonis, tum Nicolai verba appingere; quorum ille Ep. 4 ad Epiſcopos Siciliæ: *In quam culpam*, inquit, *nullo modo potuiſſetis incidere, ſi unde conſecrationis honorem accepiſtis, inde legem totius obſervantiæ ſumeretis; & B. Petri ſedes, quæ vobis ſacerdotalis eſt mater, dignitatis eſſet magiſtra rationis.* Et Nicolaus I ad Michaëlem Imperatorem: *Volumus ut conſecratio Syracuſano Epiſcopo à noſtra Sede impendatur; ut traditio ab Apoſtolis inſtituta nullatenus veſtris temporibus violetur.* Quæ de Syracuſano Epiſcopo dicta ſunt, de cæteris itidem Siciliæ Epiſcopis intellige: eodem enim jure cæteri, quo Syracuſanus, Romanæ Sedi ſuberant.

IV. Ex Conciliis Romæ habitis.

Nec ab iis abludunt Romanæ Synodi pleræque omnes; ſed maximè habitæ ſub Symmacho, Martino I, & Agathone, quibus & adfuerunt Siculi Epiſcopi, & ſuo quiſque ordine ſubſcripſerunt: exempla proferre nihil attinet. Quò

etiam ſpectat mos ille à Siculis Epiſcopis ſumma religione obſervatus, ut quidam Epiſcopi cæterorum nomine venirent Romam ad Synodum; primùm ſingulis annis; deinde tertio; denique quinto quoque anno, ut ex Epiſtolis Gregorii Magni cuivis colligere licet.

SICILIA A ROM. PATR. ABSTRACTA.

CAPUT III.

Quandonam Sicilia à Patriarchatu Romano abſtracta.

I. Variæ ſententiæ. Opinio Amici.

UT in aliis ſæpe accidit, ita ſuper hac re aliter aliis viſum eſt. Antoninus de Amico Epiſcopos Siculos ante ſeptimam Synodum anno DCCLXXXVII ad Græcum Patriarcham defeciſſe tradidit: Baronius anno DCCCLIV poſt ſeptimam Synodum: Albertus Piccolus & Rochus Pyrrhus anno DCCCLXX poſt Nicolai I tempora. Habet quiſque, quo ſuam adſtruat opinionem. Duobus quidem Amicus argumentis utitur: primum eſt hujuſmodi. Qui ſeptimæ Synodo aderant Præſules, ii omnes, ſi Leonis Diatypoſi credimus, Græco ſuberant Patriarchæ; aderant verò multi è Sicilia Epiſcopi, ut ex actis Synodi liquet. Alterum petitur à Joannis Tauromenitani ſubſcriptione: *Cùm veluti divinæ orthodoxiæ terminus ſint literæ, quæ ab Adriano Papa ſenioris Romæ ad pios Imperatores, necnon ad Taraſium univerſalem Patriarcham noſtrum miſſæ ſunt, ita profiteor ſuſcipiens ſacros Icones.* Quæ ſanè ſubſcriptio ab Amico facere videtur, cùm Joannes ille Tauromenii, quæ urbs Siciliæ eſt, Epiſcopus, Adrianum *ſenioris Romæ*, Taraſium verò *ſuum* appellet Patriarcham.

II. Sententia Piccoli & Pyrrhi.

Juvant hæc etiam nonnihil Baronii ſententiam, cui præterea ſuffragari videtur Nicolaus I, dum in epiſtola nona in Gregorii Syracuſani proterviam invehitur, *quòd in Ignatium ſuum videlicet Patriarcham rediviva impietatis jacula irreverenter exacuiſſet.* Sed Piccolus & Pyrrhus idoneos ſanè & locupletes opinionis ſuæ authores habent, Adrianum I & Nicolaum I, quorum uterque, ille epiſtolæ ad Conſtantinum & Irenen, hic epiſtolâ ad Michaëlem Imperatorem &

SICILIA A ROM. PATR. ABSTRACTA.

Photium queritur, quòd multæ ex Romano Patriarchatu provinciæ à Græcis detractæ ſint. Singulas uterque provincias appellat, *Macedoniam*, *Theſſaliam*, *Epirum*, *Dardaniam*, *&c.* Siciliæ neuter meminit, quæ ſi jam tum abſtracta fuiſſet, cur omitteretur, nihil erat. Imò eò juſtior conquerendi cauſa, quòd eſſet Urbi multò, quàm cæteræ, vicinior. Nec nonnihil eſt quòd Nicolaus ipſe I expoſtulet, quòd Patrimonia, quæ in Sicilia & Calabria erant, Græci præter jus Romanæ Sedi abſtuliſſent. Fuitne prudentis Pontificis de prædiis & Patrimoniis litem Græcis movere; de Sicilia integra, quæ multò potior erat, nihil conqueri? Hæc ferè illi.

III. Noſtra ſententia. Primũ Siciliæ dati Græci Judices & Præſides.

Ex his ego ſententiis, nullam aut admitto omni ex parte, aut reſpuo: habent enim ſingulæ, unde & probentur multis, & inter ſe conciliari queant. Quænam verò ſit opinionis noſtræ ratio, paucis expediam. Cùm Romanus orbis in Imperium Orientale & Occidentale deſcriptus eſt, Occidentali Sicilia contributa fuit: deinde à Gothis, uti diximus occupata eſt, tum recepta à Beliſario, & Imperio Orientali adjuncta. Impoſitus Inſulæ Gubernator natione Græcus, Græci itidem urbium Præfecti, & plerique ſive Magiſtratus, ſive Judices. Penes Græcos jus & infligendæ pœnæ, & dandi præmii erat, ſi quid à quoquam aut admiſſum ſceleris, aut præclarè geſtum: à Græcis & rei familiaris augendæ ſpes & dignitatis conſequendæ; inde factum ut ſæpe, & Siculi in Græciam, & Græci in Siciliam, ſive Magiſtratus gerendi, ſive negotii conficiendi causâ commigrarent.

IV. Deinde Siculi Epiſcopi exules blandiuntur Græcis, ut habeant, unde viveſe poſſint.

Secundùm hæc Siciliam invadunt Saraceni; ejecti ex Inſula Græci; Siculi, tum Sacerdotes, tum Epiſcopi alii aliò fugere; ſed in Græciam plerique: hic egeni, exules, & diuturna jam ſervitute ad aſſentationem eruditi, modò Imperatoris, modò Græci Patriarchæ benevolentiam aucupari, iiſque blandiri, quò aut bellum inferretur Saracenis, ipſique ſuas in ſedes reſtituerentur; ſin minùs, ut ipſis, unde viverent, vel uterque, vel alteruter largiretur. Aliquantò pòſt inter Carolum Magnum & Græcum Imperatorem hæc Italiæ facta diviſio eſt, ut quæ à Neapoli & Siponto ad mare Siculum pertinent, unà cum Inſulis, Orientali cederent

Imperatori;

Imperatori; Occidentali reliqua. Tum Siculi Epiſcopi, quod ſperarent à Latinis, cùm nihil eſſet, majori ſtudio adhærere Græco Patriarchæ cœperunt, illumque pro ſuo venerari; ſin minùs omnes, certè quidem multi. SICILIA A ROM. PATR. ABSTRACTA.

V. Poſt Patriarcha Græcus aliquot Metropolitas & Archiepiſcopos inſtituit.

Patriarcha, quò Siculos magis ſibi devinciret, ex iis quatuor, qui aut ingenio, aut aſſentandi arte præſtabant cæteris, delegit: quorum duo deinceps fore juſſit Metropolitanos, Archiepiſcopos totidem. Ita Catanenſis & Syracuſanus Metropolitani dignitatem vel appellationem adepti ſunt; Archiepiſcopi verò Meſſanenſis & Tauromenitanus: hoc tamen Catanam inter & Syracuſas intereſt, quòd Catana in Diatypoſi, tum Leonis Sapientis, tum Andronici ſenioris inter metropoles certum locum obtineat; Syracuſæ verò vel incertum, vel nullum. Idem etiam diſcrimen eſt inter Meſſanam & Tauromenium: ab iis enim inter Archiepiſcopatus Meſſana recenſetur, Tauromenium non item; ea tamen dignitate inſignitum conſtat ex Homiliis & Hymnis tum Theophanis & Gregorii Cetamei, in quibus uterque Archiepiſcopus dicitur.

VI. Denique omnium ordinationem ſibi vindicat: unde cum Romano Patriarcha contentio.

Quo potiſſimùm tempore id factum ſit, & an omnes Siciliæ Epiſcopi ad Græcum Patriarcham defecerint, obſcurum eſt: alios alio tempore deſciviſſe putem. Panormitanum ſemper Romano Patriarchæ paruiſſe ſcribit Pyrrhus: verè, an ſecus, poſtea viderimus. Ut ut eſt, inde Græcus Patriarcha Siciliam ſuæ eſſe ditionis contendere inſtituit; negare Romanus Pontifex: inde Nicolaus I Syracuſani Epiſcopi conſecrationem ſibi repetit, illiuſque verba ex Epiſt. 9 eò pertinent, ut Gregorii Syracuſani crimen augeat: *In Ignatium ſuum videlicet Patriarcham rediviva impietatis jacula exacuit;* hoc eſt, ejecto Ignatio, quem ipſe ſibi, repudiato Romano, Patriarcham delegerat, Photium ordinare non erubuit. Poſtea Epiſcopi Siculi à Patriarcha Græco ordinari, & ſi quid ab iis peccatum eſſet, deponi cœpti ſunt. Ita ordinatus ab Euthymio Zacharias Tauromenitanus, depoſitus ab Ignatio Gregorius Aſbeſta Syracuſanus: amborum adverſus & Romanam Sedem, & Ignatium pervicacia nobilitata eſt: uterque enim Photii ſtudioſiſſimus fuit. Ille enim Photii nomine ad Nicolaum I legatione perfunctus eſt; hic Photium in Patriarcham conſecravit.

SIRACUSÆ ANTE SÆCULUM IX NON METROPOLIS.

CAPUT IV.

An fuerit in Sicilia ante nonum ſæculum aliqua metropolis.

1. Variæ ſententiæ.

QUI id argumenti genus ſibi ad ſcribendum delegerunt Siculi, in ea ſunt opinione plerique omnes, ut velint ante nonum ſæculum fuiſſe in Sicilia metropolim. Quænam verò illa fuerit, Syracuſæ, Meſſana, an Panormus, vehementer inter ſe diſſentiunt. Hunc honorem deferunt Syracuſis Vincentius Lettara; Mirabella, & Antoninus de Amico; Meſſanæ, Albertus Piccolus; Panormo Rochus Pyrrhus: ſin minùs omnes, eorum certè aliquem falli neceſſe eſt, cùm alius alium refellat, & quæ probantur uni, alter repudiet. Ne fucum ego, aut patiar ipſe, aut faciam aliis, certus ſum illorum pro duce ſequi neminem: quæ enim adhibent argumenta, adeo infirma mihi viſa ſunt, ut longè ſimilius vero putem, ante nonum ſæculum, nullam in Sicilia fuiſſe metropolim: quod ut ordine quodam perſequar, de urbibus ſingulis ſingula argumenta diligenter expendere libitum eſt.

An Syracuſæ metropolis ante nonum ſæculum.

I. Non fuit metropolis eccleſiaſtica, quamvis civilis fuerit.

QUÆ à Syracuſis facere videntur, ſunt ferè hujuſmodi. Primum quidem: fuit olim Syracuſana civitas Siciliæ totius civilis metropolis; unde par eſt credere fuiſſe itidem eccleſiaſticam. Fuerintne Syracuſæ Inſulæ totius caput, an ſecus, diſputare non eſt hujus loci. Fuerint ſanè, quid inde? Urbes quæ civiles metropoles erant, fuerúntne continuò & eccleſiaſticæ? Nihil minùs: una enim ſæpe provincia eccleſiaſtica longè patebat latiùs, quàm civiles, multaſque civiles complexa eſt, ut Romana, ut Mediolanenſis. Unde in una provincia eccleſiaſtica, una quidem eccleſiaſtica metropolis erat; ſed tot civiles, quot provinciæ: nec tamen inficiari velim eamdem ſæpe urbem metropolim fuiſſe tum civilem, tum eccleſiaſticam; id verò caſu factum, nulla certa lege, nemini, opinor, dubium eſt.

Paulò plus roboris habet alterum, quod ex epiſtola Conſtantini Magni petitur, argumentum. Imperatoris ad Chreſtum Syracuſanum, quem ad Synodum Arelarenſem evocat, verba ſunt hæc apud Euſebium l. 10 c. 5. *Proinde quando plurimos Epiſcopos ex locis diverſis & penè infinitis in urbem Arelateſiorum ad Kalendas Auguſti convenire mandavimus: tibi etiam per literas ſignificandum putavimus, ut accepta Rheda publica .·.·. duobus item aliis ex ſecunda ſede Epiſcopis, quos tamen ipſe maximè deligendos judicaveris, tibi in ſocietatem adſcitis .·.·. ad eum diem in loco præſcripto aliis occurras.* Vis omnis argumenri in eo poſita eſt, quòd jubetur à Conſtantino Chreſtus in ſocietatem ſibi aſciſcere duos *ſecundæ ſedis* Epiſcopos: unde cônſequens eſſe videtur, Chreſtum fuiſſe primæ ſedis Epiſcopum, hoc eſt, Metropolitam. SYRACUSÆ ANTE SÆCUL. IX NON METROPOLIS.

Ad hunc locum facilis reſponſio eſt & multiplex. Primæ ſedis, an ſecundæ Epiſcopus Chreſtus fuerit, nullum in epiſtola indicium eſt: nec enim omnes, quos literis ad Synodum invitavit Conſtantinus, erant Metropolitæ. At duos ſecundæ ſedis Epiſcopos juſſus eſt ſecum deducere. Quid tum? Miles milites duo ſecundæ cohortis juſſu Ducis ad certam rem deligit: an ideo ipſe primæ cohortis ſit oportet? Quid verat illum eſſe itidem ac duos, quos ſecum adſcivit, milites aut ſecundæ cohortis, aut tertiæ? Præterea quis neſciat, quàm incerta ſit & varia hujus vocis, *prima ſedes*, acceptio? Is enim primæ ſedis Epiſcopus, vel qui Metropolita, vel qui ſecundum à Metropolitano locum obtinet, & ſecundo ordine in Notitia ſcribitur, ut apud Sidonium lib. 7 epiſt. 7 legere eſt. Ita in Arelatenſi provincia Maſſilia prima ſedes aliàs fuit, & in aliis provinciis aliæ. Is etiam ut plurimùm primæ ſedis Epiſcopus dictus eſt, qui honoris ævo præſtabat cæteris, ut conſtat ex Hilari epiſtola ad Epiſcopos provinciæ Viennenſis. Ita apud Afros is, ſive Primas erat, ſive primæ ſedis Epiſcopus, qui ſenior. Ex ea igitur voce, cujus tam multiplex notio eſt, nihil certi poteſt elici. III. Non probat fuiſſe metropolim.

At primas ſæpe in ſubſcribendo tulerunt Syracuſani Epiſcopi, ut in Synodo Arelatenſi Chreſtus, in quinta ſub Symmacho Eulalius, in Concilio ſub Agathone Theodoſius: frequentes tamen aderant è Sicilia Epiſcopi. Quàm inane IV. Nec in ſubſcribendo prærogativa.

SYRACUSÆ ANTE SÆCUL. IX NON METROPOLIS.

ſit & frivolum id argumenti genus, nemo, ut paulò ſit humanior, non videt. Qui enim ex Conciliorum ſubſcriptionibus metropoles dignoſcere ſtudeat, is fallatur ſæpius neceſſe eſt: nec enim urbium dignitatis, ſed Epiſcoporum ætatis habita ratio eſt; cujus rei exempla ex Synodis Epheſina, Tarraconenſi, Aurelianenſibus, & aliis proferre nullius eſt operæ. At ne vagemur longiùs, annon idem probant Arelatenſis Concilii, quo de agitur, ſubſcriptiones? Hoc enim ordine ſubſcriptum eſt: primum locum obtinet Syracuſanus, ſecundum Capuanus, tertium Arpinas, tum Aquilegienſis, Mediolanenſis, Arelatenſis, &c. Quis, ſi ſanus eſt, Arpinatem Epiſcopum Mediolanenſi ideo præferat, quòd ille priòr, hic poſterior ſubſcripſerit? Idem etiam nos docet pia illa inter Dionyſium Mediolanenſem, & Euſebium Vercellenſem de ordine ſubſcribendi contentio, quâ deluſa Conſtantii Imperatoris impietas eſt. Merus erat Epiſcopus Euſebius; Dionyſius Metropolita: datum tamen Euſebio, ut prior ſubſcriberet; quia licèt dignitate inferior, honoris tamen ævo potior erat. Sed de his actum eſt à nobis antea pluribus.

V. Nec Gregorii Magni ad Maximianum epiſtola.

At nihil eſt, ſi Lettaræ credimus, pro Syracuſana ſede robuſtius, quàm Gregorii Magni ad Maximianum Syracuſanum epiſtola lib. 2 epiſt. 4. *Proinde ſuper cunctas Siculas Eccleſias Reverendiſſimum te virum Maximianum fratrem & Coepiſcopum noſtrum vices Sedis Apoſtolicæ miniſtrare decrevimus.* Moris tum fuit, ut Romani Pontifices vices ſuas deferrent ſolis Metropolitanis, ut Theſſalonicenſi in Illyrico; Arelatenſi in Gallia, in Hiſpania Hiſpalenſi. Suas vices dat Gregorius Maximiano: cur pariter ac cæteri, non erit Metropolita? Quàm futilis ſit hæc argumentandi ratio, nos admonet ipſe Gregorius his verbis: *Quas vices non loco, ſed perſonæ tribuimus; quia ex tranſacta in te vita didicimus, quid etiam de tua ſubſequenti converſatione præſumamus.* Hic igitur honos non Syracuſanæ ſedi, ſed Maximiano delatus, cujus pietatem noverat Gregorius; quem Monaſterio à ſe conſtructo præfecerat; quem elegerat Epiſcopum. Si ideo Metropolita Maximianus fuit, & eodem jure Felix Meſſanenſis, cui vices etiam ſuas commiſit Gregorius; fuerunt & Panormitanus & Carinenſis, quorum alteri Terracinenſis,

alteri Panormitanæ ſedis viſitandæ jus indulſit.

Superſunt duo levioris ponderis argumenta: alterum ex epiſtola Nicolai I ad Michaëlem Imperatorem petitum; alterum ex Nicæna ſecunda Synodo. Nicolai verba ſunt hæc: *Volumus ut conſecratio Syracuſano Archiepiſcopo noſtra à ſede impendatur.* In ſeptima Synodo Stephanus Syracuſanus bis *Archiepiſcopus* dicitur: ſemel actione prima, *Galathone Presbytero & locum tenente Stephani Archiepiſcopi Syracuſani;* iterum actione quarta, *Galatho exiguus Presbyter, & ex perſona Stephani Archiepiſcopi Siciliæ libenter omnia, quæ præſcripta ſunt, ſuſcipiens ſubſcripſi.* Utrique una, eaque perfacilis reſponſio eſt. Jam tum Syracuſanus Epiſcopus à Græco Patriarcha adeptus erat, ut *Archiepiſcopus* diceretur: unde nihil mirum, ſi tum in ſeptima Synodo, tum in Nicolai epiſtola de more apud Græcos tum recepto Archiepiſcopus appelletur: quod à Romano Pontifice ratum non fuiſſe indicio eſt Nicolaus ipſe, qui epiſtolâ 7. c. 11 Gregorium Syracuſanum, quem epiſtolâ ad Michaëlem *Archiepiſcopum* dixerat, ſæpe vocat Epiſcopum. Prætetea nec illa Galathonis germana eſt ſubſcriptio: in vulgata enim ſeptimæ Synodi editione aliter ſubſcriptum eſt: *Galathone Archipresbytero locum tenente Rhegii; Stephano Epiſcopo Syracuſano.* Haud aliter in ſecunda, tertia, quartaque actione ſubſcribit Galatho; & in ſeptima, in qua Conſtantinus Rhegii Epiſcopus aderat, Galatho, qui illius vices gerat, nullus eſt. Unde Galatho non Syracuſani, ſed Rhegini Epiſcopi Legatus erat, qui ſive *Archiepiſcopus* dicatur, ſive *Epiſcopus*, nihil ad nos: de hac enim ſede prius à nobis actum eſt.

SYRACUSÆ ANTE IX NON SÆCUL. METROPOLIS.

VI. Nec epiſtola Nicolai I, nec Galathonis in ſeptima Synodo ſubſcriptio.

An Panormus metropolis fuerit ante nonum ſæculum.

I. Non probat Panormum fuiſſe metropolim, nec regia urbis dignitas.

PANORMUS, inquit Lettara, Siciliæ totius caput eſt, Regum olim, nunc Proregum ſedes: annon & olim fuit Inſulæ metropolis. Quo in argumento multiplex vitium eſt: nec enim eccleſiaſtica politia ad civilis formam & typum ita deſcripta unquam fuit, ut eædem ſemper metropoles eccleſiaſticæ, quæ civiles. Nunc principem inter Siciliæ civitates locum obtinet Panormus; aliàs non item.

PANORMUS ANTE SÆCUL. IX NON FUIT METROPOLIS.

Regum olim ſedes fuit: an continuò metropolis? an aliæ ſedes illi parere juſſæ ſunt? Id ſanè longè ſecus eſt. Si ex aliarum urbium exemplo conjectura fiat, Francorum Regum ſedes eſt Lutetia, Londinum Anglorum, Luſitanorum Ulyſſipo; nihil tamen de ſedis Lugdunenſis dignitate & juribus in Gallia, de Cantuarienſis in Anglia, de Braccarenſis in Luſitania detractum eſt.

II. Nec epiſtolæ Gregorii Magni. L. 4 ep. 44 L. 10 ep. 31

Quæ in eam rem proferuntur Gregorii epiſtolæ duæ, nihilo plus habent roboris: alterâ Joanni Panormitano indulget honorem Pallii, illiuſque ſedis Epiſcopos eodem jam diu uſos honore innuit; altera Victorem Panormitanum Primatem vocat, jubetque Regienſis Epiſcopi cauſam unà cum Columbo Epiſcopo illum cognoſcere: ſed utraque ad Metropolitani dignitatem nihil facit. Quis enim neſciat Pallium non Metropolitanis modò, ſed Epiſcopis etiam ſæpe, cùm ab aliis Pontificibus, tum à Gregorio ipſo datum, ut Siagrio Auguſtodunenſi in Gallia, ut Maximiano Syracuſano, & Felici Meſſanenſi in Sicilia? Quos tamen nec Lettara, nec quis alius ideo Metropolitanos fuiſſe conceſſerit. Altera epiſtola & à Gregorio Magno, & Victori Primati ſcripta eſt: at is Numidiæ, non Siciliæ Primas erat, ad quem, ut ad Columbum Numidiæ Epiſcopum, extant & aliæ Gregorii epiſtolæ. Nec enim ætate Gregorii inter Siciliæ Epiſcopos Columbus ullus erat; nec ulla apud Siculos Regienſis ſedes. Quod de Regienſi in Calabria Epiſcopo cave intelligas, in quem nihil juris Panormitano fuit. Duo tum erant Epiſcopi, quorum utrique *Victori* nomen fuit: alter Panormitanus erat Epiſcopus; alter Numidiæ Primas. Ad Primatem hanc ſcripſit epiſtolam Gregorius, non ad Panormitanum; nominum ſimilitudo errorem objecit Librariis.

III. Nec Paſchalis epiſtola.

Vitio propè pari laborat ea, quæ Paſchalis I nomine circumfertur epiſtola, quâ Paſchalis Panormitano Archiepiſcopo ad preces Regum Siciliæ Pallium mittere ſe profitetur, fideique ſacramentum ab eo præſtari imperat. Quæ duo à Paſchalis I ætate abhorrent vel maximè, quâ nulli in Sicilia Reges erant, niſi Saraceni; necdum inducta imperandi juramenti conſuetudo, quæ aliquantò pòſt à Gregorio VII

invecta eſt. An Saracenis curæ fuit Chriſtiana res, ſediſque Panormitanæ dignitas, à quibus ejecti è Sicilia Epiſcopi? Hæc igitur epiſtola nec eſt Paſchalis I, nec ad Panormitanum ſcripta eſt Epiſcopum; ſed ad Polonienſem, ut Antonio Auguſtino olim viſum eſt, à Paſchali II anno MCII: needum enim erant in Sicilia Reges, ſed Comes unus Rogerius Roberti Viſcardi frater, paterque Rogerii alterius, qui regium poſtea decus adeptus eſt. Erant verò jam tum in Polonia Reges, ſi Polonis Hiſtoricis credimus. Anno enim DCCCCXCIX Otho Imperator regium nomen indulſit Boleſlao. Erant & Metropolitæ, tum Gneſnenſis, tum Cracovienſis. Eò etiam pertinet, quod ſubjicit Dacorum exemplum: *Annon ultra vos Daci conſiſtunt, &c.* Annon ultra Siciliam Dacia eſt? Quæ Dacorum cum Siculis cognatio? PANORMUS ANTE SÆCUL. IX NON FUIT METROPOLIS.

Paulò firmius eſt Gregorii VII teſtimonium, cujus in diplomate ad Archerium Panormitanum verba ſunt hæc: *Apoſtolica autoritate confirmamus eidem Eccleſiæ, & per eam tibi quidquid dignitatis & antiquitatis tenuiſſe probatur: item omnes ejus Suffraganeos Epiſcopatus.* Unde conſequens eſſe volunt Panormum fuiſſe olim metropolim. Quæ tamen non incommodè ita explicari poſſunt. Poſtquam ejecti è Sicilia Saraceni, reſtituti continuò à Roberto Duce & Rogerio Comite Epiſcopi: tum quiſque ſedis ſuæ jura & privilegia revocare & augere inſtituit. Id præ cæteris habebat præcipui Panormus, quod Principis ſedes erat, unde major & urbis dignitas, & Epiſcopi apud Principem gratia. Provinciæ Panormitanæ pro Epiſcopi arbitrio facta deſcriptio eſt: vetera enim ſedis illius monimenta, maxima pars, perierant: multa jura huic ſedi attributa; verè an ſecus, incertum eſt: rogatus Pontifex, ut hæc rata eſſe juberet; omnia ultro indulſit, ut à Duce, Comite, & Siculis gratiam iniret. An verò Panormus fuerit olim metropolis, inquirendum ſibi non duxit: unde nec qui provinciæ fines, qui Epiſcopatus Panormitano contributi olim erant, præter morem non explicat. IV. Nec Gregorii VII diploma.

Messana ante ſæcul. IX non fuit metropolis.

An Meſſana metropolis ante nonum ſæculum.

I. Argumenta Piccoli. *L. 5 ep. 1.*

Levia ſunt & inania, quæ pro Meſſanenſi Metropolita afferri vulgò ſolent, quidquid in eam rem ſcripſerit Piccolus: hæc verò ſunt ferè hujuſmodi. Gregorius Magnus Dono Meſſanenſi Epiſcopo conceſſit uſum Pallii; Felici item Meſſanenſi vices ſuas in Sicilia permiſit; vocandæ Synodi fecit poteſtatem; imperat *ut ſtudioſus ſit circa fratres,* hoc eſt, ut interpretatur Piccolus, circa Suffraganeos Epiſcopos; ut ſummâ curâ invigilet, ne quis quid peccet contra canones; eumque quòd metropoliticæ dignitatis indicium eſt, vocat *Siciliæ Epiſcopum:* quam loquendi formulam adverſus ſolos Metropolitanos uſurpavit Gregorius. Ita *L. 1 ep. 41.* Leandrum Hiſpalenſem appellat *Hiſpaniæ Epiſcopum*, Deſi- *L. 9 ep. 48.* derium, Ætherium, Virgilium Arelatenſes, *Galliæ Epiſcopos*, &c. Eò ferè referuntur omnia, quæ pluribus diſputat Piccolus.

II. Non probant metropolim fuiſſe, nec uſus Pallii, nec jus vocandæ Synodi.

Jam exploſa à nobis eſt eorum opinio, qui ab uſu Pallii metropolitanam dignitatem repetunt: nec id inficiari verè poteſt ipſe Piccolus, qui cum Siagrio Auguſtodunenſi, & Maximiano Syracuſano datum à Gregorio Pallium fateatur; utrumque tamen Metropolitam fuiſſe negat. Fruſtra igitur eſt, ſi de Meſſanenſi aliter argumentetur, cùm par omnium ratio ſit. At Felici dedit ſuas vices Gregorius; dedit & Maximiano Syracuſano: nec is tamen, teſte Piccolo, Metropolita fuit; nec igitur Felix Meſſanenſis. At jus indulſit cogendi Concilii. Dederítne, an ſecus, quis fortè, nec immeritò, ambigat? Nec enim diſertis verbis id explicat Gregorius: *Unde volumus vos in unum convenire Epiſcopos, ut de incidentibus cauſis fiat diſceptatio.* Et paulò pòſt: *Et quidem quia ad habendum bis in anno Concilium Patrum ſit regulis inſtitutum, non latet: ſed ne fortè aliqua excuſatio ſit, ſemel decernimus congregari.* Non jubet Gregorius, ut Felix Synodum convocet; ſed ut Epiſcopi ſimul ad Synodum conveniant, ſin minùs bis, ſemel ſaltem ſingulis annis. Sed facultatem habendæ Synodi dederit Felici Gregorius: nonne dedit & Siagrio in Gallia, qui merus erat

Epiſcopus,

Epiſcopus, & Petro Subdiacono in Sicilia, qui ne Epiſcopus quidem? Vocare Synodum jure ſuo & propria autoritate fuit quidem Metropolitani; juſſu verò Pontificis fuit vel Epiſcopi, vel Preſbyteri, vel pro Pontificum arbitrio Diaconi aut Subdiaconi; idque non ſedi, ſed perſonæ datum eſt.

MESSANA ANTE SÆCUL. IX NON FUIT METROPOLIS.

Quod verò jubet Felici Gregorius, ut *circa fratres ſtudioſus ſit*, nihili eſt. Nonne Epiſcopi, ſive ſint Metropolitæ, ſive meri Epiſcopi, vulgò inter ſe fratres dici ſolent, quòd par ſit eademque omnium dignitas? Nec mirum ſi multa Gregorius committat Felici, cujus perſpecta ipſi erat jam diu & ſanctitas & prudentia. Quod ut planum fiat, cur & ad Gregorium Felix, & ad Felicem Gregorius ſcripſerit, paucis dabo. Fuerat Felix in ſancti Gregorii Monaſterio Monachus: ibi Auguſtinum poſtea Angliæ Epiſcopum ad pietatem erudierat. Sub hæc uterque factus eſt Epiſcopus: Felix miſſus in Siciliam, in Angliam Auguſtinus. De affinitatis gradibus, intra quos matrimonium contrahere liceat, Gregorium Auguſtinus conſulit: Anglis, quæ gens Chriſto nuper nomen dederat, paulò plus indulſit Pontifex, quàm per recepta & Patrum & Conciliorum placita fas erat. Rei novitate perculſi Siciliæ Epiſcopi Felicem Meſſanenſem adeunt: rogant, ut ad Gregorium, cui notus erat, omnium nomine ſcribere ne gravetur; ut quem injecerat ſcrupulum, ipſe eximeret. Morem geſſit Felix, ſcripſit Gregorio. Reſpondet illi Pontifex, cur id Anglis præter morem permiſerit; quid Siculis præſcribendum explicat: tum jubet, ut hæc ipſe perſcribat cæteris Siciliæ Epiſcopis, ne quis quid fas ſit aut nefas, neſciat; multaque Felici pro Siculæ Eccleſiæ politia commendat. Quid eſt in his omnibus, undè elici poſſit Meſſanam fuiſſe metropolim? At omnium nomine ſcripſit ad Gregorium Felix: fateor. Theodorus Catanenſis in Synodo ſeptima omnium item nomine locutus eſt, & ubique perhonorificè appellatur *Theodorus piiſſimus Epiſcopus Catanæ, quíque aderant illi Siculi Epiſcopi*; qui tamen nec Metropolita unquam fuit, nec Catana metropolis. Id Epiſcoporum interdum aut pietati aut doctrinæ, honoris ergò datum eſt.

III. Nec alia jura à Gregorio conceſſa.

Levioris etiam momenti eſt, quòd Felix *Siciliæ Epiſcopus*

IV. Nec appellatio *Epiſcopi Siciliæ*.

MESSANA NON FUIT ANTE SÆCUL. IX METROPOLIS.

dicitur. Quot enim Epiſcopis à regionibus, in quibus habitabant, nomen inditum tum à Gregorio, tum ab aliis, quos nemo Metropolitanos fuiſſe dixerit? Secundinus lib. 8 epiſt. 57, & Joannes dicuntur *Siciliæ Epiſcopi.* Columbus lib. 2 epiſt. 47. *Numidiæ Epiſcopus.* Quod errorem objecit Piccolo, qui Primatem Numidiæ Columbum fuiſſe putat; quod ſecus eſſe nos docet diſertis verbis Gregorius, qui primùm Theodoto, tum Victori Numidiæ Primati illum paruiſſe teſtis eſt: *Victori fratri & Coepiſcopo noſtro, qui Primatûs inter vos locum tenet.* Ita in Synodo ſeptima actione tertia Theodorus Catanenſis dicitur *ſanctiſſimus Siciliæ Epiſcopus;* & Alexander Preſbyter appellatur à Gregorio lib. 9 epiſt. 4 *Siciliæ Presbyter.* His accedit, quòd inſcriptio hujus epiſtolæ, ut viris eruditiſſimis viſum eſt, Gregorii non ſit, ſed Librarii: unde in Romana Gregorii Operum editione, tum anno MDXCI, tum anno MDCXIII deleta fuit hæc epigraphe, & epiſtolæ præfixa eſt hæc inſcriptio: *Felici Epiſcopo Meſſanæ.* Sed de his hactenus.

CAPUT V.

Panormus.

I. Panormus à quo condita.

PANORMO, quæ Siciliæ caput eſt, à portu commodo nomen inditum, πάνυ enim ὅρμας idem ſonant quod omnino navium ſtatio. In ora Inſulæ occidua Pelorum inter & Lilybæum ad mare condita eſt; à quo, non liquet. Alii volunt ab Hiſpano quodam, alii à Sibylla. Oppidani à Chaldæis ortos ſe prædicant, idque teſtatur vetus inſcriptio. Romanorum olim colonia fuit, poſtea Regum Siciliæ, nunc Proregum ſedes, ædificiorum ſplendore, agri amænitate & Academiâ inſignis.

II. A quo inſtituta ſedes Epiſcopalis.

Ut omnium ferè Eccleſiarum, ita Panormitanæ obſcura ſunt exordia. Sunt qui cives à B. Petro, dum è Græcia Romam peteret, ad fidem Chriſtianam eruditos velint, & ab ipſo paulò pòſt eò miſſum, qui hanc urbem regeret, Epiſcopum. Id ſuadet Panormi celebritas, aliarumque ur-

PANORMUS.

bium exemplum. Ut Syracuſis Martianus, Pancratius Tauromenii, Catanæ Beryllus; ita Panormi, quæ his urbibus omni laudum genere, aut par erat, aut etiam ſuperior, inſtitutum Epiſcopum ſimile verò eſt Quis verò primus fuerit Epiſcopus, quíque per trecentos plus minus annos huic ſedi præfuerint, obſcurum eſt: ibi tamen Chriſtianam floruiſſe pietatem teſtis eſt ſanè locuples vel una Agatha, cùm omni virtutum genere, tum martyrii, quod ſub Decio pertulit, gloriâ nobilis.

III. Epiſcopi.

Primus, de quo memoriæ proditum ſit, Mamilianus appellatur, qui anno CCXCVII in Chriſtianum nomen dum ſæviret Diocletianus, conjectus eſt in ardens oleum; poſtea fame & egeſtate exul periit. In titulo inſculpto marmori vocatur quidem *Archiepiſcopus*; ſed Mamiliani ætate multò recentior eſt hæc inſcriptio. Necdum enim his temporibus Archiepiſcopi appellatio invecta erat. Gratianus Panormitanus Synodo Calchedonenſi anno CCCCLI ſubſcripſit. De Agathone, qui ſub Pelagio II florebat, meminit in Dialogis Gregorius, qui Joanni Panormitano Pallii uſum indulſit Victori Panormitano, an Numidico ſcripta ſit epiſtola 33 lib. X, diſputatum à nobis eſt ſuperiùs. Felix ſub Martino I Synodo Lateranenſi adfuit. Humbertum & pietate & doctrinâ & in rebus gerendis prudentiâ perilluſtrem ſibi vindicant Panormitani: conſtat quidem à Leone IX miſſum in Siciliam, & Archiepiſcopum fuiſſe; cujus ſedis, incertum eſt. Fidei prædicandæ causâ in Sicilia, quæ tum ſerviebat Saracenis, miſſum ſuſpicor, moxque revocatum Romam; ubi graviſſimis perfunctus muneribus legationem ad Græcos obiit.

IV. Quando facta ſit metropolis, variæ ſententiæ.

Ut in aliis bene multis, ita in ea re, qua de agimus, Piccolum inter, Lettaram Pyrrhumque non convenit: quòd ille velit Panormum ab Adriano IV factam metropolim, nihilque antea præ cæteris habuiſſe præcipui; hi verò à Paſchalis I temporibus eam dignitatem repetant. Neutri ego opinioni libenter ſubſcripſerim, quòd meris utraque nitatur conjecturis: opinionis verò meæ, quæ inter utramque media eſt, quænam ratio ſit, paucis perſequor.

V. Panormitanus Epiſcopus Archiepiſcopi nomen aſſumit.

Poſtquam occupata à Saracenis Sicilia eſt, pulſi ſunt ex Inſula plerique Epiſcopi, urbes partim deſertæ à civibus, partim

PANORMUS. dirutæ, Panormus Inſulæ totius caput eſſe cœpit, & Principis ſedes. Epiſcoporum nonnullis, qui fugerant in Græciam, à Græco Patriarcha, ut dictum à nobis eſt ſuperiùs, *Archiepiſcopi* appellatio conceſſa eſt & dignitas. Ita Panormitanus, ut mea quidem opinio eſt, *Archiepiſcopus* dici cœpit. Hunc vel à Patriarcha Græco, vel à Siculis, qui Panormi ſubſtiterant, (nec enim ejectos è Sicilia Chriſtianos omnes crediderim) modò in Græcia, modò Panormi, ſi quando per Saracenos licuit, eligi moris fuit. Quod ut affirmem, cùm multa me movent, tum Nicodemus ille *Archiepiſcopus*, qui Panormitanæ ſedi præfuiſſe dicitur anno MLXXI, cùm à Roberto Viſcardo urbs de Saracenis recepta eſt. Nec enim illum, quod Piccolo viſum eſt, fictitium dicere auſim, cùm à Calliſto II anno MCXXII in diplomate ad Petrum Panormitanum, à Goffrido Monacho, à Fazello, Maurolyco, & Bonfiglio *Archiepiſcopus* appelletur.

VI. Non erat tamen Metropolita. Nicodemum excepit Alcherius ille, ad quem extat Gregorii VII diploma, cujus inſcriptio eſt hæc: *Gregorius ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto fratri Alcherio Panormitano Archiepiſcopo ſalutem.* Tum omnia ſedis illius jura rata eſſe jubet. *Apoſtolica igitur autoritate confirmamus eidem Eccleſiæ & per eam tibi quidquid dignitatis & antiquitatis tenuiſſe probatur: item omnes ejus Suffraganeos Epiſcopatus; vel ſi quis deſtructis illis in eorum loco ſtatuti ſunt, vel opitulante Domino ſtatuuntur, ut in præfata tuæ Eccleſiæ priſtinam redeant poteſtatem.* Inde concludunt Pyrrhus & Lettara Panormum ante Roberti Viſcardi tempora fuiſſe metropolim. Eſt tamen, cur ſuſpicer uſum his verbis Gregorium, ut tempori & Roberti Ducis ſtudio inſerviret, Siculæque Eccleſiæ ſplendor quoquomodo inſtauraretur. Robertus & Alcherius Panormum aliàs fuiſſe metropolim ſcribunt Pontifici, multiſque ab eo contendunt precibus, ut ſua huic ſedi jura reſtituat. Gregorius, qui Roberti Ducis causâ volebat plurimùm, & faciebat, ultro indulget omnia. Verène Panormus olim fuerit metropolis, an ſecus, laborat minùs: unde nec Suffraganeos Epiſcopos appellat, nec provinciæ fines de more deſcribit. Nec aliquantò pòſt Callixtus II in diplomate, quo, quæ Panormitanæ ſedi Alexander II, Gregorius VII

& Paſchalis II conceſſerant, rata eſſe jubet; nec Petrum Panormitanum Metropolitam vocat, nec Epiſcoporum Suffraganeorum meminit. PANORMUS.

Sed ut hæc omnia nihili ſint, ſi certa jam tum provincia Panormitano Epiſcopo ſuberat: cur multò pòſt Rogerius Roberti Viſcardi ex fratre nepos ab Anacleto, cujus partes fovebat, petiit, ut Petro Panormitano vicini Panormo Epiſcopi ſubderentur? Cur Syracuſanus, Agrigentinus & Mazarienſis Epiſcopi Panormitano parere ab Anacleto tum primùm juſſi ſunt? Cur aliquantò pòſt decretum Anacleti reſcidit Innocentius II, nullaque deinceps Panormitani provincia fuit: donec Adrianus IV anno MCLIV in ſuas provincias omnium primus ita deſcripſit Siciliam, ut tres Epiſcopos Panormitano ſubeſſe juſſerit, Gergentinum, Mazarienſem & Melitenſem? Illius verò verba appingere operæ pretium eſt, cùm ex iis nullam antea fuiſſe in Sicilia metropolim intelligere liceat. *Sanctorum Patrum ſanxit autoritas, ut in ſingulis provinciis aliqua metropolis haberetur: hoc ſiquidem nos provinciæ Siciliæ deeſſe videntes, Panormitanam civitatem, quæ ſolo ferè nomine metropolis habebatur, in plenitudine dignitatis metropolim decrevimus ſtatuendam, & civitates veſtras ei jure metropolitico perpetuis temporibus ſtatuimus ſubjacere, &c.* VII. Ab Anacleto fit metropolita.

Ut rem paucis complectar, ita ſentio. Dum Sicilia paruit ſive Romanis, ſive Gothis, ſive Græcis; ut cæteræ urbes Siciliæ, ita Panormus Romano Metropolitano contributa fuit. Nec his temporibus fuit metropolis, cùm nullum uſquam extet hujus dignitatis veſtigium. Ubi Saraceni Siciliâ potiti ſunt, Panormitanus Epiſcopus, ſive quòd Panormus Inſulæ totius caput eſſet, ſive quòd potior eſſet ipſius autoritas, quàm cæterorum; *Archiepiſcopi* nomen vel à Patriarcha Græco obtinuit, vel adſcivit ipſe ſibi. Poſtquam recepta de Saracenis Sicilia eſt, Nicodemus, cùm à Principibus Northmannis, tum à Romanis Pontificibus *Archiepiſcopus* appellari cœpit: deinde Alcherius Metropolitæ dignitatem affectare, & antiqua ſedis ſuæ jura venditare inſtituit. Quæ vera, an ficta, rata habuit Gregorius VII: nulla tamen tum ſubjecta Panormitano provincia. Pòſt ab Anacleto VIII. Et poſtea ab Adriano IV.

PANORMUS. pſeudo-Pontifice tres Epiſcopi Petro Panormitano parere juſſi, cujus decretum reſcidit Innocentius II. Ita Panormus nomine quidem, re verò non erat metropolis, donec anno MCLIV Adriani IV diplomate deſcripta illius provincia eſt. Hugo omnium princeps re Metropolita fuit, cujus in ſepulcro hæc verba legere eſt: *Ugo Præſul primus ſanctam Chriſtinam exaltavit.*

IX. Archiepiſcopi. Panormitanorum Archiepiſcoporum nomina ſunt hæc. Nicodemus natione Græcus anno MLXV; deinde Alcherius Gregorio VII æqualis anno MLXXXIII; tum Gualterius; pòſt Petrus Callixti II juſſu Gualterio ſubléctus; denique anno MCXLIV Hugo ille, qui ab Adriano IV Metropolitani jura adeptus eſt; Gualterius II qui Innocentium II Panormi excepiſſe falsò dicitur. Gualterii III de Polona & clara generis nobilitas, & rebus præclarè geſtis illuſtre nomen, penes quem Friderico II puero ſumma rerum in Sicilia fuit; tum adverſus Marcovaldum miſſus cum exercitu ab Innocentio III Cincius Cardinalis: à Marcovaldo ſtabat Berardus Meſſanenſis, à Cincio Gualterius. Unde ut Berardo Meſſanenſi ægrè faceret Cincius, juſſit ut Meſſanenſis Epiſcopus Panormitano in poſterum tanquam Primati ſubeſſet; quod tamen rarum eſſe vetuit Innocentius. Quod tamen illud decretum aliter ab aliis legatur, vitium enim irrepſit, non Meſſanam Panormo, ſed Panormum Meſſanæ ſubjectam contendit Piccolus. Genere etiam clari fuerunt Bartholomæus & Franciſcus cognomento *Antiocheni*, ambo fratres ex Friderici II ſtemmate: Joannes de Procyta anno MCCCC ex nobili Procytarum Comitum gente: pietate inſignis anno MCCCCXIV Ubertinus de Marinis. At Juris Canonici ſcientiâ longè clariſſimus anno MCCCCXXXIV Nicolaus de Tudeſco, vulgò *Panormitanus* dictus: futurus tamen longè illuſtrior, ſi Synodo Baſileenſi adverſus Eugenium IV non adhæſiſſet: in Cardinalium cœtum primùm à Felice, deinde à Nicolao V, ſi Panvinio credimus, allectus eſt. Juris ſcientiâ non multùm illi inferior Simon de Bononia anno MCCCCXLV: ſtirpis nobilitate propè pares Philippus de Aragonia Ferdinandi Regis nepos anno MCCCCLXXIV, & Petrus de Fuxo anno MCCCCLXXXV. Fuit etiam & pur-

purâ & Proregis dignitate in Regno Neapolitano nobilis anno MDXI Franciſcus *de Nelvenſe*: tum multi Cardinales, Thomas de Vio ſumma eruditione clarus anno MDXIX; Petrus de Aragonia anno MDXLV; Joannetinus Doria anno MDCVIII ex Melphienſium Principum Domo. Dum Panormi lues anno MDCXXIV graſſaretur in monte, cui Peregrino cognomen eſt, Roſaliæ virginis corpus lapide incluſum effoſſum eſt, quod ut in urbem illatum fuit, vis continuò morbi omnis reſedit. Roſaliæ nomen in ſacrarum Virginum album adſcribi voluit Urbanus VIII Summus Pontifex. MESSANA.

CAPUT VI.

Meſſana.

MESSANA inter Siculas urbes civium multitudine, Academiâ, portu nobiliſſima eſt ad fretum Mamertinum & Pelorum promontorium condita in ea Inſulæ parte, quæ Siciliam reſpicit. Ut cæterarum urbium, ita ipſius exordia & obſcura ſunt & corrupta fabulis. *Zancle* olim dicta fuit, ut autor eſt Strabo. Primùm habitata eſt ab Cumæis opicis deinde à Chalcidenſibus, tum à Samiis, pòſt à Meſſeniis, qui Mamertinorum nomen, quaſi à Marte oriundi eſſent, ſibi adſciverunt. Ii à Carthaginenſibus cùm ſibi metuerent, Romanos auxilio evocarunt: unde Romanos inter & Carthaginenſes bellum exarſit. Sed hæc nihil ad nos. I. Meſſana quos habuit incolas.

De origine Meſſanenſis Epiſcopatus triplex opinio eſt. Alii eam dignitatem repetunt à D. Paulo, à quo Bacchylum ordinatum Epiſcopum volunt. Ita plerique omnes Meſſanenſes Hiſtorici, ut Laſcaris, Bonfilius, &c. Alii id tribuunt B. Petro, à quo Antiochiâ in Siciliam miſſi ſunt, ut illis quidem placet, Martianus Syracuſas, Pancratius Tauromenium, Meſſanam Bacchylus, & alii aliò. Sunt etiam qui ad Leonis I tempora id rejiciunt, ipſiuſque Leonis in eam rem autoritatem adhibent: cujus epiſtolâ quartâ ad omnes Siciliæ Epiſcopos verba ſunt hæc: *Hac autem quæ inſpirante Domino* II. Quando ibi inſtitutus Epiſcopus.

MESSANA. *vobis inſinuanda credidimus per fratres & Coëpiſcopos noſtros Bachyllum & Paſchaſinum ad veſtram volumus notitiam pervenire.* Ex quibus ita argumentari licet: Bachyllus inter Epiſcopos Meſſanenſes principem locum obtinet, ut reſtes ſunt Scriptores omnes tum Meſſanenſes, tum Siculi: geminum verò Bacchylum fuiſſe, à nemine uſquam proditum eſt; unde ſimile vero fit Bacchyllum, qui Leoni I ætate ſuppar erat, (idem enim & Bachilli & Bacchylli nomen eſt) primum fuiſſe Meſſanæ Epiſcopum. Hæc ferè Pyrrhus, quæ veráne ſint, an ſecus, aliorum ſit judicium.

III. Epiſcopi inter Meſſanenſes falsò adſcripti.

Duo mihi hoc loco præſtanda ſunt. Primum, repudiandi ii, qui inter Meſſanenſes Epiſcopos temere adſcripti ſunt; deinde è Meſſanenſibus clariſſimi quique appellandi. Cùm enim literarum appellatione affinia ſint hæc, *Meſſanæ, Meſſeniæ, Maſſæ & Miſeni* nomina; inde factum ut à Meſſanenſibus patriæ ſuæ ornandæ ſtudio inter Meſſanæ Epiſcopos contra Hiſtoriæ fidem allecti ſint multi, qui vel Meſſeniæ fuerunt in Achaïa, vel Miſeni in Campania, vel Maſſæ in Thuſcia Epiſcopi. Ita Eleutherius falsò & ab Inchoffero cum Bacchyllo confuſus, & à Piccolo inter Martyres Meſſanenſes, & ab aliis inter Epiſcopos Meſſanenſes annumeratur, qui vel Miſeni in Campania paſſus eſt, ut Maurolycus ipſe tradit; vel Meſſapiæ in Apulia non procul à Tarento, ut Baronio placet; vel in Illyrico, ut Græci volunt. Ita etiam Alexander ille, qui Sardicenſi Synodo ſubſcripſit, non Meſſanæ, ſed Meſſeniæ, quæ Achaïæ civitas erat, fuit Epiſcopus, teſte Athanaſio, qui regiones unde venerant Epiſcopi dum recenſet, Achaïam quidem appellat, Siciliam non item. Unde in Synodo nunc legere eſt, *Alexander ab Achaïa.* Gravior etiam eorum error eſt, qui Meſſanenſibus vindicant Joannem Meſſenæ Epiſcopum; cujus nomen in Calchedonenſi Synodo legitur. Prima enim actione ita ſubſcripſit: *Ioannes Meſſenæ Epiſcopus civitatis provinciæ Achaïæ, & Helladis*; & in epiſt. 38 ad Leonem Imperatorem inter Epiſcopos Corinthi Metropolitano contributos appellatur. Nec etiam Meſſanæ, ſed Miſeni Epiſcopus fuit Peregrinus ille, qui cum Ennodio Ticinenſi ad Anaſtaſium Imperatorem ab Hormiſda miſſus eſt: quod ex inſcriptione epiſtolæ

præfixa

præfixa diſcere licet. *Epiſtola B. Hormiſdæ Papæ ad Anaſtaſium per Ennodium Ticinenſem & Peregrinum Miſenatis in Campania Epiſcopos.* MESSANA.

Meſſanenſium verò Epiſcoporum, de quibus nulla inter eruditos controverſia eſt, nomina ſunt hæc: Bacchylus, ſive Pauli Apoſtoli diſcipulus fuerit, ſive multò pòſt Leonis I ætate vixerit. Deinde Eucarpus anno D, qui Synodis tertiæ & ſextæ ſub Symmacho adfuit. Idémne, an alter fuerit is, cui à Pelagio II anno DLXXX Catanenſem Eccleſiam viſitare juſſus eſt, aliis aliter videtur: ego alterum ab altero diverſum putem. Tum Felix anno DXC, ad quem extant multæ Gregorii epiſtolæ, quem temere, niſi falſus ſum, in duos Felices diſtraxit Piccolus. Pòſt Donus, cui honorem Pallii indulſit Gregorius Magnus: illum Miſenatem fuiſſe, ſed falsò Pyrrhus ſuſpicatur. Tum Benedictus, cujus hæc eſt in actione quarta ſextæ Synodi ſubſcriptio: *Benedictus Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Meſſanenſis provinciæ Siciliæ.* Denique Gaudioſus, qui in ſeptima Synodo ita ſubſcripſit: *Gaudioſus Epiſcopus Meſſanæ Siculus.* Sub hæc Saraceni Siciliam invadunt, multiſque in urbibus creari Epiſcopi deſiti: Meſſanenſium deinceps alia ab aliis produntur nomina. At Meſſanæ fuerint, Meſſeniæ, an Miſeni, incertum eſt. Unius Gregorii Meſſanenſis in octava Synodo mentio fit, à quo ita ſubſcriptum eſt; *Gregorius Epiſcopus Meſſinæ.* IV. Epiſcopi Meſſanenſes.

Anno circiter MLX à Northmannis Roberto & Rogerio fratribus contra Saracenos in Sicilia pugnari cœptum eſt. Sæpe per viginti plus minùs annos Felici ut plurimùm exitu dimicatum. Sub belli initia Meſſana à Rogerio capta eſt; anno MLXXXI Panormus à Roberto tandem expugnata. Hanc ditionis ſuæ voluit eſſe Robertus, reliquam Inſulam fratri Rogerio Comitatûs titulo permiſit. Tum ad Chriſtianam pietatem inſtaurandam ſummo ſtudio incubuit Rogerius: primùm Troïnæ, quod non procul à Meſſana oppidum eſt, inſtituit Epiſcopum, cui ut Rimecta, ut Mileſium, &c. ita etiam Meſſana contributa eſt. Deinde ex Urbani II conſenſu Meſſanam, quæ & antiquitate & civium multitudine Troïna potior erat, ſedem Epiſcopi anno MXCVI Rogerius tranſtulit. V. Epiſcopus ex Troïna Meſſanam tranſlatus.

MES-SANA. VI. Non fuit metropolis ante Anacletum.

Primus Epiſcopus fuit Robertus Rogerii Comitis affinis, cui ſuffectus eſt Goffredus, Goffredo Willelmus anno MCXX. cujus hæc eſt ſubſcriptio: *Ego Willelmus Meſſanenſium & Troïnenſium tertius Epiſcopus.* Hunc excepit anno MCXXIX Hugo ille, qui Archiepiſcopi & appellationem & decus ab Anacleto adeptus eſt; nec enim antea Meſſanenſes Præſules Archiepiſcopi nomen ſibi adſciverant. Quam in rem, ut à pluribus abſtineam, ſatis erit duo exempla ſubjicere. Primùm, dum Panormi Rogerius Regni ſuſcepit inſignia anno MCXXIX, multi aderant tum Archiepiſcopi, tum Epiſcopi: ordine quiſque ſuo recenſetur, & inter meros Epiſcopos Meſſanenſis appellatur, *Ioannes Carinenſis Epiſcopus, Hugo Meſſanæ Epiſcopus.* Alterum erit hujuſmodi: Cùm Panormus ab Anacleto facta eſt metropolis, erant tum in Sicilia præter Panormitanum Epiſcopi omnino quinque, Syracuſanus, Mazarienſis, Catanenſis, Agrigentinus, & Meſſanenſis: jubet Anacletus, ut tres Epiſcopi ſubſint Panormitano, Syracuſanus, Agrigentinus, & ex Catanenſi vel Mazarienſi alteruter. Unde ſi tum Meſſanenſis fuit Metropolita, qui ipſi pareret Epiſcopus in Sicilia, nullus erat. Præterea Meſſanenſem inter meros Epiſcopos rejicit Anacletus, cujus hæc ſunt: *Tuis porrectis petitionibus annuentes concedimus Panormitano Archiepiſcopo, ejus ſucceſſoribus, & Panormitanæ Eccleſiæ conſecrationes trium Epiſcoporum Siciliæ, videlicet Syracuſani, Agrigentini, & Mazarienſis vel Catanenſis ... de reliquis verò duobus pleniori noſtro conſilio reſervamus.*

VII. Fit metropolis ab Anacleto.

Sub hæc Anacletus, quò plures ſuis partibus conciliaret Epiſcopos, ut Panormum, ita Meſſanam juſſit eſſe Metropolim, duoſque, quibus Meſſanenſis præeſſet, inſtituit Epiſcopos, Liparitanum & Cephaludenſem: quod conſtat ex duobus ipſius diplomatibus, quorum alterum eſt ad Liparitanos, ad Cephaludenſes alterum. Quia utrique eadem ſubeſt ſententia, unius tantùm verba deſcribere ſatis erit; *Statuimus, ut jam dictum Liparitanum Cœnobium epiſcopalem deinceps obtineat dignitatem, & proprium mereatur Antiſtitem, qui per manus venerabilis fratris noſtri Meſſanenſis Archiepiſcopi munera conſecrationis accipiat, & Meſſanenſis Eccleſiæ, quam ipſe, tam ſucceſſores illius, tanquam ſuæ metropoli debeat perpe-*

tuò ſubjacere. Ab ea tamen dignitate paulò pòſt excidit Hugo Meſſanenſis Innocentii II & Synodi Lateranenſis decreto, anno MCXXXIX, quod eſt hujuſmodi: *Ad hæc, ordinationes factas à Petro Leonis & aliis Schiſmaticis & hæreticis evacuamus, & irritas eſſe cenſemus.* Unde qui Hugoni ſublecti ſunt Gauffridus, Robertus II, Arnaldus, Robertus III, interdum quidem *Archiepiſcopi*, ſed *Epiſcopi* ſæpius appellantur. Et Eugenius III, dum Roberti III deſcribit diœceſim, & illum vocat Epiſcopum, & Suffraganeorum non meminit. MESSANA.

Reſtituta tamen aliquantò pòſt ab Alexandro III anno MCLXX Epiſcopo Meſſanenſi Archiepiſcopi appellatio, & dignitas: unde huic ſedi qui tum præerat Nicolaus, ſæpe ſubſcripſit, *Nicolaus Dei gratiâ ſacroſanctæ Meſſanenſis Eccleſiæ primus Archiepiſcopus.* Et, *Nicolaus nutu Dei Meſſanæ Archiepiſcopus primus.* Jura etiam metropolitica rata eſſe juſſit Lucius III, ſcripto ad Pactenſem & Cephaludenſem Epiſcopos diplomate: *Lucius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Pactenſi & Cephaludenſi Epiſcopis. .... Ideo fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus venerabili fratri noſtro R. Meſſanenſi Archiepiſcopo reverentiam debitam & obedientiam impendatis.* VIII. Denique ab Alexandro III.

Inter Archiepiſcopos hi potiſſimùm memorantur: Berardus anno MCXCVI, qui adverſus Legatum Innocentii III Marcwaldo adhæſiſſe dicitur; Joannes Columna Romanus ex Dominicano Ordine anno MCCLV doctrinæ & pietatis famâ clariſſimus; Reginaldus de Leontino item Dominicanus, qui Thomam Aquinatem in ſuum Ordinem adſciverat, ſub quo Galli à Siculis nullo vel ætatis vel ſexus diſcrimine necati ſunt, de quo actum eſt ſuperiùs. Clara etiam Dionyſii de Murcia anno MCCCLX eruditio, & Nicolai Caraccioli nobilitas. Duo ſubinde ſacrâ purpurâ inſignes; alter Innocentius Cibo Leonis X ex ſorore nepos anno MDXXXVIII, alter Joannes Andreas de Merentio anno MDLI. IX. Archiepiſcopi Meſſanenſes.

Mmm ij

CAPUT VII.

Mons-Regalis.

I. Montis-Regalis civitas, à quo condita.

DE Monte-Regalenſi Archiepiſcopo eò breviores erimus, quò recentior illius inſtitutio eſt. Ante Guillelmum II ignobile oppidulum erat: hoc tantùm nomine celebre, quòd cùm colli impoſitum eſſet amœniſſimo, unde in Panormitanam planitiem omnem, & in mare, quo Sicilia alluitur, proſpectus paret, eò Siciliæ Reges animi levandi causâ, itare interdum ſolerent: quod ſæpiùs quàm cæteri cùm factitaret Guillelmus II, ibi Cœnobium extrui juſſit anno MCLXVII. Baſilica, quæ B. Virgini ſacra erat, primùm D. Mariæ Novæ, deinde D. Mariæ Regalis dicta eſt: unde urbs poſtea nomen ſortita eſt. E Monaſterio Cavenſi evocati Monachi, quíque illis præeſſet, Abbas Theobaldus. Nihil juris Panormitano Metropolitæ in eum Abbatem datum eſt; ſed uni Romano Pontifici anno MCLXXIV ab Alexandro III parere juſſus, modò Romanæ Sedi ſingulis annis centum tarenós penderet.

II. Fit metropolis.

Intra paucos annos ornatum & epiſcopali & metropolitana dignitate hoc oppidum eſt. Qui enim primus Abbas Theobaldus, idem & Epiſcopus fuit anno MCLXXVI, ut in diplomate Epiſcopi Mazarienſis legere eſt, quíque illum excepit Guillelmus anno MCLXXVIII Metropolitani dignitatem à Lucio III adeptus eſt, cujus hæc ſunt verba: *Te itaque venerabilis in Chriſto frater Guillelme, in ejuſdem loci Archiepiſcopum noſtris tanquam B. Petri manibus conſecramus, & Pallii dignitate ſtatuimus decorandum.* Ipſique parere jubet Catanenſem Epiſcopum: *Epiſcopatum Catanenſem ...., tibi tuiſque ſucceſſoribus ſicut propriis Archiepiſcopis metropolitico in perpetuum jure conſtituimus ſubeſſe.* Additus etiam haud multò pòſt vel ab ipſo, vel à Clemente III anno MCLXXXVIII Syracuſanus. Moris erat, ut uterque Monte-Regalenſi fidei ſacramentum præſtaret, cujus formula eſt hujuſmodi: *Ego N. Catanenſis Epiſcopus ab hac hora inantea*

ſidelis ero & obediens S. Montis-Regalis Eccleſiæ, & Domino meo N. Dei gratiâ venerabili ipſius Eccleſiæ Archiepiſcopo, & illius ſucceſſoribus canonicè intrantibus. MONS-REGALIS.

III. E nobilibus tum Italiæ, tum Hiſpaniæ familiis orti ſunt multi Monte-Regalenſes Archiepiſcopi, ut Napolion de Urſinis anno MCCCXXV, Emmanuel Spinola anno MCCCXXXVIII, Joannes Borgia anno MCCCCLXXXIII Alexandri IV nepos, & Cardinalis Alfonſus de Aragonia anno MDV, Henricus de Cardona anno MDXII, Hyppolitus Medicæus anno MDXXXII, Alexander Farneſius anno MDXXXVI; ille Leonis X, hic Pauli III nepos; uterque Cardinalis. Archiepiſcopi.

CAPUT VIII.

Epiſcopatus Siciliæ.

I. DE Siciliæ Epiſcopatibus nonnihil hoc loco ſubtexere libitum eſt; ne quis fortè nonnullos mihi excidiſſe putet, ſi eorum hîc nomina non legerit, quorum tamen frequens & in Synodis & in epiſtolis Pontificum mentio eſt; illorum verò triplex claſſis inſtitui poteſt. Sunt enim oppida, quibus ſuus olim præerat Epiſcopus, nunc alteri contributa. Illius generis ſunt, *Tauromenium*, *Triocala*, *Leontium*, *Lilybæum*, *Tyndaris*, *Thermæ*; & ſi Leoni Sapienti credimus, *Drepana & Aleſa.* Sunt quæ ut aliàs, ita etiam noſtra ætate proprium habent Epiſcopum, ut *Catana*, *Syracuſæ*, *Agrigentum*, *Melita*: hujus enim inſulæ Epiſcopus Panormitano ſubeſt. Alii etiam Epiſcopatus poſt ejectos è Sicilia Saracenos à Northmannis Principibus inſtituti ſunt, ut *Pactenſis*, *Cephaledenſis*, *Mazarienſis & Liparitanus.* De ſingulis pauca hîc delibare ſatis erit. Epiſcopatuũ Siciliæ triplex claſſis.

II. Tauromenium inter Pelorum & Pachynum promontorium ſupra montem Taurum viſitur: unde *Tauromenii* nomen oppido inditum. Civibus olim frequens erat, ob loci naturam; nunc pauci incolæ. Inter Epiſcopos principem locum obtinet ſanctus Pancratius, beati Petri, ut perhibent, diſcipulus. Photius Zachariæ Tauromenirano, qui ipſius Tauromenium.

SICILIÆ EPISCOPATUS. ſtudebat partibus, Archiepiſcopi nomen indulſit, de quo ſuprà egimus.

III. Triocala. Triocala à loco, ubi condita eſt, ut Tauromenium nomen accepit, monti in ora Auſtrali impoſita. Tria, ut ferunt, poſſidebat bona, perennes aquæ dulcis ſcaturigines, agrum feraciſſimum & inacceſſa hoſtibus mœnia. Triocalenſium Epiſcoporum mentio fit tum apud Gregorium Magnum lib. 9 epiſt. 45, tum in Synodis ſexta & ſeptima.

IV. Leontium. Leontium ad oram inſulæ Orientalem Catinam inter & Syracuſas media. SS. Neophytus & Rhodippus Epiſcopi perhibentur. Synodis adfuerunt & ſanctus Lucianus Lateranenſi ſub Martino I, & ſecundæ Nicænæ Conſtantius, & aliis alii.

V. Lilybæum. Lilybæum, urbs olim ſplendida, vicino promontorio nomen fecit. Perceleбris memoria eſt Paſchaſini Lilybetani Epiſcopi, cujus doctrina, pietas, prudentia in Concilio Calchedonenſi enituit, dum Leonis I vices ageret. Cujus rei cùm infiniti teſtes ſunt, tum acta Concilii, tum variæ ipſius Paſchaſini ſubſcriptiones, unam appingere ſufficiat: *Paſchaſinus Epiſcopus Eccleſiæ Lilybetanæ vice beatiſſimi atque apoſtolici univerſalis Eccleſiæ Papæ urbis Romæ Leonis ſanctæ Synodo præſidens in Dioſcori damnationem conſenſu univerſalis Concilii ſubſcripſi.*

VI. Tyndaris & Thermæ. Tyndaris inter Milen & Pactas ſita eſt. Severini & Euticii Tyndaritanorum Epiſcoporum Gregorius lib. 10 epiſt. 60 meminit. Thermæ erant in Sicilia urbes duæ; quarum utrique *Thermæ* nomen fuit: altera *Thermæ Selinuntiæ*; non procul à mari Libyco; altera *Thermæ Himerenſes* ad oram Thyrreni maris: illa nunc *Sacca* vulgò dicitur; hæc *Termine.* Alterutri fuit olim Epiſcopus; in Synodo enim ſexta Joannes, in ſeptima Georgius *Thermitanus* appellatur; utri, incertum.

VII. Drepana & Aleſa. Leo Sapiens in ſua Diatypoſi inter Epiſcopatus Siciliæ duos recenſet, quorum præterea nuſquam extat veſtigium. Alter eſt Drepanæ, quæ urbs eſt maritima ad Ericum montem: alter Aleſæ, quod in ora boreali oppidulum eſt. Poſt occupatam à Saracenis Siciliam in his omnibus urbibus creari Epiſcopi deſiti ſunt, & à Northmannis poſt exactos Sara-

cenos non reſtituti: ſed hæc oppida vicinis Epiſcopis contributa, ut Tauromenium Meſſanenſi, Syracuſano Leontium, Lilybæum Mazarienſi, & alia aliis. SICILIÆ EPISCOPATUS.

Ex antiquis Siciliæ Epiſcopatibus ſuperſunt omnino quinque, *Panormus*, *Meſſana*, utraque facta metropolis, *Syracuſæ*, *Catana*, & *Agrigentum*, qui meri etiam nunc ſunt Epiſcopatus. De his quod addam, nihil ferè eſt: dictum enim eſt à nobis ſuperiùs, qua ratione Syracuſanus & Catanenſis Epiſcopi ex Patriarchæ Græci conſenſu, ſive Archiepiſcopi, ſive Metropolitani titulum ſibi adſciverint. *Catana* Ætnæ montis, cui vicina eſt, incendiis nobilitata. Syracuſæ, Inſulæ totius olim caput, ea magnitudine fuit, ut quatuor complexa partes, *Ortygiam*, *Acradinam*, *Tychen* & *Neapolim*, ad CLXXVIII ſtadia, ſi Thucydidi adhibenda fides, excurreret. *Agrigento*, quod in ora Auſtrali conditum eſt, à fluvio, quo alluitur, nomen inditum. A Rogerio Comite pulſis Saracenis partim revocati ſunt, partim reſtituti Epiſcopi. Idem præſtitum eſt à Rogerio in Melita inſula, ubi Publius à D. Paulo, quem hoſpitio benignè exceperat, ad fidem eruditus, Epiſcopus olim conſecratus erat. VIII. Syracuſæ, & Catana, & Agrigentum.

Quatuor à Northmannis ſedes Epiſcoporum inſtitutæ, *Cephaledii*, *Pactis*, *Mazaræ*, *Liparæ*. Quo tamen tempore Cephaledium Epiſcopum habere cœperit, incertum: Cephaledenſis enim Epiſcopatus meminit Leo Sapiens. Fuit etiam in octava Synodo Cephaledenſis Epiſcopus, qui pro Ignatio adverſus Photium ſtetit. Utut eſt, ab Anacleto pſeudo-Pontifice, ut dictum eſt, & Cephaledii & Pactis impoſiti Epiſcopi. Pactenſi Lipara, quæ inter Æolias inſulas maxima eſt, parere juſſa: unde Epiſcopus & *Pactenſis* & *Liparitanus* dictus eſt: donec anno MCCCXCVI, quòd Pactæ Siciliæ Regibus, Lipara Neapolitanis ſubeſſet, hic Epiſcopatus à Bonifacio IX in duos diſtractus eſt, ſuuſque cuique datus Epiſcopus. Mazara à fluvio cognomine ſic dicta: Rogerii Comitis primùm regia fuit, deinde decreto Urbani II Epiſcopi ſedes. IX. Cephaledium, Pactæ, Liparæ, Mazaræ.

Sunt itaque in Sicilia Metropolitani tres, *Panormitanus*, *Meſſanenſis* & *Monte-Regalenſis*: Epiſcopi ſex, & in vicinis inſulis duo, *Melitenſis* & *Liparitanus*: tres parent Panormitano X. Quibus Metropolitanis ſinguli Epiſcopi pareant.

MONARCHIA SICULA. Metropolitæ, *Agrigentinus*, *Mazarienſis* & *Melitenſis*: Meſſanenſi totidem, *Cephaledenſis*, *Pactenſis* & *Liparitanus*: duo Monte-Regalenſi, *Syracuſanus* & *Catanenſis*.

CAPUT IX.

Monarchia Sicula.

NON eſt animus hoc loco diſputate multis, juréne, an injuriâ, Monarchia Sicula inſtituta ſit. Id enim noſtri nec juris eſt, nec otii; ad quod id pertineat, ii viderint. Hoc unum nobis propoſitum eſt explicare paucis, à quo, quando, quâve ratione hæc Monarchia invecta ſit: quid poteſtatis & juris in Siculas Eccleſias & Romano Pontifici detrahat, & conferat Hiſpano Regi. Plura de his qui avet ſcire, Baronium ad annum Chriſti MXCVII conſulat.

I. Quando invecta Monarchia Sicula. Anno MDXIII Joannes Luca Barberius, re, ut fama eſt, cum Ferdinando Rege communicata, antiqua, quæ ad Siciliæ Regnum pertinent, diplomata in unum volumen collegit, cui *Caput brevium* nomen factum eſt. In eo cùm multa Pontificum decreta congeſſit, tum illud Urbani II, quo de hîc agitur. Unde verò & alia omnia & iſtud acceperit, ne verbum quidem ullum præfatus eſt. Aliquantò pòſt anno MDXXVI dum bello ardet Europa propè omnis; edictum in Sicilia operâ *Advocati Fiſcalis*, ut dicitur, promulgatum eſt, quo vis & autoritas Monarchiæ addita, & liber ſub hæc prodiit in lucem, cujus inſcriptio *Monarchia*. Huic libello plerique omnes, qui Regi à Conſiliis erant, ſubſcripſerunt; tum miſſa in Hiſpaniam exemplaria duo: alterum ad Imperatorem Carolum, ad Conſilium Aragonenſe alterum. Quænam hujuſmodi decreti ſanciendi cauſa fuerit, paucis accipe.

II. Cur diploma Urbani II conſiderit. Dum Capuam Rogerius Comes anno MXCVII obſidet, Urbanus II pacis conciliandæ causâ in caſtra ſe contulit: ſed re infecta primò Beneventum, deinde, Capuâ deditâ, Salernum ad Rogerium acceſſit, ut refert Gaufridus Monachus. Paulò antè Robertus Ticinenſis Epiſcopus Legati

in

in Sicilia obire munus ab Urbano juſſus erat: quod cùm ægrè eſſe Rogerio animadvertiſſet Pontifex, ipſi viſum eſt è re Chriſtiana fore, ſi hanc dignitatem deferret ipſi Rogerio, cujus ſumma & in Deum pietas erat, & in Sedem Romanam reverentia. MONARCHIA SICULA.

III. Urbani II diploma.

Verba diplomatis, veri, an ficti, quæ hîc appingere non abs re fuerit, ſunt hæc: *Idcirco de tuæ probitatis ſinceritate plurimùm confidentes, ſicut verbis promiſimus, ita literarum autoritate firmamus: quòd omni vitæ tuæ tempore, vel filii tui Simonis, vel alterius, qui legitimus tui hæres extiterit, nullum in terra poteſtatis veſtræ præter voluntatem aut conſilium veſtrum Legatum Romanæ Eccleſiæ ſtatuemus: quinimò quæ per Legatum acturi ſumus, per veſtram induſtriam Legati vice cohiberi volumus... Si verò celebratur Concilium, & tibi mandavero quatenus Epiſcopos & Abbates tuæ terræ mihi mittas, quos & quot volueris mittes, alios verò ad ſervitium Eccleſiarum tuarum retineas.*

IV. Quid hoc diplomate Rogerio Urbanus indulſerit.

In hoc diplomate tria præter morem Rogerio indulſit Pontifex, ut cuivis intelligere eſt. Unum, quoad viveret Rogerius, illiuſque ſive filius Simon, ſive alter hæres illius legitimus, ne Legatus in Siciliam præter ipſorum voluntatem mitteretur. Alterum, ut Legati munere fungerentur cùm ipſe Rogerius, tum is, qui ipſum exciperet. Tertium, ut ſi quando Pontifex Epiſcopos evocet ad Synodum, ipſe quot & quos libuerit, mittat. Quartum, quod rei caput eſt, addit Gaufredus: ſi qua, ut fit, exoriatur cauſa, quæ ad Romanæ Sedis jura pertineat, integrum ſit Pontifici, tum in Calabriam, tum in Siciliam mittere, qui ipſius nomine, rem qua de agitur, ex Epiſcoporum conſilio definiat. Hæc diplomatis Urbani, ut ex Gauffrido colligitur, ſumma eſt: at illud quod quarto loco recenſui, ſive caſu, ſive per fraudem detractum ex diplomate excidit.

V. Quæ jura ſibi vindicent Reges Siciliæ.

Quæ verò ex iſto Urbani decreto ſibi vindicant Siciliæ Reges, hæc ferè ſunt. Primùm, Reges in Sicilia & Legatos eſſe Summi Pontificis, ipſiſque fas eſſe Legatorum obire munera. Deinde, Regis eſſe de iis cauſis cognoſcere, quæ cæteris in regionibus ad Metropolitas Legatóſve pertinent: unde ſi quis quid ſceleris admiſerit, ſive laïcus, ſive Clericus, ſive Epiſcopus, ſive Metropolita, Regis eſſe illum vel

MONARCHIA SICULA.

propoſitâ pœnâ coërcere, vel à piorum etiam cœtu, ſi libitum ſit, prohibere. Tum Cardinales, dum verſantur in Sicilia, iiſdem ferè ac cæteri legibus Monarchiæ ſubeſſe. Pòſt, & Legatum Romani Pontificis vel admittere, vel repudiare, & vetare, ne quis ad Romanam Sedem appellet. Denique, penes Regem eſſe ſummam in juriſdictione eccleſiaſtica poteſtatem, niſi, ut vocant, *in caſu præventionis.*

VI. Argumenta Baronii.

Quæ in utramque partem à viris eruditis diſputata ſunt, non lubet hîc, ne longior ſim, proponere: ſatis habebo delibare paucis, cur Monarchiam illam Siculam cùm Baronius, tum alii reſpuant. Urbani igitur privilegium his potiſſimùm nominibus explodunt. I. Quòd Urbani diploma ad Rogerium ipſiuſque filios Simonem & Rogerium tantummodo pertineat, quorum ſtemma genuſque multis abhinc ſæculis periit. II. Quòd plurima etiam nunc extent Summorum Pontificum diplomata, quibus reſciſſa omnia, quæ Romanæ Sedis juribus quoquomodo adverſarentur. III. Quòd ab edicto Urbani, teſte Gaufrido Monacho, pars detracta ſit: quæ ſi reſtituatur, jam nulla erit monarchia. IV. Quòd hæc monarchia non ab Urbano II, ut vulgò creditum eſt, profecta ſit, ſed ab Anacleto Antipapa, qui ad ſuas partes Rogerium Rogerii Comitis filium ut alliceret, multa illi præter mores legeſque Eccleſiæ indulſit. V. Quòd poſt Rogerii Regis obitum Adrianus IV Willelmo ipſius filio, & aliquantò pòſt Innocentius III Conſtantiæ & Friderico II Siciliæ Regnum iis legibus permiſit, ut liceret & Siculis appellare ad Pontificem, & Pontifici Legatos in Siciliam mittere: præterea ut Romani eſſet Pontificis Siciliæ conſecrare Epiſcopos. Ita his temporibus, ut quis eſſet in Sicilia Epiſcopus, tria opus erant: electio Cleri, aſſenſus Regis, & *confirmatio*, ut dicitur, à Romano Pontifice; quæ rata in poſterum fore juſſit Fridericus II duabus bullis aureis, altera anno MCCXIII, altera anno MCCXIX. VI. Quòd ſapientiſſimi quique Siciliæ Reges his monarchiæ privilegiis nuſquam uſi ſint. VII. Quòd hæc monarchia in fœderibus inter Pontifices & Siciliæ Reges initis ſæpe reſciſſa fuerit, ut à Bonifacio VIII, cùm Friderico; ab Eugenio IV, cùm Alfonſo; à Pio II, cùm Ferdinando Alfonſi filio Regnum

Siciliæ conceſſerunt. Ab iis enim diſertis verbis cautum eſt, ut electiones Epiſcoporum ex canonum placitis fierent, Sediſque Romanæ jura in Siculas Eccleſias eſſent integra. VIII. Quòd multi poſt Urbanum II Romani Pontifices, ut apud ipſos Siciliæ Hiſtoricos legere eſt, in Siciliam Legatos miſerint, quorum in omnes Inſulæ Epiſcopos ſumma poteſtas erat, ut Innocentius III, ut Honorius III, Innocentius IV, & alii, quos appellare longum ſit. Eò ferè revocantur ea, quæ in eam ſententiam vulgò dici ſolent. Multa multi adverſus Baronii opinionem pro Regis Siculi juribus ſcripſerunt, & maximè Marcus Antonius de Dominis, qui hoc argumentum pluribus perſecutus eſt. Sed de rebus Siculis hactenus.

MONARCHIA SICULA.

DISSERTATIO SEXTA.

Sardinia.

SARDINIA maris Mediterranei inſula, Siciliæ magnitudine non inferior, ab ortu Tyrrhenum mare reſpicit & Siciliam, à qua ducentis millibus abeſt; à meridie Africo mari alluitur; à meridie mari Sardoo; à Corſica anguſto ſex milliarium freto disjungitur. A figura, quæ ſoleæ & ſandalio vel humano veſtigio perſimilis eſt, dicta eſt Græcis *Sandalion* & *Ichnuſa*. A Sardo Herculis filio, ut ferunt, *Sardiniæ* nomen ſortita eſt. Varios habuit incolas: eò enim, ſi Pauſaniæ credimus, appulerunt è Græcia Græci cum Ariſteio; deinde cum Norace Hiſpani; tum Theſpienſes cum Iolao; pòſt Trojâ exciſâ, Trojani, niſi quis hæc fabulis corrupta velit.

SARDINIÆ HISTORIA.

CAPUT I.

Brevis Sardiniæ hiſtoria.

I. Sardinia paruit Romanis.

SARDINIA primùm paruit Regibus, deinde in varios Principatus diſtracta eſt. Regulis ſingulis *Iudicis* nomen datum, quòd jura populis dicerent. Tum eò deductæ à Carthaginenſibus coloniæ, à quibus eorum imperium in omnem ferè Inſulam propagatum eſt: orto aliquantò pòſt Romanos inter & Carthaginenſes bello, Sardinia Carthaginenſibus erepta, factaque à Romanis Prætoria provincia eſt. Dum Octavius Cæſar de imperio contra Antonium dimicat, reſtituti ad breve tempus Judices: mox enim, ut rerum potitus eſt Auguſtus, ad Romanum rediit Imperium; huic adjuncta Corſica, utrique Præſes impoſitus.

II. Vandalis, Longobardis.

Hæc Sardiniæ adminiſtrandæ ratio fuit ad ann. CCCCLVI, quo à Genſerico Vandalorum Rege capta eſt, & multorum Epiſcoporum, qui ob Catholicam fidem ex Africa ejecti erant, exilio haud multò pòſt nobilitata. Anno CCCCLXVIII à Leone Imperatore recepta: deinde ſub Zenone, ut in Italiam irrupit Odoacer Herulorum Rex, Sardi, ne Barbaris iterum ſervire cogerentur, ſibi ex more antiquo præficiunt Judices, qui Herulorum arma ab Inſula prohiberent. Anno DXXXIV Sardinia à Beliſario perdomita, & Africanæ Præfecturæ contributa; datus tamen Inſulæ Præſes, ſed Africæ Proconſuli parere juſſus. Paulò pòſt à Totila Græcis erepta, continuò recuperata à Narſete; ſed Græci iterum anno DXCVI pulſi à Longobardis, qui anno DCCXXV à Saracenis ejecti ſunt, quos quinque annis pòſt Luitprandus Longobardorum Rex expulit.

III. Francis, Romanis Pontificibus.

Poſtquam verò Longobardorum in Italia Regnum concidit, Sardinia, ut reliqua penè Italia, venit in Francorum ditionem, moxque Romanæ Sedi à Ludovico Pio data eſt, cujus hæc verba ſunt in diplomate: *Et Inſulas Corſicam & Sardiniam, & Siciliam ſub integritate cum omnibus adjacentibus, &c.* Tum vel tres, vel quatuor, aliter enim aliis vide-

tur, Judices à Sardis electi ſunt, penes quos ſumma rerum omnium poteſtas eſſet: quatuor enim in partes deſcripta eſt Inſula, & ſuus cuique parti præfectus Judex; quod cùm ex multis colligere eſt, tum ex Gregorii VII epiſtola, cujus epigraphe eſt hujuſmodi: *Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Mariano Turrenſi, Honroco Arborenſi, item Honroco Callaritano & Conſtantino Gallurenſi Iudicibus Sardiniæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem.* Singulis à præcipua, cui præerat, Urbe nomen inditum. Turritanus plus poterat quàm cæteri, quia illius ditio & longiùs diffuſa erat, & feracior. Sunt qui hanc Inſulæ deſcriptionem ſub Zenone Odoacris metu factam velint, ut eſſent qui ſingulas Sardiniæ partes adverſus Herulos tutarentur. SARDINIÆ HISTORIA.

IV. Saracenis. Sub hæc, Calarim Mauri occupant, omnemque circà regionem: unde reliquam Inſulam vexare cœperunt. Sardi viribus impares vix eorum retundere impetus, & ſe ſuaque ægrè tueri: quare Romani Pontifices, primùm Joannes XVIII, deinde Callixtus II, penes quos ſummum Sardiniæ imperium erat, quò Sardis animos adderent, jubent, ut Sardiniæ deinceps inſigne ſit in campo rubro crux alba: deinde Piſanis, qui & in Italia Romanis Pontificibus, & in Oriente Chriſtianis ſæpe auxilio fuerant, Sardiniæ partem permittunt, ſi inde Mauros ejiciant. Continuò Piſani, junctis cum Sardis & Genuenſibus copiis, Mauris bellum inferunt: quater dimicatum eſt; toties victi Mauri, ultimoque prælio captus Muſatus illorum Princeps: unde in quatuor crucis albæ angulis quatuor Maurorum capita ſingula in ſingulis à Sardis addita ſunt, quæ apud poſteros eſſent victoriæ monimentum.

V. Piſanis. Pulſis è Sardinia Saracenis, reſtitutus eſt Calari Judex, parſque una Inſulæ ceſſit Piſanis, Genuenſibus altera; quos inter haud multò pòſt de principatu orta contentio eſt. Dumque quiſque ſua jura armis tuetur, Fridericus Imperator Gibellinorum Guelphorumque factiones longo intervallo revocat, fœdumque in modum lacerat Italiam. Illi adverſus Romanum Pontificem adhærent Piſani, & Galliæ Epiſcopos, quos ad Synodum Romam evocaverat Gregorius IX, captivos detinent: unde jus omne in Sardiniam à

SARDINIÆ HISTORIA. Gregorio illis ademptum. Subinde tamen bellum in Sardinia inter Genuenſes & Piſanos vario prælioꝛum exitu geſtum eſt, donec tandem Piſana res, quæ multis abhinc annis florebat, ſenſim concidit.

VI. Aragoniis. Secundùm hæc Sardinia anno MCCXCVII Jacobo Aragoniæ Regi à Bonifacio VIII data eſt. Cùm enim atrox eſſet & diuturnum de Sicilia bellum inter Neapolitanos Reges & Aragonios, hæc una utrique parti probata ineundæ pacis ratio eſt: ſi Neapolitano Siciliâ cederet Aragonius, Aragonio Sardiniâ & Corſicâ Pontifex. Duplex tamen Jacobo Aragonio ipſiuſque poſteris in ſingulos annos imperatum vectigal, alterum nummarium, militare alterum: primum, marcharum auri duo millia; ſecundum, centum cataphracti equites, pedites quingenti, ſi terreſtre bellum ingrueret; ſi navale, quinque naves milite, nautis armiſque inſtructæ. Miſſus paulò pòſt in Sardiniam à Jacobo Alfonſus filius, cui Sardi partim ſponte, partim metu fidei ſacramentum præſtiterunt. Cæteris deinceps Aragoniæ Regibus Sardinia paruit, quos omnes hoc loco ſigillatim appellare nihil attinet.

CAPUT II.

A quibus Sardi fidem Chriſtianam acceperint.

I. An ab Apoſtolis. EODEM, quo Siculi, vitio laborant Sardi Hiſtorici: quò enim ſuam ornent patriam, plura interdum & Sardis & Sardiniæ Epiſcopis tribuunt, quàm certa Hiſtoriæ fides patiatur. In illud enim omnium incubuit ſtudium, ut probent ſanctum Petrum Apoſtolorum Principem, beatum Paulum & Beatum Jacobum, cui Majoris nomen adhæſit, veniſſe in Sardiniam; ſanctum Clementem, qui Petri Apoſtoli Diſcipulus fuit, in Sardinia fuiſſe Epiſcopum: quæ quàm dubia ſint & incerta, nemo, opinor, non videt. SS. Petrum & Paulum Romam veniſſe conſtat: an verò eorum uterque, an alteruter Hiſpaniam Sardiniámve ex itinere petierit, obſcurum eſt. Nota ſunt, quæ de D. Jacobi in Hiſ-

pania prædicatione diſputari vulgò ſolent: qui, ſi Hieroſolymis ante diſperſos fidei prædicandæ causâ Apoſtolos cæſus eſt, ut viſum eſt Baronio, nec Hiſpaniam uſquam vidit, nec Sardiniam. Sed hæc, quæ meris ut plurimùm nituntur conjecturis, miſſa facio. A QUO SARDI FIDEM ACCEPERUNT.

De ſancto Clemente nec iis etiam aſſenſerim. Quî enim fieri tum potuit, ut Clemens à beato Petro inſtitutus ſit in Sardinia Epiſcopus; deinde repudiata ſede præter illius ætatis morem evocatus ſit Romam, ubi multò pòſt Romanum etiam Epiſcopatum adeptus eſt? Ubinam extat vel minimum hujus rei veſtigium? Cur tam illuſtre exemplum ad ſui defenſionem non adhibuit Formoſus Pontifex, nec qui pro illo ſcripſit. Si perſuaſum eſt multis Dionyſium Areopagitam inter Pariſienſes Epiſcopos vel eo nomine temere adſcriptum fuiſſe, quia Athenienſis erat Epiſcopus? Annon eadem de ſancto Clemente ratio eſt, qui nec Epiſcopus in Sardinia dicendus eſt, cùm Romanus poſtea fuerit Pontifex? Eò accedit, quòd nec ipſi inter ſe Sardi conſentiant Hiſtorici. Franciſcus de Vico Turritanæ ſedi præfuiſſe putat in ſexta parte *de la hiſtoria general de la Iſla y Reyno di Sardena;* Calaritanæ Joannes Fara in libro de rebus Sardois, & Salvator Vitalis Marenſis in Annalibus Sardiniæ, & Dionyſius *Bonfant* in Triumpho *de los Santos del Reyno de Sardena*, & Ambroſius Machinus in Defenſione Primatus Calaritani. Ego neutri ſedi præfuiſſe puto, quod, niſi mea me fallit opinio, verius eſt. II. An à S. Clemente,

Si minùs ab Apoſtolis, ab eorum ſanè diſcipulis Æmiliano, Bonifacio, aliiſque Sardi ad Chriſtianam fuerunt religionem eruditi, veramque fidem apud eos maximè floruiſſe teſtantur multorum & Sacerdotum & Virginum martyria. Omnium nomina hîc apponere infinitum ſit: ea ſi quis velit cognoſcere, Dionyſium *Bonfant* conſulat, qui eorum laudes pluribus perſecutus eſt. Epiſcopos, quorum vel pietas vel doctrina fuit apud poſteros celebris, ſatis mihi fuerit, prout poſcit inſtituti noſtri ratio, appellare. III. Ab Apoſtolorum diſcipulis.

CALARITANUS SARDINIÆ FUIT METROPOLITA.

CAPUT III.

An Calaritanus Epiſcopus olim fuerit totius Inſulæ Metropolita.

I. Calaris olim civilis Sardiniæ metropolis.

CALARIS, vulgò *Cagliari*, in ora Sardiniæ meridionalis verſus Africam ſita eſt: dicta olim à Græcis *Κάραλις*, & à Latinis *Caralis;* pleriſque etiam plurali numero *Carales*: quod ſæpius apud Livium, Hirtium & Priſcianum occurrit. Dicitur à Phœnicibus condita; deinde inſtaurata à Carthaginenſibus; pòſt capta direptaque à Romanis duce Tiberio Graccho. Inſulæ totius fuiſſe tum urbem nobiliſſimam produnt veteres Hiſtorici. *Sævitum in urbes*, inquit Florus, *urbemque urbium Calarim, ut gens contumax, viliſque mortis ſaltem deſiderio patrii ſoli domaretur.* Ita etiam Strabo & alii *primam Sardiniæ urbem* appellant. Inter Sardiniæ Hiſtoricos ſumma contentione diſputari ſolet, utrius, Calaritani, an Turritani Archiepiſcopi potior ſit in Inſula dignitas: de quo, ut ſcribam apertiùs, duo mihi præſtanda ſunt. Primum, Calaritanus, an Turritanus Epiſcopus fuerit olim totius Sardiniæ Metropolita. Alterum, poſtquam plures Metropolitæ eſſe cœperunt, uter eorum Primas fuerit. Quæ duo decora Calaritano adimit Franciſcus de Vico, à quo in hac parte diſſentio vehementer: totius enim Sardiniæ Calaritanus, ut noſtra ætate Primas eſt, ita & olim Metropolita fuit.

III. Calaritanus Metropolita fuit, quia ita appellatur à Patribus.

Calaritanum inter & Turritanum Epiſcopum hoc intereſt, quòd multa ſint & manifeſta veterum pro Calaritano teſtimonia; pro Turritano, quod ſciam, ne unum quidem. Lucifer ille Nicænæ fidei defenſor acerrimus, & Luciferiani poſtea autor ſchiſmatis, ut vulgò creditum eſt, Calaritanus, de quo apud omnes convenit, fuit Epiſcopus. Fuit idem, ſi Athanaſio, ſi Theodoreto, ſi Caſſiodoro credimus, Sardiniæ Metropolita: dicitur enim ab Athanaſio *Primariæ Sardiniæ urbis Epiſcopus*, & *Metropolitanus Epiſcopus Sardiniæ;* à Theodoreto & Caſſiodoro, *Metropolitanus inſularum Sardiniæ,*

Apol. contra Arian. & Ep. ad Solit. Hiſt. trip. c. 3.

diniæ, cum quibus conſentit ea, quæ tumulo Luciferi inſculpta eſt, inſcriptio, quæ unà cum ipſius corpore anno MDCXXIII effoſſa eſt. Eſt verò hujuſmodi: *Hîc jacet B. Luciferus Archiepiſcopus Calaritanus Primarius Sardiniæ & Corſicæ, Catholicus filius S. Romanæ Eccleſiæ. Vixit annos* LXXXI, *quievit die* XX *Maii.* Quæ etſi Luciferi ætate multò recentior eſt, ut ex verbis cuique intelligere licet, nonnullius tamen eſt ponderis.

CALARITANUS EPISC. FUIT SARDINIÆ METROPOLITA.

III. Præſtabat omnia Metropolitani munera.

At nihil eſt ad firmandam Calaritani Epiſcopi dignitatem robuſtius, quàm Gregorii Magni autoritas. Is enim, cùm ubique paſſim, tum iis, quæ mox ſubjiciam, locis, Metropolitani omnia jura Calaritanum Epiſcopum ſua ætate in omni Sardinia habuiſſe teſtatur. Jura verò Metropolitani, quod notum eſt omnibus, ſunt hæc: Epiſcopos ordinare, convocare Synodum, Clericis, ſi cui quid negotii ſit extra provinciam, dare formatas literas; Monialium, Xenodochiorum, Clericorum, paganorum, in omni provincia curam gerere; reos, ſi quid à quoquam peccatum ſit, pœnis coercere, & ejuſdem generis alia: quæ omnia præſtare, ut Arelatenſis Epiſcopi in Gallia, & in Hiſpania Hiſpalenſis; ita in Sardinia Calaritani fuit.

IV. Ipſius enim erat conſecrare Epiſcopos.

Quam in rem non plures producam Autores; ſed unus Gregorius nobis omnium inſtar erit. Ita enim lib. 5 epiſt. 29 ſcribit ad Januarium Calaritanum; *Pervenit ad nos in loco, qui intra provinciam Sardiniæ ſitus eſt, & dicitur Pauſanias, conſuetudinem fuiſſe Epiſcopum ordinandi .... Hortamur fraternitatem tuam, ut illum ſecundùm priſtinum modum ordinare feſtines, Antiſtitem talem videlicet*, &c. Quibus in verbis multa ſunt, quæ hoc loco annotare abs re non fuerit. Primùm, *Pauſanias* locus eſt in extrema Sardiniæ ora Corſicam verſus, ſex dierum itinere diſſitus à Calari; nuncque Amparienſi Epiſcopo, qui Turritani Suffraganeus eſt, contributus; unde conſequens eſt, nullum id temporis Turritanum fuiſſe Metropolitam: erat enim ipſius, ſi quis tum fuit, non Calaritani, hunc Epiſcopum ordinare. Deinde, unam Sardiniæ eſſe provinciam affirmat. Si verò una provincia fuit, unus etiam fuit Metropolita. Uter, an Turritanus, qui Gregorio teſte lib. 1 epiſt. 59 merus fuit Epiſcopus: *Marinianus*

CALARITANUS EPISCOPUS FUIT SARDINIÆ METROPOLITA.

ſiquidem Turritanæ civitatis frater & Coëpiſcopus noſter, &c. annon potiùs Calaritanus, cûjus fuit conſecrare Sardiniæ Epiſcopos, & qui à Gregorio lib. 1 epiſt. 47. Metropolita dicitur: *Januarius ergo metropoleos Calaris frater & Coëpiſcopus noſter veniens huc in Romam civitatem edocuit nos.* Præterea in hoc verbo, *Hortamur*, quo utitur Gregorius, nonnihil ineſt ponderis: nec enim quidquam indulget Januario; ſed ut morem priſtinum retineat, ut ſuo fungatur munere, cohortatur. Si quid præter jus morémve dediſſet Januario, eadem quæ ſæpe adhibet, verba uſurpaſſet, *Committimus, Delegamus*, &c.

V. Vocare Concilia.

Fuit etiam Calaritani Epiſcopi Sardiniæ Epiſcopos vocare ad Synodum; iiſque ſi in Italiam alióve proficiſcerentur, formatas dare literas. Quæ duo nos docet diſertis verbis Gregorius. Primùm, lib. 3 epiſt. 9 ad Januarium Calaritanum: *Epiſcoporum etiam Concilia, ſicut tam tuæ mos dicitur fuiſſe provinciæ, quàm quod ſanctorum canonum autoritate præcipitur, bis in anno celebrare volumus*, &c. Alterum lib. 7 epiſt. 8 indict. ſecunda, cujus hæc inſcriptio eſt: *Gregorius Innocentio, Mariniano, Libertino, Agathoni & Victori Sardiniæ Epiſcopis. Additur etiam, quòd ex vobis aliqui pro Eccleſiæ ſuæ emergentibus cauſis tranſmarina petentes ſine prædicti Metropolitani ſui cognitione vel epiſtolis, ſicut Canonum ordo conſtituit, audeant ambulare. Hortamur ergo fraternitatem veſtram, ut ... ab eodem Metropolitano veſtro ſecundùm indictam vobis regulam petere licentiam debeatis*, &c. Fuit igitur in Sardinia Metropolitanus, cui paruit Marinianus ille Sardiniæ Epiſcopus. Quid ſi Marinianus Turritanus fuit Epiſcopus, ut conſtat ex lib. 1 epiſt. 59, & ille Metropolita Januarius Calaritanus, ut certum eſt ex lib. 11 epiſt. 47: annon inde planum fit, Calaritanum & fuiſſe Metropolitam, & Turritano, ut cæteris Sardiniæ Epiſcopis, præfuiſſe?

VI. Curam gerere Monaſteriorum & Xenodochiorũ.

Quæ quò ſint illuſtriora, alia etiam ejuſdem Gregorii teſtimonia lubet attexere. Lib. 3 epiſt. 26, ubi multa Januario Calaritano præſcripſit, hæc ſubjicit: *Ea autem quæ fraternitati veſtræ ſcripſimus, cunctis ſub vobis Epiſcopis innoteſcite, quia ego illis ſcribere nolui, ne honorem veſtrum viderer imminuere.* Multi ergo Calaritano ſuberant Epiſcopi: cur non

itidem ac cæteri Turritanus, quem præ aliis quidpiam habuiſſe præcipui, ne minimum quidem apud antiquos Autores veſtigium eſt? Lib. 3 epiſt. 9 illius ad Januarium verba ſunt hæc: *Pervenit ſiquidem ad nos minùs te Monaſteriis ancillarum Dei in Sardinia ſitis tuitionis impendere, & cùm diſpoſitum à tuis prudenter fuiſſet deceſſoribus, ut quidam de Clero probati viri curam gerentes earum ſe neceſſitatibus adhiberent,* &c. Et lib. 11 epiſt. 59 ad Vitalem Defenſorem: *Comperimus Xenodochia in Sardinia conſtituta gravem habere neglectum: unde reverendiſſimus frater & Coëpiſcopus noſter Januarius vehementiſſimè fuerat objurgandus, niſi nos ejus ſenectus & ſimplicitas ..... ſuſpenderet.* Cur à Gregorio arguitur Januarius, ſi nihil ad ipſum ſive Xenodochiorum, ſive Monaſteriorum cura pertinebat? Cujuſnam verò fuit his rebus in provincia integra providere, niſi Metropolitani? Quibus ſubjungere libet epiſtolæ 11 lib. 7 inſcriptionem, in qua multi Metropolitani appellantur: *Gregorius Euſebio Theſſalonicenſi, Urbicio Dyrrhacitano, Conſtantio Mediolanenſi, Andreæ Nicopoli, Ioanni Corinthi, Ioanni primæ Iuſtinianæ, Ioanni Cretenſi, Ioanni Lariſſæ, Mariniano Ravennæ, Ianuario Calaritano Sardiniæ, & omnibus Epiſcopis Siciliæ.* Cùm omnes, quos hîc appellat Gregorius, Metropolitani fuerint, Januarium pariter fuiſſe, cur neget quis, nulla cauſa eſt. CALARITANUS EPISCOPUS FUIT SARDINIÆ METROPOLITA.

VII. In Synodis Metropolitam ſe inſcribit.

Nec pigebit nonnullas Calaritanorum Epiſcoporum ſubſcriptiones, unde idem etiam efficitur, appingere. In Synodo Arelatenſi ſub Conſtantino Quintius Calaritanus ita ſubſcripſit: *Quintius ex provincia Sardiniæ.* In Sardicenſi Protogenes, ſi tamen is Sardinienſis, non Sardicenſis fuit Epiſcopus, ſecundo loco ſubſcripſit; tertio in Lateranenſi ſub Martino I Deuſdedit; in ſexta Synodo Citonatus ante Primates Epheſi & Heracliæ in Concilii epiſtola ad Romanum Pontificem; qui ſubſcribendi ordo, ſi minùs ad rem facit, faciunt ſanè plurimùm ea, quibus uſus eſt, verba: *Citonatus indignus Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Calaritanæ inſulæ Sardiniæ pro me & Synodo, quæ ſub me eſt, ſimiliter ſubſcripſi.* Qui etiam Archiepiſcopi appellatione ab Imperatore cohoneſtatur, cujus hæc ſunt ad Synodum de Citonato verba: *Cùm Citonatus ſanctiſſimus Archiepiſcopus Sardiniæ inſulæ de qui-*

CALARITANUS METROPOLITA FUIT SARDINIÆ PRIMAS.

buſdam capitulis accuſatus ſit, &c. Haud aliter ab Epiphanio in ſeptima Synodo ſubſcriptum eſt: *Epiphanius tenens locum Thomæ Archiepiſcopi Sardiniæ*. Plura colligere nihil opus eſt: hæc ſatis ſunt ſuperque, ut vincamus Calaritanum Epiſcopum fuiſſe olim Sardiniæ Metropolitam, Turritanum non item. Si enim Metropolita Turritanus, quî fieri potuit, ut nullum in Conciliis, nullum apud veteres Scriptores extet dignitatis illius indicium? unde illa tot veterum conſenſio? ut ab omnibus Metropolita appelletur Calaritanus, qui non erat; à nemine, qui erat, Turritanus?

CAPUT IV.

An Calaritanus Epiſcopus ſit Primas Sardiniæ.

I. Quis ſit Primas.

QUI uni præeſt provinciæ, *Metropolita*; qui pluribus, *Primas* dicitur. Dum Inſula Sardiniæ una provincia fuit, paruit Calaritano *Metropolitano*: in plures poſtquam diſtracta eſt; illi utrum paruerit, ut *Primati*, nunc quærimus. Tot ſunt provinciæ, quot Metropolitani: in Sardinia Metropolitani tres, *Calaritanus*, *Turritanus*, *Arborenſis*. Totidem igitur ſunt provinciæ. De tempore, quo Turris Libiſſonis & Arborea factæ ſunt metropoles, aliter aliis videtur. Sunt qui ab anno DXVII id repetant; alii ad annum vel DCCC vel M, id rejiciunt. Sed hæc paulò pòſt viderimus: hoc enim ad rem, qua de agimus, nihil pertinet.

II. Epiſcopus Calaritanus appellatur Primas à Victore III.

Anno MLXXXVII & Arboreæ & Turri erant Metropolitæ, ut apud omnes in confeſſo eſt. Jam tum Calaritanum Epiſcopum Sardiniæ *Primatem* fuiſſe teſtis eſt Victor tertius in diplomate, cujus hæc inſcriptio eſt: *Victor ſervus ſervorum Dei Iacobo Calaritano, cæteriſque Archiepiſcopis & Epiſcopis Sardiniæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem.* Diplomatis verba ſunt hæc: *Quidam ex veſtra Inſula ad nos venientes, Eccleſiarum veſtrarum penè collabentium ſtatum nobis expoſuerunt, quæ meritò ita indigno animo tulimus, ut quaſi ad procedendum contra illarum Epiſcopos compulſi fuerimus, præcipuè contra fraternitatem tuam, frater Archiepiſcope, qui Primas es*

dicta Inſulæ, cui majora Eccleſiarum negotia deferenda ſunt. Erant tum in Sardinia Archiepiſcopi multi; non alii ſanè, quàm Turritanus & Arborenſis: iis præerat Calaritanus; ergo Inſulæ Primas erat.

CALARITANUS METROPOLITA FUIT SARDINIÆ PRIMAS. III. Ab aliis Pontificibus.

Eumdem *Primatis* titulum Calaritanis Archiepiſcopis detulerunt alii poſteà Pontifices: Calixtus III. anno MCCCCLVI: Alexander VI anno MCCCCXCVI: Pius V anno MDLXIX, à quo ſancitum eſt, ut Calaritani Primatis ſit definire, cujus ſint ſpolia, ut dicitur, ubi quis in Sardinia obiit, ſive Epiſcopus, ſive Metropolita: *Tibi tanquam Archiepiſcopo Primati dicti Regni & Metropolitano pariter committimus.* Et anno MDLXXII, quo Archiepiſcopus Arborenſis deceſſerat: *Tibi tanquam Sardiniæ & Corſicæ Primati præcipimus.* Eò etiam ſpectat Sixti V anno MDLXXXV diploma: *Fraternitati tuæ, frater Archiepiſcope, cui ut Primati Sardiniæ dictorum ſpoliorum defenſio competit, præcipimus.* Extant in eamdem rem & Clementis VIII & Pauli V diplomata, quæ quia eadem propè verba adhibent, hîc deſcribere nihil opus eſt.

IV. A Sardis, & Regibus Hiſpaniæ.

Inde mos ille manavit, ut Calaritani Præſules ſeſe multis abhinc annis Sardiniæ & Corſicæ *Primates* inſcripſerint. Ita Antonius anno MCCCCIX: *Noverint univerſi, quòd nos Antonius Dei gratiâ Calaritanus Archiepiſcopus, Primas Regni Sardiniæ & Corſicæ.* Ita & aliis temporibus alii, nec aliter in publicis inſtrumentis appellantur. Anno MDVII *Dom. Petrus Pilares Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Archiepiſcopus Calaritanus, & per conſequens Primas hujus Regni.* Nec ullus tum fuit Turritanus Archiepiſcopus, qui de injuria ſibi illata quereretur, litemque Calaritano moveret. Fuit quidem de Primatu Sardiniæ inter Piſanum & Calaritanum Epiſcopos contentio: unde poſt totius Regni Comitia anno MDCIII omnium ordinum nomine rogatus eſt Pontifex, ut edicto publico caveret, ne Piſanus Archiepiſcopus *Primatis* titulum, quem ipſi jamdiu indulſerant Pontifices, deinceps uſurparet: quò uni Calaritano Antiſtiti hæc appellatio in poſterum tribueretur. Nulla hîc Turritani mentio eſt; quod tamen, ſi quid ipſi juris eſt, maximè decuerat. Sub hæc anno MDCIX Turritanus *Primatis* dignitatem apud Summum Pontificem ambire, & ſeſe Sardiniæ *Primatem* inſcri-

CALARITANUS METROPOLITA FUIT SARDINIÆ PRIMAS.

bere inſtituit: de quo ad Regem, ut allatum eſt, continuò juſſus eſt & Sacerdotem, quem Romam miſerat, revocare, & titulum, quem temere ſibi aſciverat, ex inſtrumentis publicis expungere, ut unus Calaritanus, cujus eſt & Synodis nationalibus præſidere, & in Regni Comitiis principem tenere locum, Sardiniæ *Primas* & eſſet & diceretur.

V. Jura Turritani.

Sunt tamen nonnulla, ne quid diſſimulem, quæ & à Turritano, & contra Calaritanum facere videntur. Hæc verò paucis perſequor. Suas ſæpe vices Turritano Archiepiſcopo detulerunt Romani Pontifices, Calaritano nuſquam. Nationalem ex univerſa Sardinia Synodum Bonarcadæ anno MCCLXXII celebravit Turritanus Epiſcopus: aderant omnes Inſulæ Epiſcopi, duoque Metropolitæ, Calaritanus & Arborenſis: præerat omnibus Turritanus. In publicis inſtrumentis dicitur interdum Sardiniæ *Primas*. Sedit in Synodo Lateranenſi inter Primates, in Tridentina ante Calaritanum: unde Calaritano, ut illis quidem placet, dignitate aut par eſt, aut ſuperior.

VI. Nulla ſunt

Hæc ut vera ſint omnia, nihil Calaritano nocent. Turritani Epiſcopi fuerint in Sardinia Legati Romani Pontificis, an ideo Primates, nonne Engoliſmenſes, Dienſes, & alii aliarum ſedium meri Epiſcopi fuerunt in Gallia Legati? quibus ne in mentem quidem unquam venit de Primatis appellatione ſibi aſciſcenda. Non ſedi delata hæc dignitas eſt, ſed perſonæ, pro Pontificum arbitrio: unde nihil juris Turritanæ ſedi in alias additum, nihil aliis detractum. Bonarcadenſi Synodo præfuerit Turritanus, ſi tamen germana ſunt & ſincera acta illius Synodi, id Legati muneri, quo fungebatur, non Primatis dignitati, quâ carebat, datum eſt. Quòd verò *Sardiniæ Primas* interdum inſcribatur, quid vetat id factum Notariorum vitio, ut Archiepiſcopi, ut Legati, penes quem ſumma tum erat autoritas, gratiam ſibi hac arte conciliarent. In Synodo quidem Lateranenſi ſedit inter Primates Turritanus: erat enim *Aſſiſtens Pontificis*, ut loquuntur; in Tridentina ante Calaritanum, quia honoris ævo antiquior: nulla enim in hac Synodo, ut notum eſt, dignitatis habita ratio eſt; cautum tamen erat, ſive primas, ſive ſecundas tuliſſent Epiſcopi, ne quid inde ſive juris, ſive damni ſingulis ſedibus oriretur.

PISANUS ARCHI-EPISC. AN SIT PRIMAS SARDINIÆ.

CAPUT V.

An Piſanus Archiepiſcopus ſit Primas Sardiniæ.

I. Piſano Archiepiſcopo datur dignitas Legati in Sardinia.

OPERÆ pretium eſt de Piſani Archiepiſcopi in Sardinia Primatu nonnulla hoc loco ſubjicere, cujus quænam origo ſit, paucis dabo. Cùm multa extarent Piſanorum tum in rem Chriſtianam, tum maximè in Romanam Sedem merita; primùm Gregorius VII anno MLXXVIII vices ſuas in inſula Corſica detulit Landulpho Piſano Præſuli, juſſitque reditus omnes duas in partes tribui, quarum altera Romanæ Sedi, altera Landulpho cederet. Deinde Urbanus II anno MXCI Inſulam integram dedit Piſanis Epiſcopis: ea tamen adhibita conditio eſt, ut Lucanæ monetæ libras quinquaginta annis ſingulis penderent. Tum anno MXCII quatuor indulſit Piſano Epiſcopo, ut *Metropolita* deinceps & diceretur & eſſet; ut Pallio Metropolitanorum more uteretur; ut ipſi ſubeſſent Corſicæ Epiſcopi omnes; ut Legati munere in Sardinia nomine Pontificis fungeretur.

II. Tres Epiſcopatus & jura Primatis in provincia Turritana.

Quòd cùm ægrè eſſet Genuenſibus, Callixtus II Corſicæ Epiſcopos Piſano parere vetuit; Honorius tamen II anno MCXXVI ſanctionem Urbani ratam fore juſſit: unde bellum Genuenſes inter & Piſanos cùm exarſiſſet, Ubaldus Piſanus Archiepiſcopus pacis ineundæ causâ tres Corſicæ Epiſcopatus ceſſit Genuenſibus, totidem retinuit ſibi, *Alenenſem*, *Adiacenſem*, & *Sagonenſem*: quod Innocentio II adeo gratum accidit, ut Balduino Piſano tres itidem Epiſcopatus, unum in Etruria, *Populonienſem*, in Sardinia duos, *Galtellenenſem* & *Civitatenſem*; & in provinciam Turritanam Primatum anno MCXXXVIII, aliaque dignitatis inſignia indulſerit. Illius hæc verba ſunt: *In Callunenſi Iudicatu duos Epiſcopatus, Galtelinenſem videlicet & Civitatenſem, & Populonienſem Epiſcopatum tibi tuiſque ſucceſſoribus, & per vos Eccleſiæ Piſanæ concedimus, & metropolitano jure ſubjicimus; voſque Primatûs honore ſuper Turritanam provinciam decoramus; legationem quoque Sardiniæ à prædeceſſore noſtro Papa Urbano*

PISANUS ARCHIEPISC. AN SIT PRIMAS SARDINIÆ.

prædeceſſoribus tuis conceſſam tibi tuiſque ſucceſſoribus præſentis ſcripti paginâ roboramus: denique ut Piſana civitas .... ampliùs honoretur, equo albo cum navo albo in proceſſionibus utendi, & crucem, vexillum ſcilicet Dominicum, per ſubjectas vobis provincias portandi tibi tuiſque ſucceſſoribus licentiam damus, &c. Extant etiam Eugenii III anno MCXLVI, & Adriani IV anno MCLVII diplomata, quibus eadem Piſano permittunt Archiepiſcopo.

III. Et in Calaritana & Arborenſi.

III. Aliquantò pòſt Alexander III anno MCLXXVI reliquam Sardiniam addidit: *Pro devotione & honeſtate tua, frater Hubalde Piſane Archiepiſcope, perſonam tuam, & per te Piſanam ampliori Eccleſiam munere volumus decorari. Tibi ergo tuiſque ſucceſſoribus Primatum ſuper Calaritanam & Arborenſem provincias datum concedimus, & autoritate Sedis Apoſtolicæ confirmamus. Ita quidem ad Concilia vocandi, exceſſus eorum corrigendi, & in doctrina Apoſtolica confirmandi, atque cætera omnia, quæ ad jus Primatus pertinent, in eos exercendi, habeatis liberam facultatem. Verumtamen ſupradictarum provinciarum Archiepiſcopos ad Concilium non vocabitis Piſas ſine conſcientia Romani Pontificis: ſuper Turritanam verò provinciam dignitatem Primatus, ſicut à prædeceſſoribus noſtris Eccleſiæ Piſanæ conceſſum eſt, habeatis*, &c. Quæ omnia multi poſtea Romani Pontifices rata eſſe juſſerunt, ut Lucius III anno MCLXXXI, Urbanus III anno MCLXXXVI, Cæleſtinus III anno MCXCI, Innocentius III anno MCXCVIII, Honorius III anno MCCXVIII.

IV. Piſanus Sardiniam ut Primas luſtrat.

IV. Gemina & Primatis & Legati dignitate ornati Piſani Præſules ſuo idemtidem jure in Sardinia uſi ſunt. Fridericus anno MCCLXV Sardiniæ provincias luſtraſſe dicitur, & Joannes anno MCCCII Epiſcopum Galtellinenſem judicii causâ Piſas evocavit. Turritani etiam Archiepiſcopi ſe Piſano Primati ſubeſſe profeſſi ſunt, ut Albertus anno MCLXXVI, cujus hæc ſunt: *Attendentes precibus Domini, videlicet Piſanorum Archiepiſcopi, Sardiniæ Primatis & Apoſtolicæ Sedis Legati ...... largimur, ut in veſtra*, &c. Ita etiam Stephanus Turritanus anno MCCLV ad Alfonſum Caſtellæ Regem, qui appellatus erat Imperator, Friderici Piſani nomine, quod inferioris eſt, legationem obiit. Piſano an Calaritanus Epiſcopus

Epiſcopus paruerit, non liquet. Plures de injuria ſedi ſuæ illata apud Romanos Pontifices ſæpe conqueſtos certum eſt.

PISANUS ARCHIEPISC. AN SIT PRIMAS SARDINIÆ.

V. Sardi ea Piſani jura nulla eſſe contendunt.

Illud tamen Alexandri III decretum, quo Primatus dignitas in Calaritanam provinciam Piſano defertur, aliaque aliorum Pontificum, qui Alexandri veſtigiis inſtiterunt, diplomata, multis nominibus nulla eſſe & irrita contendit Machinus. Primùm Alexander ea tantummodo Piſani jura in Calaritanam provinciam rata eſſe jubet, quæ dederant alii Pontifices: utitur enim verbis, *datum concedimus*. Cùm verò nihil juris Piſano priùs fuerit, nihil etiam poſtea fuiſſe conſequens eſt. Deinde uſu & conſuetudine recepta ea lex eſt, ut quæ diplomata *tertii*, ut dicitur, juribus nocent, ea nullius ſint roboris: quod vitium Alexandri decreto ineſſe nemo non videt, cùm Calaritani Præſulis Primatui adverſetur, cujus nec cauſa diſcuſſa fuit, nec jura reſciſſa, nec abrogata Primatis dignitas. Præterea Primatis Piſani autoritas in Calaritanam provinciam nullo unquam uſu firmata eſt.

VI. Præterea Piſanum iis juribus excidiſſe.

Denique ſi quæ alia fuerant Piſano Archiepiſcopo in Sardiniam jura, iis jam diu excidiſſe contendunt Sardi plerique omnes: quòd orto inter Imperatores & Romanos Pontifices bello, bis ſteterint ab Imperatoribus, ſemel à Friderico II contra Gregorium IX, iterum à Ludovico Bavaro adverſus Joannem XXII: deinde, quod apud Ciaconium legere eſt, ipſi anathemate percuſſi, urbique adempta epiſcopalis dignitas, & revocata, quæ à Pontificibus data erant, in Sardiniam jura, quàm aliquantò pòſt, ut diximus, Jacobo Aragonio conceſſit Bonifacius VIII. Recepti quidem poſtea in Fidelium cœtum Piſani; ſed iis nec Sardinia, nec in eam jura reſtituta; nec Epiſcopo Primatis dignitas, unde exciderat, reddita: quæ ideo data fuerat, quòd penes Piſanos ejectis Saracenis ſummum eſſet Inſulæ imperium; quo amiſſo Primatus unà periit. Hæc ferè illi, quæ veráne ſint, an ſecus, aliorum ſit judicium.

VII De Primatu Sardiniæ varia Sardorum ſententiæ.

Quæ ad Primatum ſive Calaritanum, ſive Piſanum pertinent, breviter complexi ſumus: de quo Sardi Hiſtorici alia alii prodiderunt. Ambroſius Machinus & Franciſcus de Vico Primatum in Sardinia ab Apoſtolorum Principibus

PISANUS ARCHIEPISC. AN SIT PRIMAS SARDINIÆ.

fuiſſe ſcribunt : in eo tamen alter ab altero diſſidet, quòd ille Calaritanum fuiſſe velit, hic Turritanum ; utrique adverſatur Joannes Fara, dum ulli Sardiniam paruiſſe Primati negat : à quibus ego ita diſſentio, ut Calaritanum quidem Primatis dignitate ornatum fuiſſe putem ; non tamen ab Apoſtolorum temporibus. Sententiæ verò meæ hæc ſumma eſt.

VIII. *Noſtra ſententia Primùm Calaritanus Sardiniæ fuit Metropolita.*

Dum Inſula Sardinia una provincia fuit eccleſiaſtica, Calaritano paruit Metropolitæ : ſi enim veram Primatis notionem ſequimur, is unus Primas dicendus eſt, qui nutu ſuo plures regit provincias. Africanis enim præter Carthaginenſem Primatibus nihil præ cæteris Metropolitanis erat præcipui ; eadem poteſtas erat, diverſa appellatio ; quare fruſtra ſunt ii omnes, qui ſive Calaritano, ſive Turritano his temporibus in Sardinia aſſerunt dignitatem Primatis, qui tum nullus erat. Poſtquam verò Inſula in tres provincias deſcripta eſt, tum Calaritanus Metropolita principem locum, ut par erat, obtinuit, ipſique ultro ceſſerunt, tum Turritanus, tum Arborenſis, qui meri priùs Epiſcopi ipſi ſuberant.

IX. *Deinde Primas.*

Sub hæc, niſi mea me fallit opinio, Primatis appellatio Calaritano deferri cœpit, tum à Sardis, tum à Romanis etiam Pontificibus ut eſſet in Sardinia, qui & Epiſcopos omnes & Metropolitanos, ſi quid à quoquam peccatum eſſet, officii admoneret : nullum tamen extat Romanorum Pontificum diploma, quo quis eam dignitatem Calaritano indulſerit ; quod temporum injuriâ factum ſuſpicor. Ubi enim à Saracenis capta eſt Calaris, omnia illius ſedis monimenta perierunt. Calaritani ſubinde Primatis, ut urbis autoritas ſenſim minui cœpit. Dum Calaritana res à Saracenis afflicta eſt, multis interim honoribus Turritana ſedes ornata fuit : plures enim Turritani Præſules Legati munus in Sardinia obire juſſi ſunt, penes quos rerum omnium poteſtas erat, quo de Primatis Calaritani dignitate multum detractum eſt.

X. *Cur Primatus datus Piſano.*

Ejecti aliquantò pòſt à Piſanis Saraceni, & Piſano Epiſcopo primùm provincia Turritana, deinde & Arborenſis & Calaritana permiſſa eſt, dataque ſunt in Sardiniam omnem Primatis & jura & appellatio. Cùm enim nulla Romanæ Sedis edicta Calaritanus proferret, quibus Primatum ſuum

tutaretur, nullaque dignitatis illius ipſe adhiberet inſignia, integrum ſibi eſſe duxerunt Romani Pontifices Primatum Sardiniæ, cui libitum erat, deferre: inde tamen orta eſt Calaritanum inter & Piſanum contentio. Secundùm hæc Friderico II adhæſerunt Piſani, & abrogata Piſano Præſuli omnia in Sardiniam jura: quæ reſtituta poſtea fuerint, an ſecus, utriúſve poriora nunc ſint jura, Calaritani, an Piſani, ipſi viderint quorum intereſt.

ARCHIEPISCOPI CALARITANI.

CAPUT VI.

Archiepiſcopi Calaritani.

I. Archiepiſcopi martyrium paſſi.

CALARITANORUM Præſulum catalogum texuerunt Franciſcus de Vico, & Dionyſius *Bonfant*; ſed altera alterius ratio eſt: ille enim cùm Turritanæ ſedi primas deferat, è Calaritanis paucos appellat; hic ferè ſingulos, quorum nomina ſunt hæc. Poſt ſanctum Clementem, quem, ut mihi quidem videtur, nullo idoneo teſte ſibi Calaritani vindicant, huic ſedi præfuerunt SS. Æmilius & Bonifacius Chriſti, ut volunt diſcipulus: ambo martyrium obierunt anno Chriſti LXIX. SS. Siridion, Avendras, Bonifacius, Juſtus, Florus, Reſtirutus, Bonus, Vivianus, Linus, Severinus, Rudis, Ramirius, Felix, Juvenalis, Euthymius, Marcus, omnes ferè martyrii palmâ nobiles: at illuſtre præ cæteris ſancti Saturnini viri nobilis martyrium fuit, qui in urbis patronum aſcitus eſt.

II. Protogenes non fuit Sardiniæ Epiſcopus.

His ſuffecti ſunt Quintinius, qui Arelatenſi Synodo anno CCCXIV adfuit, & Protogenes, qui Nicænæ anno CCCXXV, & Sardicenſi anno CCCXLVII ſubſcripſit: eſt tamen cur ego Sardum non fuiſſe Epiſcopum ſuſpicer; ita enim in Synodo Nicæna ſubſcriptum eſt: *Ex provincia Daciæ Protogenes Sardicenſis*; & in Sardicenſi *Protogenes Sardicæ*. Unde ab omnibus Hiſtoricis illum *Sardicæ*, quæ Daciæ civitas erat, fuiſſe Epiſcopum proditum eſt. Unus extitit Joannes Fara, qui nullo Autore pro *Sardicenſi*, legat *Sardinienſi*, pro *Sardicæ*, *Sardiniæ*: illi ſuffragantur omnes Sardiniæ Hiſtorici.

Ppp ij

ARCHIEPISCOPI CATARITANI.

Ita Protogenes ex Daciæ Epiſcopo contra Hiſtoriæ fidem Sardus factus eſt: at cujus ſedis fuerit Epiſcopus, Calaris, an Turris, magna inter eos contentio eſt. Ego nec Calaris, nec Turris, ſed *Sardicæ* Epiſcopum fuiſſe arbitror.

III. Cur Lucifer ab Eccleſia deſciviſſe dicatur.

Illos excepit celebris ille Lucifer, qui à Liberio Papa unà cum Euſebio Vercellenſi miſſus ad Conſtantium Imperatorem Athanaſii damnationi ſubſcribere abnuit, quare in exilium pulſus eſt. Poſt Conſtantii obitum Eccleſias Orientis luſtrare à Liberio juſſus, Antiochiæ, quæ in tres factiones ſciſſa erat, Arianorum, Meletianorum & Euſtathianorum ipſe Paulinum Euſtathii Preſbyterum in parte Catholica Epiſcopum inſtituit. Quod cùm Euſebio Vercellenſi minùs probaretur, offenſus ea re Lucifer ſe à Catholicorum communione divulſit: qui & permiſſum alioqui in Ariminenſi Synodo lapſis ad Eccleſiam cum honore priſtino reditum moleſtè ferebat: hinc Luciferianorum ſchiſma initium habuiſſe dicitur.

IV. Ex multis nec ſchiſmatis fautor fuit, nec hæreſis.

Autores Sardi, & maximè Ambroſius Machinus, & Dionyſius *Bonfant*, in eo multi ſunt, ut à Lucifero & ſchiſmatis & hæreſis ſuſpicionem omnem removeant: quare veterum, ut Ambroſii, ut Rufini, ut Sozomenis teſtimonia, quæ ipſi aut ſchiſma impingunt, aut hæreſim, qua poſſunt arte elevant: alia verò quæ ſinceram illius fidem & illibatam fuiſſe teſtantur, explicant uberiùs, cujuſmodi ſunt: *Nihil iſtorum de tali viro credo: unum eſt, quod in præſenti conſtanter loquor, verbis à nobis eum diſſenſiſſe, non rebus.* Hieron. dial. contra Lucifer. *Quapropter fidei & ſententiæ Eccleſiæ aſſentiens in Sardiniam ad propriam ſedem ſe recepit.* Socr. lib. 2 cap. 7. *Ipſe tamen Eccleſiæ tenens fidem in Sardiniam ad proprium remeavit thronum.* Hiſt. trip. cap. 23. *Non tantùm eos qui Arimini fuerunt, condemnavit, ſed etiam ſe ab eorum communione ſeparavit, qui eos ſub ſatisfactione & pœnitentia recepiſſent. Id rectè, an perperam conſtiterit, dicere non auſim.* Sunt alia bene multa, quæ proferre infinitum ſit.

V. Cæterorum Archiepiſcoporum nomina.

Fuerunt etiam poſt Luciferum multi ſanctitate illuſtres, ut Brumaſius, ut Severus & Gregorius, qui martyrium etiam feciſſe dicitur: Januarius, ad quem extant Gregorii epiſtolæ: Deuſdedit & Juſtinus, qui ambo Lateranenſibus

Synodis adfuerunt: Citonatus qui in ſexta Synodo, ut vidimus, ſubſcripſit: Benedictus ex Monacho Caſſinenſi Epiſcopus, de cujus miraculis librum ſcripſiſſe ſe teſtatur Petrus Diaconus. Multos poſtea recentiores recenſet Franciſcus de Vico: ſed cùm mera eorum prodat nomina, nec quibus dotibus alii aliis præſtiterint, cognoſcere liceat; ſupervacaneum ſit illorum hîc appingere nomina. Satis ſit unum appellaſſe Ambroſium Machinum, qui ex generali Ordinis Mercedis Vicario in Calaritanum Archiepiſcopum allectus eſt, & ſuæ ſedis ad Sardiniæ Primatum jura, & Luciferi ſanctitatem eruditè propugnavit. Orti ſunt etiam Calari, ſi Calaritanis credimus, & Euſebius ille Vercellenſis, cujus conſtantia adverſus Arianos enituit, & Hilarius & Symmachus: quorum uterque Romanæ Sedi ſumma cum laude præfuit. Eò etiam corpus ſancti Auguſtini ex Africa, indeque Papiam delatum eſt. ARCHIEPISCOPI CALARITANI.

VI. Epiſcopi Suffraganei.

Plures olim Epiſcopatus Calaritano Metropolitano ſuberant, ut Sulcitanus, Dolienſis, Galtellinenſis, Sellitanus; ſed eorum alii metropolitanæ ſedi adjuncti, alii perierunt. Primùm *Sulcis*, quæ inſulæ cognominis propter Sardiniam caput erat, diruta eſt: quare Epiſcopus *Eccleſias* (erat prope Sulcim oppidum) tranſlatus. Deinde Petrus Pilares Calaritanus ab Alexandro VI anno MDXIII obtinuit, ut Joanni Pilares *Eccleſiarum* Epiſcopo ſede Calaritana cedere ipſi liceret. Inde idem & Calaris & *Eccleſiarum* Epiſcopus fuit. Galtellinenſis, qui primùm Arborenſi, deinde Calaritano paruit, itidem ac Sellitanus, Calaritanæ metropoli unitus eſt: Doliæ verò Epiſcopus creari deſitus. Antequam in multas provincias diſtracta eſſet Sardinia, hi Calaritano, ut docet vetus Notitia, ſuberant Epiſcopi, Fauſſianenſis, Fori Trajani, Sulcitanus, Tegulenſis, de Turre Libiſſonis, Palmenſis & Minoricenſis in Balearibus inſulis, & Ebuſanus.

Turris Libisſonis.

CAPUT VII.

De ſede Turris Libiſſonis.

I. Turris Libiſſonis unde ſic appellata, & quare deſerta.

Turritanæ provinciæ, ſi Sardis Autoribus credimus, à Turribus nomen inditum, quòd Tyrrheni regionis incolæ domos in Turrium formam & morem ædificarent. Dicitur etiam *Logudoro*, quaſi locus aureus: tractus enim ille & amænus eſt & fertilis. Provinciæ caput *Turris*, vel Biſſonis vel Libiſſonis olim fuit: *Turris* verò *Libiſſon*, ut Pinto placet, idem ſonat quod *Herculis Libyi Auguſta* ſive *Regia*. Calari & dignitate & magnitudine aliàs longè inferior, poſt annum M illi utraque laude propè par: tandem ob bellorum incommoda cives ſenſim dilabi cœperunt, & Saſſarim (vicinum oppidum erat) ſe recipere. Unde factum, ut paulò pòſt Archiepiſcopus, Canonici, Magiſtratus, eò etiam migrarint, juraque ſedis Turritanæ anno MCCCCXLIV Eugenius IV tranſtulerit Saſſarim, quæ ex Turrium ruinis ita crevit, ut Calaritanæ urbis æmula parem cum illa honoris gradum ambiat.

II. Turritanus Præſul merus olim fuit Epiſcopus.

De Turritana ſede vix quidquam certi habeo, quod ſcribam: adeo varia ſunt & incerta, quæ à Sardis Autoribus produntur. Dionyſius *Bonfant* illam ſub Symmacho inſtitutam ſcribit quinto ſæculo: Franciſcus de Vico, & Jacobus Pinto, aliique, qui Turritanæ ſedi præ Calaritana primas deferunt, ab Apoſtolis erectam, illique præfuiſſe Clementem volunt, qui opinione ſua quàm falſi ſint, vel ex una Notitia intelligere eſt, quæ ut *Fauſſianenſem*, ut *Sulcitanum*; ita etiam *de Turribus* ſive *de Turre Libiſſonis* Epiſcopum Calaritano Metropolitæ contributum fuiſſe nos admonet. Præterea ex Gregorii Magni epiſtolis Marinianum Turritanum

III. I Baſilicæ S. Gabini dedicatione multa falsò conficta.

itidem ac cæteros Sardiniæ Epiſcopos Januario Calaritano paruiſſe oſtendimus. Quare in his immorari diutius nihil opus eſt.

Nec Turris igitur Sardiniæ caput, nec Turritanus Præſul Sardiniæ Primas unquam fuit; ſed merus Epiſcopus. Nihil

ad poſteritatis memoriam illuſtre accidit ante annum cccclxxiii, quo ſanctus Gabinus, qui martyrium multò antè ſub Diocletiano obierat, Comitæ Turritanæ urbis Principi, in ſomnis juſſiſſe dicitur, ut ſibi templum extrueret. Paruit Comita, templum conſtruxit, quò delata ſunt tum Gabini, tum multorum Martyrum corpora. Anno dxvii ſummo apparatu Baſilicam illam, quæ ſancto Gabino ſacra eſt, dedicatam volunt: quæ verò addunt, miſſum à Summo Pontifice Româ Cardinalem, qui Baſilicam conſecraret; adfuiſſe omnes Inſulæ tum Epiſcopos, tum Archiepiſcopos; Joannem Turritanum à Cardinale ordinatum Epiſcopum: (jam enim honoris ergò id datum erat Turritanis Epiſcopis, ut ab uno Romano Pontifice, vel ab ipſius Legatis ordinarentur) hæc, ut mihi quidem videtur, fictitia ſunt. Primùm, non eadem, quæ noſtra ætate, Cardinalium his temporibus dignitas fuit, qui vel meris cedebant Epiſcopis: unde miſſum in Sardiniam Cardinalem ad cerimoniæ illius ſplendorem quis temerè confixit. Deinde Archiepiſcopus in Sardinia præter Calaritanum nullus erat; & nullus idoneus teſtis eſt, unde probari queat, Turritanos Epiſcopos ab uno Romano Pontifice fuiſſe ordinatos: quos Notitia, quæ his temporibus multò recentior eſt, inter Calaritani Suffraganeos appellat. Turris Libissonis.

Si Dionyſio *Bonfant* credimus, Joannes, qui à Symmacho Turrim miſſus eſt, primus fuit Turrium Epiſcopus; ſi aliis, qui Primatum Turritanum tuentur, ſanctus Clemens principem inter Epiſcopos locum obtinet. Ubi quis enim vel *Sardicæ* vel *Sardiniæ* dicitur Epiſcopus, illum ut Calaritani Calaritanæ ſedi, ita illi Turritanæ vindicant. Quo factum eſt, ut ſanctus Clemens, Protogenes & Thomas, qui tempore ſeptimæ Synodi florebat, inter Turritanos falsò allecti ſint, illi enim, uti dictum eſt, ne Sardi quidem fuerunt Epiſcopi: hic Calaritanus fuit. Illis etiam errorem objecit nominum ſimilitudo: nam præter Turrim Libiſſonis duæ fuerunt urbes, quarum utrique Turris nomen fuit; altera in Africa, in Brutiis altera. Harum urbium Epiſcopi *Turritani* dicti ſunt, & ideo inter Sardos temere adſciri. Ita Sempuſius, cujus Auguſtinus meminit, *Turris albæ* in Africa, niſi falſus ſum, IV. Multi Epiſcopi inter Turritanos temere adſciti.

Turris Libiſſonis.

non *Turris Libiſſonis* Epiſcopus fuit. Præterea contra Martyrologii Romani fidem, SS. Gabinum & Protum inter Epiſcopos Turritanos numerant, quorum neuter Epiſcopus fuiſſe perhibetur; ille ne Sacerdos quidem. Denique an Gaudentius Turritanus fuerit, an Sulcitanus, vel Pauſanienſis, vel etiam Africanus, non liquet.

V. Epiſcopi Turritani.

Cæterorum quos recenſent, Epiſcoporum nomina ſunt hæc. Felix anno CCCCLXXXII, quem tamen, niſi obſtaret Sirmondi autoritas, Africanum dicerem: Joannes, qui Baſilicæ ſancti Gabini encæniis adfuiſſe, & ab Hormiſda in Orientem miſſus dicitur: Marinianus, cujus in epiſtolis ſancti Gregorii frequens mentio eſt: Paulinus anno DCII. Tum Turribus ob bella Epiſcopi creari deſiti ſunt, miſſuſque Venereus Viſitator. Aliquantò pòſt Pantuſius anno DCXLV; Valentinus, qui ſub Martino I Lateranenſi Synodo adfuit. Quòd verò Martinus Papa ratum habuerit privilegium Turritanæ ſedis, ut Epiſcopus ab uno Pontifice Romano ordinaretur, merum, niſi mea me fallit opinio, commentum eſt: poſtea ad annum circiter milleſimum nullum extat Epiſcoporum Turritanoum veſtigium. Cùm enim Saraceni, qui Calarim occupaverant, reliquam inſulam aſſiduis propè bellis vexarent, vel nulli tum Turribus fuerunt Epiſcopi, vel eorum nomina perierunt.

VI. Quando Turris facta metropolis.

Qui Turritano Epiſcopo Primatûs honorem deferunt, ii jam inde ab Apoſtolorum temporibus volunt Turrim fuiſſe totius Inſulæ metropolim, alii verò id ad annum DXVII, quo Baſilicæ ſancti Gabini encænia celebrata ſunt; alii ad annum octingenteſimum rejiciunt; ad milleſimum alii, quibus ego aſſenſerim libentiùs: Romanis enim Pontificibus, ante Joannem XIII, ne in mentem quidem venerat novas inſtituere metropoles. Ubi verò inſignita eo honore Capua eſt, deinde Salernum, Neapolis, &c. ea ſenſim conſuetudo in vicinas inſulas, Sardiniam Siciliamque, dimanavit, tumque Turris facta eſt metropolis, ipſique Calaritanæ provinciæ, quæ Inſulam omnem complectebatur, portio attributa: à quo verò Pontifice, affirmare non auſim: ante Gregorii VII ætatem id contigiſſe certum eſt.

VII. Archiepiſcopi Turritani in Sardinia Legati. Sedes Saſſarim tranſlata.

Id unum habet Turritana ſedes præ Calaritana ſingulare, quòd

quòd è Turritanis Præſulibus duo treſve Legati numera obierint; è Calaritanis, ne unus quidem. Conſtantinus anno circiter MLXXIII à Gregorio VII Legatus in Sardiniam miſſus eſt; ab Innocentio III anno MCXCI Hildebrandus; Proſperus à Gregorio IX anno MCCLII, à quo etiam Bonacardenſis Synodus, ſi tamen illius acta germana ſunt, convocata dicitur. Secundùm hæc cùm Turritani cives & illius tractus incolæ bellorum feſſi incommodis, alii aliò dilaberentur, multique Saſſarim ſeſe reciperent, Dorgodorius Turritanus Archiepiſcopus palatium ibi extruere, & ſæpius habitare cœpit. Eò etiam ſenſim migrarunt & Clerici & Magiſtratus, donec anno MCCCCXXII Petrus Spanus ab Eugenio IV impetravit, ut Turritana ſedes illiuſque jura omnia Saſſarim transferrentur; duplex tamen adjecta conditio eſt: una, ut Metropolita Turritani nomen retineat; altera, ut ſtatis diebus Turrim unà cum Clero ſe conferat, ſacraque peragat, ut illius Baſilicæ dignitati quoquomodo conſulatur. TURRIS LIBISSONIS.

VIII. Cæteri Archiepiſcopi.

Præter eos, quos jam appellavi, Archiepiſcopos, celebris etiam memoria eſt Theodori, qui anno MCCCVI ad Jacobum Aragonium, cui Bonifacius VIII Sardiniâ ceſſerat, Sardicæ gentis nomine legationem obiit. Clara fuit Petri Portilli ſanctitas anno MCCCXXVII. Illuſtre etiam nomen Angeli Leonis anno MDXII, & Salvatoris de Alepus anno MDXXIII, quorum ille ſub Leone X Synodo Lateranenſi, hic Tridentinæ adfuit. Magna Antonii de Lorca anno MDLXXIII apud Romanos Pontifices autoritas. Inter eruditos ob doctrinæ famam habitus eſt Gabinus Manca *di Cedrellos* anno MDCXIII.

IX. Epiſcopi Suffraganei.

Duo tantùm Epiſcopatus parent Turritano Metropolitæ; Emporiæ, vulgò *Caſtel Aragoneſe*, & Boſa, *Boſſa* ſive *Boſi*; aliàs multò plures, quorum alii Turritanæ ſedi, alii Ampurienſi, alii aliis adjuncti ſunt, ut Plubiatenſis & Sorienſis, quorum ille ab Alexandro VI anno MDIII, hic ab Eugenio IV primùm Boſenſi, deinde ab Alexandro VI Turritano unitus eſt: Biſerchienſis & Caſtrenſis Othanenſi; tum Othanenſis ſub Alexandro VI Algarienſi. Eſt etiam in veteri codice provinciali mentio Gaſſarenſis, qui idem fortè

ARBOREA. eſt cum Algarienſi. Duos addit Franciſcus de Vico, Orulenſem & Fluminenſem.

CAPUT VIII.

De ſede Arborenſi.

Arborenſis ſedis hiſtoria ignota.

ARBOREA, *Oriſtagni*, in ora Sardiniæ occidua; olim, ut auguratur Cluverius, Uſellis, quæ Romana colonia fuit. De ſede Arborenſi, nihil ferè habeo, quod ſcribam: qui enim illius urbis hiſtoriam attigerit, præter Franciſcum de Vico, reperi neminem. Is verò, qui de Turritana ſede diſſerit pluribus, in Arborenſi eſt breviſſimus. Chriſtianam fidem Uſellis paulò poſt Calarim, ut par eſt credere, ſuſcepit, ibique enituit SS. Juſtæ, Juſtinæ, & Henodinæ Martyrum conſtantia. Sedes Epiſcopi erat Temo, exiguum oppidum; unde, ſi Franciſco de Vico adhibenda fides, Arboream anno MCLXXXV tranſlata eſt; tumque, ut conjectura eſt, facta metropolis: ſed hæc dubia ſunt & incerta. Inter Archiepiſcopos memorantur Dorgorius anno MCCXXVIII, qui principem urbis Baſilicam conſtrui juſſit; Jacobus Serra anno MCCCCXCII purpurâ nobilis; Petrus de Serra, qui Synodo Lateranenſi ſub Julio II adfuit. Tres olim Arborenſi ſuberant Epiſcopatus, Uſellenſis, S. Juſtæ, & Terrænovæ; nunc vel unus vel nullus.

FINIS.

INDEX

RERUM QUÆ IN PRIMO TOMO CONTINENTUR.

A

ABBATES in Hiſpania, Anglia, & Gallia Synodis ſubſcripſerunt; *pag.* 129. & 130
Abbatiſſæ in Anglia ſubſcripſerunt uni Synodo, 130
Acheruntia quibus gentibus paruit, 401. Sedes inſtituta, illiuſque Epiſcopi, *ibid.* Quando facta metropolis, 402. Illius Archiepiſcopi & Epiſcopi Suffraganei, 403
Adrianus I annum ſui Pontificatus primus adſcripſit epiſtolis, 184
Adrianus IV à Romanis recipitur & pellitur, 256
Advocati, 30
Agrigentum, Siciliæ Epiſcopatus, 463. Cui Metropolitæ paret, *ibid.*
Aiſtulphus à Pipino victus, 208
Albanum, Cardinalis Epiſcopi ſedes, 332
Aleſa Siciliæ Epiſcopatus, 462
Alexandri III & Friderici I diſſidium, 107
Alexandro III Romani parere coacti, 226
Alexandria condita, & data Romanæ Sedi, 297
Alfonſus Aragonius à Joanna adoptatus, 367
Amalphis, à quibus condita, 403. Illius Principes, 404. Militari laude celebris fuit, *ibid.* Quando inſtituta ſedes & facta metropolis, *ibid.* Illius Archiepiſcopi & Epiſcopi Suffraganei, 405
Anglia Romanæ Sedi vectigalis facta à Joanne, cognomento, *Sine-terra*, 247. Ratio tributi exigendi, 248
Anglus & Hiſpanus de loco dimicant in Conciliis, 137. 138. Sed Anglus ſæpe Hiſpano præpoſitus, 143. Ceſſit Franco dum fiduciarius fuit, 144. Et poſtquam eſſe deſiit, 145
Annulus aureus Cardinalitiæ dignitatis inſigne, 339
Annus Imperatorum Græcorum, Francorum, Italorum, Germanorum quando adſcriptus epiſtolis Romanorum Pontificum, 176. Quando deſiit adſcribi, 177
Anni Imperatoris à die coronationis numerati, 218
Annus Incarnationis Dominicæ ante Eugenium IV & Leonem IX adſcriptus epiſtolis Romanorum Pontificum, 181. Ab Honorio I & Joanne XIII, 182. Fortè etiam à Pelagio II, *ibid.* A Leone IX ſæpius & ab aliis deinceps Pontificibus uſurpatus, 183
Annus Pontificis ab Adriano I epiſtolis primùm adſcriptus, 184. In his annotandi duplex ratio, 185
Annum ſuo nomine ſignare indicium eſt ſummæ poteſtatis, 184
Apocriſiarii unde nomen, quæ poteſtas, 60. nulla juriſdictio, *ibid.* Ante Italiam de Gothis receptam non miſſi, ſed poſt Romam à Beliſario captam, 61. Quando mitti deſierunt, 62. A Patriarchis tantùm miſſi, *ibid.* Miſſi etiam ad Francos Imperatores, 63
Aragonia Regni nomen adepta, 263. Bis facta vectigalis, ſemel à Ramiro, iterum à Petro, *ibid.* deſiit eſſe, 264
Aragonii Siciliam occupant, 434. 366
Arborenſis ſedis hiſtoria ignota, 490
Archiepiſcopus variè accipitur, 13. Quis primus dictus eſt, *ibid.* Apud Græcos veteres, *ibid.* Apud recentiores, 14. Apud Latinos, *ibid.* Quæ ju-

ra haberet, *ibid.*
Archiepiſcopi à Romanis Pontificibus quinam dicti, 170
Arianorum alii damnari, alii recepti in Synodo Sardicenſi, 91
Arii hæreſis proſcripta, 89
Armenia regium titulum amittit, 295. Quem à Romano Pontifice recipit, 296
Armenorum adventus Florentiam, 118
Arnaldi de Brixia errores, 106
Arx S. Angeli everſa à Romanis, 252. A Bonifacio IX reſtituta & occupata, *ibid.*
Athanaſius ſenior Neapolitanus Epiſcopus, famâ illuſtris, 371
Athanaſius Junior Dux & Epiſcopus Neapolitanus, *ibid.*
Avenio fit libera à vectigali Romanæ Sedis, 256. Raymundo Toloſano pater, 257. A Galliæ Rege capitur, *ibid.* A S. Ludovico datur Romano Pontifici, à quo Raymundo reſtituitur, *ibid.* Clementi VI partim vendita, partim data, 258. 259 Pars ejus altera paret Gallo Regi, altera Neapolitano, 258
Averſanus Epiſcopus Neapolitano detractus, 381

B

BAMBERGA Romanæ Sedi data, 190
S. Barbati pietas, 411
Barcinonenſis Comitatus à quo inſtitutus, 262
Barium, quibus gentibus ſerviit, 414. Græcis à Northmannis ereptum, *ibid.* inſtituta ſedes Epiſcopalis, 415. Fit metropolis, *ibid.* Illius Archiepiſcopi, Epiſcopi Suffraganei, & Concilia, 416
Beguardorum errores damnati, 112
Benedictus deponitur in Synodo Conſtanſienſi, 114
Benedictus IV annis Imperatoris præpoſuit annum Pontificis, 184
Beneventum, à quo conditum, & varia ejus nomina, 409. Fit ſedes Epiſcopalis à S. Petri diſcipulo. Epiſcoporum nomina, 411. Fit metropolis, *ibid.* Illius Archiepiſcopi & Epiſcopi Suffraganei, 412. Concilia, 413. Romanæ ſedi reſtitutum, 190
Beneventani Duces à quo inſtituti, 409. A Regibus Longobardis pro arbitrio depoſiti, *ibid.* Francis Regibus ſubditi, 410. Deinde Imperatoribus Francis & Germanis, *ibid.*
Bohemia Chriſtiana & vectigalis à Romano Pontifice coronam obtinet, 289
Bonoſi hæreſis proſcripta, 393
Boſnæ Principes, 279. Reges, 280
Boſna fit vectigalis, *ibid.*
Brancaleo Senator creatur, 218
Britannia minor Principes habuit modò Reges, modò Duces, vel Comites, 254. Fit vectigalis Romanæ Sedi, 255
Brundusium à quo conditum & unde dictum, 421. Fit ſedes Epiſcopalis, *ibid.* Fit metropolis, *ibid.* Illius Archiepiſcopi, 422
Brunduſinos inter & Uritanos contentio, *ibid.*
Bulgari Chriſtianam fidem amplectuntur, 280. Græcis ſervire coacti, 281. A Romano Pontifice coronam accipiunt, *ibid.* Fiunt vectigales, 282
Burdinus Antipapa infamiâ notatus, 394

C

CÆSARIS dignitas, 38
Calaris olim civilis Sardiniæ metropolis, 472
Calaritanus Metropolita fuit Sardiniæ, *ibid.*
Præſtabat omnia Metropolitani munera, 473. Ipſius erat conſecrare Epiſcopos, *ibid.* vocare Concilia, 474. curam gerere Monaſteriorum & Xenodochiorum, *ibid.* In Synodis Metropolitam ſe inſcribit, 475
Calaritanus Epiſcopus appellatur Primas Sardiniæ à Victore III, 476. Ab aliis Pontificibus, 477. A Sardis, *ibid.* A Regibus Hiſpaniæ, *ibid.*
Calaritanus primùm Sardiniæ fuit Metropolita, 482. Deinde Primas, *ibid.*
Calaritani Archiepiſcopi martyrium paſſi, 483. Archiepiſcopi, 484. Epiſcopi Suffraganei, 485
Callixti ſchiſma contra Alexandrum III, 316
Calvinus in voce Cardinalis bis lapſus, 325
Canon ſextus Nicænus, 353. Variè exponitur, *ibid.* Agit tantùm de Patriarchis, & omnibus illorum juri-

bus, 354. De Romano Pontifice nihil conſtituit, *ibid.*
Canuſium Bario adjunctum, 415
Tria Capitula, 97. Damnantur primum à Vigilio, 98. Deinde ab Imperatore, *ibid.* Tum à Synodo V, 99. Denique à Romanis Pontificibus, *ibid.* De iis unde orta quæſtio, 97
Capua à quo condita, 383. A Romanis capta, &c. *ibid.*
Capuani Principes, 384. Quando cœperint, *ibid.* Francis ſubditi, *ibid.* Diverſi à Beneventanis, 385. Iidem cum Beneventanis, *ibid.* Northmanni, 386
Capuana ſedes à B. Petri diſcipulis inſtituta, *ibid.*
Capuani Epiſcopi ſanctitate inſignes, 387. &c. Alii Epiſcopi, 388. Duo ſimul Epiſcopi, *ibid.*
Capuana à tempore Conſtantii metropolis, 389. Fuit civilis, non eccleſiaſtica, 390. Alioqnin multæ in eadem provincia metropoles, *ibid.* Non erat metropolis tempore Gregorii, *ibid.* A Joanne XIII facta eſt, 391
Capuani Archiepiſcopi clari nobilitate, 391. pietate & doctrina, 392 Epiſcopi Suffraganei, *ibid.*
Capuanæ Synodi tres, 393. & 394
Cardinalis vox quid ſignificet, 322. Perſonis, an locis id nomen inditum, 323
Cardinales à quo inſtituti, *ibid.*
Cardinalium tituli in urbe inſtituti, *ibid.* Ab iis, qui illos dabant, appellati, 324. titulus & velum quid, 323. Triplex ordo, 326
Cardinales Preſbyteri ſingulis titulis præfecti, 324. viginti-octo, 326. Quatuor Eccleſiis Patriarchalibus inſerviebant, 327. Lateranenſi ſeptem Epiſcopi Cardinales, *ibid.*
Cardinales Diaconi erant quatuor decim, *ibid.* Eorum munera, 328. Quatuor Palatini additi, *ibid.*
Cardinales Epiſcopi ſeptem erant, 329. Alii additi nulla certa lege, *ibid.* Decanus præeſt omnibus, 330
Cardinalis Preſbyter primum eumdem ſemper titulum habuit, & Diaconus Diaconiam, 333. Deinde Diaconus Diaconiam dimiſit, ut aliam haberet, & Preſbyter titulum, *ibid.* Tum Diaconiæ datæ Preſbyteris, & tituli Diaconis, 334. Denique optio inducta, ipſiuſque leges, *ibid.*
Cardinalium numerus alius ab aliis definitur, 335. minui ſenſim cœpit; *ibid.* Denique auctus ad ſeptuaginta, 336. Inſignia, 337. *& ſeqq.*
Cardinales uſi olim eadem veſte qua Clerici, 336. Mappula tempore S. Gregorii, 337
Cardinales includi cœpti in electione Pontificis, 317. Ea lex abrogata & reſtituta, 318
Cardinales primum Epiſcopis dignitate pares, 340. deinde ſuperiores, *ibid.* Ex Archiepiſcopis eligi cœpti, *ibid.*
Cardinalium unde tanta dignitas, 341
Cardinalibus loci prærogativâ ceſſerunt aliqui Reges, 342
Cardinales in Gallia Regii Sanguinis Principibus, *ibid.*
Qui de Cardinalibus ſcripſerunt, *ibid.*
Cardinales quo loco ſubſcripſerunt in Conciliis, 329. Quo loco ſederent in Synodo œcumenica ſi nunc celebraretur, 333
Carolus Magnus Romæ excipitur, 209. Multas provincias dat Romanæ Sedi, *ibid.* A Romanis Dominus vocatur, 210. Coronatur Imperator, 211. 306. An jus eligendi Pontificis habuerit, *ibid.* & 307. Eo jure nunquam uſus, 307
Carolus Calvus omni jure in Romanum Ducatum cedit, & dat alias provincias, 212
Carolus Andegavenſis, Senator, 229. Pro Sicilia vectigal ſolvit, 271
Carolus Dyrrachinus invadit Regnum Neapolitanum, 366
Carolus Galliæ Rex Neapolim capit & amittit, 368
Caſula ex lino & byſſo, 33
Caſulis initio uſi ſunt Patriarchæ, 34
Caſimirus ex Rege Monachus, 285
Catana Siciliæ Epiſcopatus, 463. Cui Metropolitano paret, *ibid.*
Catholici cognomen Galliæ Regibus datum ante alios, 258. unde Hiſpanis, 260. Datum Gothis Regibus à Conciliis, *ibid.* Legionenſibus à ſubditis, 261. Aragoniis à Romano Pontifice, *ibid.*
Cephaledium Siciliæ Epiſcopatus, 463. Cui Metropolitano paret, *ibid.*
Cercinæ inſulæ bis datæ à Romanis Pontificibus cum cenſu annuo, 294

Chriſtianiſſimi cognomen Galliæ Regibus datum à S. Remigio, 158. A Græcis Imperatoribus, *ibid.* A Romanis Pontificibus, 159. A Conciliis, 159 & 160.

Clariſſimi cognomen ab Imperatoribus inductum, 18 A Senatoribus ad alios ſub certo delectu derivatum, 19. Quæ jura, 20 Character, 21

Clemens V operâ Regis Galliæ electus, 319

Clementis & Urbani ſchiſma, 319 Extinctum à Synodo Conſtantienſi, 330

Clementis VII & Urbani VI ſchiſma, 112

Comites apud Romanos, 28 Apud Francos, Gothos, &c. 29. Illorum jura, *ibid.*

Comites quo loco ſubſcripſerunt in Conciliis, 329

Compſæ inſtituitur Epiſcopus & Archiepiſcopus, 400 Archiepiſcopi, 408. Epiſcopi Suffraganei, *ibid.*

Conſidendi ordo jure: Epiſcopos idem ferè qui ſubſcribendi, 331

Quis in Synodo œcumenica, ſi nunc celebretur, 332

Conſtantinopolis capta à Francis & amiſſa, 110

Conſtantinus diadema non induit Sylveſtro, 214. Baſilicas extruit & ornat muneribus, 388

Conſtantinus Pogonatus pecuniam remittit, & dat poteſtatem Exarcho probandæ electionis Romani Pontificis, 303

Conſtantinus Papa primus uſus eſt hac formula: *Salutem & benedictionem Apoſtolicam*, 265

Conſules quando notari cœpti ſunt in Romanorum Pontificum epiſtolis, 175 Quando omiſſi ſunt, *ibid.* Conſules reſtituti, 221. Ab Othone depoſiti, 222. Abrogati, *ibid.*

Poſt Conſulatum, quando appoſitum, *ibid.*

Conſulatus Imperatorum duplici modo notatus in epiſtolis Romanorum Pontificum, 177. Suſceptus aliquando cum Imperio, *ibid.* Aliquando poſt Imperium, 178. Patris & filii diverſus, *ibid.*

Corbarii ſchiſma contra Joannem XXII, 317

Coronæ ferendæ & imponendæ Imperatori, jus, 214

Coronæ & diadematis diſcrimen, 214

Corona quando adhiberi cœpta à Romanis Imperatoribus, 215

Coronæ triplicis uſus à quibus Pontificibus inductus, *ibid.*

Coronandi Imperatoris conſuetudo à Francis fluxit, 216

Corona triplex, Germaniæ, Italiæ, Imperii, *ibid.*

Coronandi Regis Germaniæ ritus, 217. Regis Italiæ, *ibid.* Imperatoris, 218

Corſica data Romanæ Sedi à Carolo Magno, 276. pars Genuenſibus ab Honorio III, *ibid.* Integra Jacobo Aragonio à Bonifacio VIII, 277

Croatiæ diviſio, 278. Duces & Reges, *ibid.* Croatia fit vectigalis Romanæ Sedi, *ibid.*

Crucis præferendæ uſus à quo inductus, 50

Crux ubique prælata uni Romano Pontifici, 58

Cum Crucibus obviàm itum eſt Patriciis, Legatis, &c. 50. Jus præferendæ datum Patriarchis Græcis, & Legatis, 51. Primatibus, *ibid.* Metropolitanis, 52. An Legato coram Rege, 52

Cumanus Epiſcopus creari deſitus, 382

Cuſentia incenſa & reſtituta, 426. Illius Epiſcopi, *ibid.* Fit metropolis, *ibid.* Illius Archiepiſcopi, *ibid.* Epiſcopi Suffraganei, 427

Cyrillus ab Orientalibus damnatus, 94. Reſtituitur, *ibid.*

D

DALMATIA multis gentibus paruit, 278. Ducibus & Regibus, *ibid.* Fit vectigalis Romanæ Sedi, *ibid.*

Dania fit Chriſtiana, 291. & vectigalis, 292.

Deſenſores apud Græcos & Latinos, 29

Denarius S. Petri in Anglia, 246 Pecuniæ ſumma in duas partes tributa, 247

Deſpotæ dignitas, 22

Diaconiæ inſtitutæ, 324

Diadema quando adhiberi cœptum à Romanis Imperatoribus, 215

Diadematis & coronæ diſcrimen, 214

Diœceſis multiplex acceptio, & notio propria, 8

Dies Romanorum Pontificum epiſtolis ſubjunctus, 174
Donatio Comitiſſæ Mathildis, 242
Donatio Conſtantini aliis probata, ab aliis repudiata, 190. A pleriſque recentioribus rejecta, 191. Et quare, 191. & 192. A quo conficta ſit, variæ ſententiæ, 193. A Græcis, ex Baronio, *ibid.* A Joanne Diacono, ex Morino, *ibid.* Qua de cauſa, 194. Falſò id illi tribuitur, *ibid.* A Ioanne Subdiacono, ex Cl. Petro de Marca, *ibid.* Non ab eorum conficta, 195. Ab Iſidoro Mercatore, ex aliis, *ibid.* A quo & qua de cauſa conficta ſit, Autoris opinio, 196. A Joanne Subdiacono, *ibid.* Cur illius tum non meminerint Romani Pontifices, 197. Ad hæc verba, *reddere*, *reſtituere*, triplex reſponſio, 198
Drepana Siciliæ Epiſcopatus, 462. Cui Metropolitano paret, 463
Duces inſtituti in Italia, in Gallia, in Hiſpania, in Anglia, &c. 27. Illorum poteſtas, *ibid.*

E

IN Eccleſia & Imperio eadem ferè munera & nomina, 54
In Eccleſia primùm munera inſtituta ſunt, quibus deinde nomina impoſita, 55
Eduardus Angliæ Rex Scotiam occupat, 252
Egregii cognomen ab Imperatoribus inductum, 18. Quibus datum, 21
Eminentiſſimi titulus, 339
Electio Pontificis abſque conſenſu Imperatoris, nullâ ſub Imperatoribus Germanis, 311
Electioni Romani Pontificis Gothi Reges ſe immiſcent, 300. Electionis jus datum Cardinalibus in Synodo Lateranenſi I, 314. confirmatum, 316. & 321
Electioni præſunt Legati Imperatoris Germani, 312. Hæc ratio electionis à Romanis mutata, *ibid.* Electio libera permiſſa, 313. Per factiones facta: Pontifex decennis, *ibid.* Tres ſimul Pontifices, *ibid.* Miſſus Romam ab Imperatore eligendus Pontifex, 314. Jus confirmandæ electionis retinet Juſtinianis, 303
Electores Imperii quo loco ſederent in Synodo œcumenica, ſi celebretur, 133
Epheſinum Latrocinium, 95
Epiſcopus quis olim apud Romanos & Athenienſes, 15. Quis apud Chriſtianos, *ibid.* Epiſcopus primùm Cardinali dignitate par, 340. deinde inferior, *ibid.* Epiſcopi Cardinales & Palatini, 16. Commendatarii & Monaſteriorum, *ibid.* Vagantes & in partibus infidelium, 17. Sub Imperatoribus Romanis Clericorum ſuffragio creati, 298
Ethelulphus denarium S. Petri in Anglia ſolvi jubet, 247
Eugenius III recipitur & pellitur, 216
Eugenius IV Regnum Neapolitanum dat Alfonſo Aragonio, 275
Eulalii ſchiſma contra Bonifacium, 300
Eutychetis hæreſis, 95
Exarchi notio multiplex, 10. Propria acceptio, 11. hæc dignitas apud Græcos data primò tribus tantùm, *ibid.* Deinde antiquis Metropolitanis, *ibid.* Denique meris Epiſcopis, cum aliquo tamen diſcrimine, 11. & 12
Exarchus electionem Pontificis probat ſub Conſtantino Pogonato, 303
Ab Exarchis Romæ turbatum in electione Pontificis, 304
Exarchatus Romano Pontifici traditus à Pipino, 208

F

FASCIÆ ex lana, 33. A Patriarchis ad Epiſcopos miſſæ tantùm, *ibid.* Nullæ erant in Caſulis Patriarcharum, 35. Exemplo Imperatorum adhiberi cœptæ, *ibid.*
Felicis ſchiſma, 320
Ferdinandus Caſtellanus Rex Aragoniæ & Siciliæ, 456
Ferraria à quo condita, 240. Data Romanæ Sedi, *ibid.* proprios habet Principes, *ibid.* Romanæ Sedi reſtituta, 241
Formula, *Salutem & Apoſtolicam benedictionem*, ante Gregorium VII uſurpata eſt, 164. A Conſtantino Papa primùm adhibita, 165. Sub Gregorio VII propria unius Romani Pontificis, 167. Quâ uſi ſint veteres Romani & Apoſtoli, 165. Et Romani Pontifices, *ibid.* Aliæ ab aliis adhi-

bitæ, etiam diverſæ, 166. Sub Leone IX, una eſſe cœpit, *ibid.*
Fortunatæ inſulæ datæ Ludovico Cerdæ, qui illas non occupavit, 295. Ceſſerunt Regi Hiſpano, *ibid.*
Francus Rex primas tulit in colloquio Philippi Pulcri & Sanctii quarti, 136. Et Ludovici II & Henrici IV, *ibid.* In Synodo Conſtantienſi, 137. In Baſileenſi, ut refert Æneas Sylvius, *ibid.* & 138. In Lateranenſi, 139. A Romanis Pontificibus præfertur Hiſpano, *ibid.* Orta contentione vicit Venetiis, 140. Deinde Tridenti & in congregationibus, *ibid.* Et in ſeſſionibus Concilii, 141. Romæ ſub Pio IV, *ibid.* Et ſub aliis Pontificibus, 142. Regi Romanorum prælatus, 145. A Romanis Pontificibus proprio ſemper nomine appellatus, alii non item, 146. In eam rem ſummorum virorum teſtimonia, *ibid.*
Franci à Siculis cæſi, 366. Regnum Neapolitanum cum Hiſpanis partiuntur, & pelluntur. 368
A Francis Regibus victi ſæpe Infideles in Europa, 162. In Aſia, *ibid.* Ejecti ex Hiſpania Mauri, 163. Liberatus Pontifex, 235
Præcipua Francis Regibus cognomina, 136
Francorum Regum in Romanam Sedem merita, 235
Iis quæ Sedi Romanæ dederant Franci, nihil additum ab Imperatoribus Italis, 213. Multa à Germanis detracta, *ibid.*
Fridericus Ænobarbus pellitur ex Italia, 296
Friderici I & Alexandri III diſſidium, 107
Fridericus Aragonius Rex ſalutatur, 435. Moriens Petro filio Regnum legat, *ibid.*
Friderico Trinacriæ Regi leges præſcriptæ, 273

G

IN ſancti Gabini dedicatione multa conficta, 486
Galliæ Reges à Pipini tempore Patricii appellati, 208
Galliam tributum ſolviſſe ſcribit Gregorius VII, 253. Gallia nunquam vectigalis fuit,
Gerba bis data à Romanis Pontificibus cum cenſu annuo, 294
Germanus Capuanus ſanctitate inſignis, 38
Græci in Synodo Florentina convicti, 117. Illorum dogmata, *ibid.* Ratio cum illis initæ concordiæ, 118
Gregorius Magnus omnia Metropolitani munera obibat in Sicilia, 350. In Campania & reliqua Italia, *ibid.* Nullum in Italia Metropolitam appellat, 351. Alia aliis pro arbitrio indulget, *ibid.*
Gregorius Magnus ſe inſcribit ſervum ſervorum Dei, 152. Qui ante & poſt illum ea appellatione uſi ſint, 153
Gregorius III Caroli Martelli opem implorat, 206
Gregorii VII & Henrici IV diſſidium, 104. Propagatum ſub Henrico V, 105. Extinctum à Synodo Lateranenſi I, *ibid.*
Gregorius XII Pontificatum abdicat, 113
Dux Guiſius Neapolim contra Hiſpanum tuetur, & capitur, 368

H

HENRICI IV Imperatoris diſſidium cum Alexandro II & Gregorio VII, 315
Hibernia data Romanæ Sedi, 250. Ab Henrico Angliæ Rege occupata, *ibid.* Ea lege ut tributum ſolvat Pontifici, *ibid.*
Hiſpaniam fuiſſe vectigalem ſcribit Gregorius VII, 261. A quo id inſtitutum, non liquet. *ibid.*
Hiſpani Regis nomine intelligitur Caſtellanus, 135
Hiſpaniæ Reges è Gallia oriundi. 163
Hiſpanorum Regum nullus extra Hiſpaniam Barbaros vicit, 164
Hiſpana res à Ferdinando & Carolo V facta illuſtrior, *ibid.*
Hiſpanus Rex Franco cedere ſe profitetur, 143. Verba Legati Hiſpani, *ibid.*
Hungariæ Duces Chriſtiani, 282. Reges coronam à Romano Pontifice accipiunt, *ibid.*
Hungaria data Romanæ Sedi, 283. Summa Romani Pontificis in ea auctoritas, *ibid.*
Huſſii hæreſis damnatur, 114
Hydruntini à Turcis ſub fidem trucidati, 422. Epiſcopi, 423. Fit metropolis, *ibid.*

ibid. Archiepiſcopi, *ibid.* Epiſcopi Suffraganei, *ibid.*

I

JANSENIUS Iprenſis ſcripſit adverſus Reges Galliæ contra hiſtoriæ fidem, 157
Iconoclaſtarum error, 102. Proſcribitur, 103
Illuſtris cognomen ab Imperatoribus inductum, 18. Quibus datum, 19. Quæ jura, 20
An Imperatores Pallia dederint Patriarchis, 54
Imperatorum alii ultimo loco, alii poſt Patriarchas ſubſcripſerunt Synodis, 128
Imperator quo loco ſedet in Synodo, 134
Imperii Romani diviſio in Orientale & Occidentale, 1. In Diœceſes & Provincias, 2. Magiſtratibus reſpondent Eccleſiæ Præſules, 3
Ina denarium S. Petri in Anglia ſolvi jubet, 146
Indictio Romanorum Pontificum epiſtolis variè adhibita, 180. Quando adſcripta & omiſſa, *ibid.* Bis appoſita, *ibid.*
Innocentii VI ſumma autoritas Romæ, 231
Joannes XXII an ſe ipſum elegerit, 319. Injuriâ depoſitus, 321. Regium nomen Roberto Bruſio indulget, 252
Joannes ſe abdicat, 113
Joannes Rex anathemate percuſſus, 247. Angliam reddit vectigalem, *ibid.* Ratio tributi exigendi, 248. Regno à Francis ejicitur, 248
Italiæ duplex diviſio, 343. Provinciæ, 344
In Italia duo tantùm Metropolitani, Romanus & Mediolanenſis, 348
Julius II dat Ferdinando Aragonio Regnum Neapolitanum, 174

L

LANCIANUM & ſedes Epiſcopalis & metropolis, 400
Legatorum apud Romanos varia genera, 51. Et in Eccleſia, *ibid.*
Legati Romani Pontificis honeſtiori loco ſedent, 131. Primo loco ſemper ſubſcripſerunt, 125. Delecti ex Epiſcopis provinciarum, 66. Cur miſſi & quando, 63. In Galliam, Hiſpaniam, Angliam, 64. Quæ loci prærogativa illis data in Anglia, *ibid.* In Hiſpania & Hungaria, 65. In Gallia *ibid.* Illorum poteſtas, *ibid.* Comitatus, 66. Illorum poteſtati fines præſcripti à Regibus, *ibid.* A multis Regibus non recepti, 67. Quibus de cauſis mitti ſoleant, *ibid.*
Ea dignitas data Epiſcopis Cardinalibus, Regibus, 68
Legati qui præfuerunt Synodis generalibus, *ibid.*
Alia Legatorum genera, 69
Legati Imperatoris Germani præſunt electioni, 312
Legati Regum quo loco ſedent in Synodo, 134. Ducum & Comitum, *ibid.*
Leo X dat Carolo V Regnum Neapolitanum 174
Leonina urbs condita, 220
Leontium Siciliæ Epiſcopatus, 462. Cui Metropolitano paret, 463
Lilybæum Siciliæ Epiſcopatus, 462. Cui Metropolitano paret, 463
Liparis Siciliæ Epiſcopatus, 463. Cui Metropolitano paret, *ibid.*
Lithuania fit Chriſtiana & vectigalis, 286. juncta Poloniæ, *ibid.*
Cur Lucifer ab Eccleſia deſciviſſe dicatur, 484: Ex multis nec ſchiſmatis autor fuit, nec hæreſis, *ibid.*
Ludovicus Pius Romam dat Summo Pontifici, jus tamen appellationis ſibi retinet, 211
Ludovico Romani ſacramentum præſtabant, 212
Ludovicus XI Valentiam, & Comitatum Dienſem, dat Pio II, 260
Ludovicus Andegavenſis à Joanna adoptatus, 367
Luſitaniæ Regni initia, 265
Luſitania Ducatus nomen adepta, *ibid.* Deinde Regni, 266. Fit vectigalis, *ibid.* Sæpe vectigal ſolvit, 267. Romani Pontifices permittunt Luſitano Regi regiones quæ ſunt verſus Orientem, *ibid.*

M

MAPPULA, quid, 337
Martinus V eligitur, 114
Matera Acheruntiæ adjuncta, 402. Inter utriuſque Clerum contentio, *ibid.*
Mazara Siciliæ Epiſcopatus, 463. Cui

Metropolitano paret, *ibid.*
Meletii ſchiſma, 88. Extinctum à Synodo Nicæna, 89
Memnon damnatur ab Orientalibus, 94. & reſtituitur ab Epheſina Synodo, *ibid.*
Memorius Capuanus ſanctitate inſignis, 388
Menſis dies Romanorum Pontificum epiſtolis ſubjunctus, 174
Meſſana quos habuit incolas, 455. Quando ibi inſtitutus Epiſcopus, *ibid.* Epiſcopi inter Meſſanenſes falsò adſeripti, 456. Epiſcopi Meſſanenſes, 457. Epiſcopus ex Troïna Meſſanam tranſlatus, *ibid.* Non fuit Metropolita ante Anacletum, 458. Fit Metropolita ab Anacleto, *ibid.* Denique ab Alexandro III, 459. Archiepiſcopi Meſſanenſes, *ibid.*
Meſſanam ante nonum ſæculum fuiſſe Metropolim Siciliæ non probant argumenta Piccoli, 448. Nec uſus Pallii nec jus vocandæ Synodi, *ibid.* Nec alia jura à Gregorio conceſſa, 449. Nec appellatio Epiſcopi Siciliæ, *ibid.*
Metropolita, quis, 15
Miſenus Epiſcopus nunquam paruit Neapolitano, 382
Mitra ſerica, 339
Monothelitarum error unde ortus, 100. Propugnatur primùm ab Heraclio, *ibid.* Deinde à Conſtante, 101. Damnatur in Synodo Conſtantinopolitana III, *ibid.*
Montis Regalis civitas à quo condita, 460. Fit metropolis, *ibid.* Ipſius Archiepiſcopi, 461
Mutina à quo condita, 239. Mutinenſes Duces, *ibid.*

N

NAZARENUS Archiepiſcopus, quando in Italiam tranſlatus, 417. Illius privilegia, *ibid.*
Neapolis quando & à quibus condita, 360
Neapolitana ſedes à D. Petro inſtituta, 369. Multis decorata Martyribus, *ibid.* Neapolitani Epiſcopi ſanctitate inſignes, 370. Alicujus criminis inſimulati, *ibid.* Quando facta metropolis, 375. Variæ ſententiæ, non à tempore Apoſtolorum, 376. An à Gregorio Magno, *ibid.* Nec ſub Gregorio Magno, *ibid.* An à Græcis, 377. Quando à Græcis, *ibid.* An ſub Joanne IX, 378. Nec ſub Joanne IX, *ibid.* Facta eſt anno 970. *ibid.* poſt Capuam, 379. ſimul cum Benevento, Salerno, &c. *ibid.* Archiepiſcopi ex variis familiis, 380. Ex Caraffa gente multi, *ibid.* Suffraganei, 381. Quatuor ſunt, 382. An duo olim Epiſcopi, 371. Clerus ex Latinis & Græcis, 372. Sacra officia Græco & Latino idiomate celebrata, *ibid.* Ideóne duo Epiſcopi, *ibid.* Unus tantùm fuit, 373. Id probant acta S. Athanaſii, *ibid.* Ex quibus locus explicatur, *ibid.* Nec duo in aliis urbibus Epiſcopi, nec in Monaſteriis Abbates, 374. Duæ Neapoli Epiſcopales Baſilicæ, *ibid.*
Neapolitanum Regnum in varios Principatus diſtractum, 368. Partim Saracenis, partim Græcis parebat, *ibid.* Partim datum Romanæ Sedi à Francis Regibus, *ibid.* A Pontifice Francis datum, 365 & 367
Neapolitani Regni variæ notiones, 358. Multiplex diviſio, *ibid.* Provinciæ, 359. Archiepiſcopatus, *ibid.*
Neapolitani Reges ex variis gentibus, 360 Romani, 361. Gothi, *ibid.* Græci, 362. Franci, Græci, & Saraceni, *ibid.* Northmanni, 363. Suevi, 365. Hiſpani, 368
Nectarius Gregorio ſuffectus, 92
Neſtorii hæreſis, 93
Neſtorius damnatur à Synodo Epheſina, 94. E Sede pellitur, *ibid.*
Nicolaus I aliorum nominibus ſuum ſemper præpoſuit, 150
Nicolaus Laurentius Tribunus plebis, 231
Nobiliſſimi dignitas, 22
De nomine præponendo nulla lex certa fuit ante Nicolaum I, 148. Nomen Pontificis nomini Imperatoris ſæpius poſtpoſitum, 149
Northmanni veniunt in Italiam, 363. Calabriam & Apuliam occupant, *ibid.* Siciliæ Reges, 434
Northmannorum laudes, 270
Norvegia fit Chriſtiana & vectigalis, 293
Novatiani ſchiſma contra Cornelium, 299.

O

OBLATIONES primùm datæ Romano Pontifici, 187
Odoacer vetat ratam eſſe electionem Pontificis abſque Regis conſenſu, 300
Offa denarium S. Petri in Anglia ſolvi jubet, 146
Orbis Romani & Chriſtiani diviſio ferme eadem, r. Chriſtian. in diœceſes & provincias, 2
Orthodoxi cognomen datum Gothis Regibus, non aliis, 161
Oſtia, 330. Oſtienſis Cardinalis jura, 331
Otho Magnus Imperator, 310

P

PACTA Siciliæ Epiſcopatus, 463. Cui Metropolitano pareat, ibid.
Pallii varia nomina, 31. Hodierni & antiqui figura, 32. Græci & Latini diſcrimen, 33. Patriarcharum & Imperatoris, 35. Gallici & Græci, 40. Uſus cur inductus, 43. An ut Epiſcopus uni Romano Pontifici ſubeſſet, 44. An ut à Metropolitano non judicaretur, 45. Jura pro diverſis perſonis & temporibus diverſa, 43. 44. Tria otia, 45. 46. 47. & 48
Pallium Romæ datum, 46. Quando miſſum in provincias, ibid. Nova ſacramenti formula in ſuſcipiendo Pallio, 47. Fidei ſacramentum ſub Gregorio VII, 48
Pallium primò proprium Patriarcharum, 39. Deinde communicatum Vicariis Romanæ Sedis, ibid. Tum pluribus ſive Metropolitanis, ſive Epiſcopis, ibid. Omnibus Metropolitanis, 40. An datum & quando Africanis Epiſcopis, 41. An Græcis, 41. Et quando, 42. An Abbatibus, 42. Dolenſi Epiſcopo datum, 254
Integra Pallia an miſſa à Patriarchis ad Epiſcopos, 32. Quæ objici ſolent, 36. A Conſtantino non datum Silveſtro, ibid. Conſenſus Imperatoris cur petitus, ibid. Rarò petitus, 38. Quando petendus, certæ regulæ, 37. Exemplis probantur, 37 & 38
Pannus rubeus, 339
Panormus à quo condita, 450. A quo inſtituta ſedes Epiſcopalis, ibid. Epiſcopi, 451. Quando facta ſit metropolis, variæ ſententiæ, ibid. Panormitanus Epiſcopus, Archiepiſcopi nomen aſſumit, ibid. Non erat tamen Metropolita, 452. Ab Anacleto fit Metropolita, 453. Et poſtea ab Adriano IV, ibid. Archiepiſcopi, 454. Panormum fuiſſe metropolim Siciliæ ante nonum ſæculum non probat regia urbis dignitas, 445. Nec Epiſtolæ Gregorii Magni, 446. Nec Paſchalis I, ibid. nec Gregorii VII diploma, 447
Papæ nomen unde deductum, 5. Commune Clericis & Epiſcopis omnibus, 6
Proprium primò Patriarchis, ibid.
Deinde uni Romano Pontifici, 7
Parmæ varia bella, 241. Principes, 242
Parochia unde vox iſta, 4
Paſchalis ſchiſma contra Alexandrum III, 316
Patriarchæ nomen unde ſumptum, 7. Proprium Judæorum Sacerdotibus & Principibus, ibid. A Judæis ad Chriſtianos derivatum, 8. Communicatum pluribus apud Græcos, 9. Et apud Latinos, 10
Patriarchæ, qui & quot veri, 8. Quæ requiruntur, ut quis ſit verus Patriarcha, 9
Patriarchæ faſcias ab Imperatoribus mutuati, 34
Patriarchis ſemper uti Pallio licuit, 49. Epiſcopis certis diebus, ſed non integris, ibid.
Patriarchæ aſſident Legatis Romani Pontificis, 131. Quo loco ſederent in Synodo œcumenica, ſi celebretur, 132
Patriciatus anni Romanorum Pontificum epiſtolis ſubjuncti, 179
Patriciorum triplex æra, 24. Poteſtas, ab Auguſto ad Conſtantinum, ibid. A Conſtantino ad Juſtinianum, 25. Dignitas à Romanis reſtituta, ab Eugenio III abrogata, 26. A Romanis ad Gallos, Anglos, &c. propagata, 26
Patricius creatur, 225
Patricii creandi ritus, 25. Sæpe provinciis præfecti, ibid.
Perfectiſſimi cognomen ab Imperatoribus inductum, 18. Quibus datum, 20
Petri Leonis ſchiſma, 306. Contra Innocentium II, 316

Petri de Bruis errores, 106. Damnantur à Synodo Lateranenſi ſecunda, *ibid.*
Petrus Aragonius à Pontifice coronam accipit, 264. Et præſtat fidei ſacramentum, *ibid.*
Photius intruſus & ejectus, 103. Damnatur à Synodo Conſtantinopolitana IV, 104
Pileus rubeus, 337. Datus etiam Cardinalibus ex Religioſis Ordinibus aſſumptis, 338. Non miſſus in provincias, *ibid.*
Piſanum Conciliabulum, 119
Piſanus Archiepiſcopus Sardiniam ut Primas luſtrat, 480. Piſano Archiepiſcopo datur dignitas Legati in Sardinia, 479. Tres Epiſcopatus & jura Primatus in provincia Turritana, *ibid.* Et in Calaritana & Arborenſi, 480
Pius II Valentiam & Comitatum Dienſem reſtituit Ludovico XI, 260
Pius II Ferdinando Alfonſi Aragonii filio dat Regnum Neapolitanum, 271
Polonia Romanæ Sedi vectigalis, 284. Ab ea coronam obtinet, *ibid.* Novum vectigal Poloniæ impoſitum, 285. ſingulis annis ſolutum, 285
Pontifex Romanus ſub Imperatoribus Romanis à Clero electus, 298
Pontificis eligendi ritus ſub Imperatoribus Græcis, 305. Et conſecrandi, *ibid.* Conſenſus peti deſitus, 304. Ante conſenſum datum quæ Romanæ Sedis regendæ ratio, *ibid.* Multi è Græcia & Syria oriundi, *ibid.* Cardinalis eſſe debuit, 306. An Legati Imperatoris Franci aderant electioni, 308. Conſenſus Imperatoris petitus, *ibid.*
Pontifex coram Legatis conſecratus, 309. A Formoſi tempore eligendi Pontificis ratio turbata, 310
Pontifices multa multis dederunt cognomina, 154. *Fratris*, Epiſcopis, *ibid.* *Filii*, Preſbyteris & interdum Epiſcopis, 155 Semper Regibus, *ibid.* Quando Imperatoribus, *ibid.* Eadem Regibus Galliæ, quæ Imperatoribus, 156. Non uſi ſunt magnificis titulis, 151
Pontifex appellatur Pater, 168 Dominus ab Epiſcopis & Patriarchis, *ibid.* Non tamen ab Imperatoribus, 169. Pater & Papa, *ibid.* Archiepiſcopus & Patriarcha, 170. Pater Patrum & Princeps Epiſcoporum, 171 Univerſalis Patriarcha, *ibid.* Summus Pontifex, 172. Hæc cognomina nemini data à Romano Pontifice, *ibid.* Ab aliis uni Romano Pontifici data omnia, 173
Vivo Pontifice nefas alium eligere, 318
Pontifices qui in Galliam fugerunt, 236
Pontificis poteſtas Romæ ſub Pipino, 208. Summa autoritas in Anglia, 249. in Siciliam & Regnum Neapolitanum jura, 272. Cognomina quinque ferè ſunt, 150. A quibus adhibitæ voces Epiſcopi, Papæ, &c. 151. Quando apponatur *Papa*. quando *ſervus ſervorum Dei*, 153. Erat Pontificis dare Clericis quod cuique ad victum ſatis eſſet, 187. Unde auctæ ſunt opes, 189. Illius latifundia in Gallia, Aſia, Africa, *ibid.* Patrimonium Alpium Cottiarum, *ibid.* Patrimonia alia ab aliis occupata, 190
Porcarii conſpiratio, 234
Portus, 331
Portuenſis Cardinalis munera, *ibid.*
Præfectus urbis creatur ab Auguſto, 344 Illius poteſtas, 345
Præfecti Prætorio à quo inſtituti, 23. Primùm unus, deinde duo, tum tres, *ibid.* Illorum poteſtas uſque ad Conſtantinum, *ibid.* A Conſtantino quatuor inſtituti, quibus poteſtas in milites abrogata, 24
Præneſte, 331
Præſules Eccleſiæ reſpondent Magiſtratibus Imperii, 3
Præſulis cujuſque juriſdictio, 4
Primas ſive Exarchus, *V.* Exarchus.
Primates apud Romanos & Africanos, 12. Aſſident Patriarchis, 131. Quo loco ſederent in Synodo œcumenica, ſi nunc celebretur, Primates, 132
Primi Auguſti dignitas, 22
Proceres conſpirant adverſus Leonem III, 220. & Joannem VIII 221. Ab Othone II necari, 222
Proconſulatus anni Romanorum Pontificum epiſtolis ſubjuncti, 179
Protogenes non fuit Sardiniæ Epiſcopus, 483
Protothroni aut Patriarchæ aut Metropolitano aſſident, 132

Provincia fit vectigalis Romanæ Sedi, 255. Sacramenti formula, *ibid.*
Provinciæ notio, 4
Provinciæ civiles & Eccleſiaſticæ, an pares, 352. Interdum diſpares, *ibid.*
Provincia Romani Metropolitani, 348. A Mediolanenſi ad Capuam pertinebat, *ibid.* Capuam, reliquam Italiam & Siciliam complectebatur, 349. In his provinciis nullus Metropolita, *ibid.* Romanus Pontifex Epiſcopus, Metropolita, Primas, Patriarcha, 346. Romani Epiſcopatus & Primatus limites, *ibid.* De Provincia Romana Sirmondi & Salmaſii contentio, *ibid.* Sententia Salmaſii, 347. & Sirmondi, *ibid.*

Q

QUARTADECIMANORUM ſchiſma, 88. Extinctum à Synodo Nicæna, I. 89

R

RASCIÆ Reges, 272
Reges rarò ſubſcripſerunt Synodis, 129. Et quo loco, *ibid.*
Regni dignitas è triplici capite reperi ſolet, 135
Rhegii hiſtoria, 418. A D. Paulo ibi creatur Epiſcopus. 419. Epiſcopi, *ibid.* Non facta eſt metropolis quinto ſæculo, *ibid.* Sed undecimo, 430. Archiepiſcopi, *ibid.* Epiſcopi Suffraganei, 431
Robertus Viſcardus Northmannus Fit Dux Calabriæ, 364. Multas Neapolitani Regni & Siciliæ urbes facit vectigales, 369. Sacramenti præſtiti formula, *ibid.* Ipſius Roberti laudes, 270
Rogerius nomen regium obtinet, 271. Et aſſumit, 364. Ipſius poſteri, *ibid.*
Romæ urbis adminiſtratio à Romulo ad Auguſtum, 344. Hiſtoria à Conſtantino ad Carolum Magnum in tres ætates tribuitur, 198. Prima ætas á Conſtantino ad Odoacrum, 198. Secunda, ab Odoacro ad Juſtinianum, 201. Tertia, ab Heraclio ad Irenen, 203. A Carolo Magno ad noſtram ætatem in ſeptem ætates deſcripta, 219. Singulis ætatibus præfixi tituli, ab iis qui plus in urbe poterant, petiti, *ibid.*
Roma bis capta à Ladiſlao, 233. Bis etiam ab Hiſpanis, ſemel Duce Moncada, 234. Iterum Duce Borbonio, *ibid.* Ab iis præſcriptæ leges captivo Pontifici, 235
Romani favent Henrico IV Imperatori contra Alexandrum II, 223. Et Gregorium VII, 224. Paſchali contra Henricum V, *ibid.* Gelaſio II contra Henricum V, 225. Anacleto contra Innocentium II, *ibid.* Alexandro III parere coacti, 226. Ejiciunt Lucium III, 227. Cum Clemente III pacem ineunt, *ibid.* Tuſculum evertunt, *ibid.* Eugenium IV captivum detinent, 233. modò Friderico, modò Gregorio IX, favent, 228. Et Ludovico Bavaro contra Joannem XXII, 230
Romanorum diſſidia ab Henrico ſopita, 223
Roſſanum à quo conditum, 427. Inſtitutus ibi Epiſcopus, *ibid.* Fit Metropolita, *ibid.* Archiepiſcopi, 428. Epiſcopi Suffraganei, *ibid.*
Ruſcia multiplex, 287. Chriſtiana facta ſuſcipit, *ibid.* Fit vectigalis, 288. A Romano Pontifice coronam accipit, *ibid.*

S

SABINENSIS Cardinalis, 331
Salernitani Principes, 406. Quando inſtitutus Epiſcopus, *ibid.* Epiſcopi, 407. Quando facta metropolis, *ibid.* Archiepiſcopus fit Primas, *ibid.* Salernitani Primates, 408. Epiſcopi Suffraganei, *ibid.*
Sancta-Severina antiqua & Epiſcopi ſedes, 431. Fit metropolis, *ibid.* Epiſcopi Suffraganei, 432
Sardinia variis gentibus paruit, 274. A Ludovico Pio data Romanæ Sedi, 275. A Bonifacio VIII Aragonio Regi, *ibid.* Sed vectigal impoſitum, *ibid.* Et præſtitum fidei ſacramentum, 276
Sardinia paruit Romanis, 468 Vandalis, Longobardis, Francis, Romanis Pontificibus, *ibid.* Saracenis 469. Piſanis, *ibid.* Aragoniis, 470. An ab Apoſtolis fidem Chriſtianam acceperit, 470. An à S. Clemente, 471. Ab Apoſtolorum Diſcipulis, *ibid.*
Sardiniæ quis ſit Primas, 476
De Sardiniæ Primatu variæ Sardorum ſententiæ, 481. Primatus cur datus

Piſano Archiepiſcopo, 480. Sardi ea Piſani jura nulla eſſe contendunt, 480 Ex iis juribus excidiſſe, 481
Saxonia à Carolo Magno perdomita, & Romanæ Sedi data, 290
Scoti ſub Victore Papa fidem amplexi, 251. Scotia Romanæ Sedi ſubdita, ibid.
Sebaſtocratoris dignitas, 22
Senator creatur ab Innocentio III, 228
Senatoris dignitas abrogata & reſtituta, 229.
Sergiani in Formoſum ſæviunt, 228
Sicilia in varios Principatus diſtracta, 268 Partim Saracenis, partim Græcis parebat, ibid. Partim data Romanæ Sedi à Francis Regibus, ibid.
Sicilia in varios Principatus diſtracta, Romanis tandem paruit, 433. A Gothis & Saracenis occupata, ibid. Recepta à Northmannis, ibid. Ludovico & Friderico Aragoniis permiſſa 435. & 436. Paret cæteris Hiſpaniæ Regibus, 437 Quo anno gentes ſingulæ regnare cœperint, 437
Sicilia à Regno Neapolitano abſtracta, 172
Monarchia Sicula quando invecta, 464. Cur diploma Urbanus II condiderit de illa, ibid. Quid hoc diplomate conceſſerit Rogerio, 465. Baronii argumenta contra monarchiam, 466
Siciliæ Regum jura, ibid.
Siciliæ Epiſcopatuum triplex claſſis, 461
An fuerit in Sicilia ante nonum ſæculum metropolis, variæ ſententiæ, 442. Probatur Siciliam ſemper fuiſſe Romani Patriarchatûs, ex Notitia, 437. Exemplo Lyrici, 438. Ex epiſtolis Romanorum Pontificum, ibid. Ex Conciliis Romæ habitis, ibid. Quando abſtracta à Romano Patriarchatu, opinio Amici, 439 Piccoli & Pyrrhi, ibid. Autoris ſententia: primùm Siciliæ dari Græci Judices & Præſides, 440 Deinde Siculi Epiſcopi exules, blandiuntur Græcis, ut habeant, unde vivere poſſint, ibid. Pòſt, Patriarcha Græcus aliquot Metropolitas & Archiepiſcopos inſtituit, 441. Deiſque omnium ordinationem ſibi vindicat, unde cum Romano Patriarcha contentio, ibid.
Sipontum everſum & reſtitutum, 418. Ejus Epiſcopi, ibid. Fit metropolis, ibid. Ejus Archiepiſcopi, 419. Epiſcopi Suffraganei, ibid. Concilia ibid.
Spectabilis cognomen ab Imperatoribus inductum, 18. Quibus datum, 19. Quæ jura, 20
Spoletum à quo conditum, captum, ornatum, 237. Duces Longobardi, ibid. Franci, 238. Itali, ibid. Urbs Romanæ Sedi reſtituta, ibid.
Stephanus III Pipini opem implorat, 206 In Gallia Pipinum Patricium creat, 207
Stephani Neapolitani fama illuſtris, 371
Suburbicariarum provinciarum varia acceptio, 355. Pro toto Occidente in Canone ſexto Nicæno, ibid.
Subſcriptio Epiſcoporum varia fuit apud Græcos & Latinos, 125. Inter Græcos primus ſubſcripſit modò Alexandrinus Patriarcha, modò Conſtantinopolitanus, ibid. Modò una provincia, modò alia, ibid. Modò Primates & Metropolitani, 126. Apud Latinos itidem variatum eſt, ibid. Primo loco ſubſcripſerunt interdum Primates, ibid. Nonnunquam Epiſcopi unius provinciæ, deinde alterius, 127 Aliquando nec dignitatis nec provinciæ habita eſt ratio, 128
Suecia fit Chriſtiana & vectigalis, 293
Surrentum à quo conditum, illiuſque Principes, 395 Quando ſedes inſtituta, ibid. Epiſcopi, 396. Quando facta metropolis, ibid. Nec à Gregorio Magno, ibid. Nec à Joanne IX, 397. Nec ab Innocentio III, ibid. Sed ſub initium undecimi ſæculi, ibid. Archiepiſcopi Surrentini, ibid. Epiſcopi Suffraganei, ibid.
Synodi quando & qua de cauſa celebrari cœptæ ſunt, 70. Varia Synodorum genera, 71. Provinciales quot ſingulis annis habitæ, ibid. Duæ, ibid. In Græcia, Gallia, Anglia, &c. 72. Quo menſe, ibid. Una ſingulis annis, 73 Quando & cur celebrari deſita, ibid. Una tertio quoque anno habita, ibid. Quæ pœna iis qui aberant, impoſita, 74. Cujus fuit vocare illas Synodos, ibid. Quo ritu celebratæ, 75. Quæ illarum poteſtas, ibid. Ab iis Synodis ad Sedem Apoſtolicam appella-

tum, 76. Quid nationalis Synodi nomine intelligitur, 76 multæ in Oriente celebratæ, *ibid.* Cujus juſſu convocatæ, 77. Quænam illarum autoritas, *ibid* Quando haberi cœptæ in Africa, 78 Quando deſierunt, *ibid.* Quando cogi cœperunt in Gallia, *ibid.* Quando in Hiſpania, 79. Initio habitæ ex integra diœceſi; deinde ex parte tantùm, ut in Gallia, ſub Clodovæo, *ibid.* Ut in Hiſpania ſub Vviſigothis & Suevis, 80. Et in Gallia ſub Clodovæi & Clotarii filiis, *ibid.* Sub Pipino binæ ſingulis annis habitæ, Eccleſiaſtica & Regia, 81. Tandem ſub Carolo Magno, particularis & univerſalis, *ibid.* Sub Carolo Magno quinque ſimul celebratæ, quatuor ſub Ludovico Pio, *ibid.* Sub Capetiis Regibus ex univerſa Gallia convocatæ, 82. Varia illorum nomina, inde tres regni Ordines convocati, 83

Synodus nationalis à quo vocata, 83. A Romanis Pontificibus & Regibus, 84. Ab Imperatoribus; in Gallia à Regibus primæ ſtirpis, *ibid.* A Metropolitanis ex Regum conſenſu, 85. A Regibus ſecundæ ſtirpis, *ibid.* In Hiſpania à Regibus Gothis, 86. In Gallia à Regibus tertiæ ſtirpis, & Legatis, 87

Synodi œcumenicæ & illarum Hiſtoria, 87. *&c.*

Baſileenſis diſſidet à Pontifice, 115. Illi abrogat Pontificatum, & eligit Felicem, *ibid* A Ludovico Galliæ Delphino disjecta, 116. Multa prudenter ſancivit, *ibid.*

Calchedonenſis, 95. Illius Epiſcopi & Præſides, 96. Decreta & Canones, *ibid.*

Conſtantienſis & Epiſcoporum numerus, 113

Conſtantinopolitana I cur habita, 92. Epiſcoporum numerus, & proſcripti in ea hæretici, *ibid.* Canones an probati, *ibid.*

Conſtantinopolitana II cur coacta, 97

Conſtantinopolitana III, 100. Epiſcoporum numerus & Præſides, 101

Conſtantinopolitana IV, 104

Epheſina, 93. Epiſcoporum numerus, *ibid.*

Florentina inchoata Ferrariæ, 116. Ordo conſidendi, 117. Romam transfertur, 118

Lateranenſis I, 104

Lateranenſis II, 105

Lateranenſis III. Acta pſeudo Pontificum reſcindit, 107. Damnat hæreticos, *ibid.*

Lateranenſis IV, 108 Epiſcoporum numerus, *ibid* Illius decreta, *ibid.*

Lateranenſis V, 118. Decreta, 119

Lugdunenſis I, vocata adverſus Fridericum II, 109 Illius decreta, *ibid.*

Lugdunenſis II, 110. Pacis cum Græcis ineundæ causâ habita, *ibid.* Irrita concordia, 111

Nicæna I vocata tribus de cauſis, 88. Epiſcoporum numerus & Præſes, 89. Canonum numerus, 90

Nicæna II cœpta Conſtantinopoli, 102. Tranſlata Nicæam. proſcribit hæreſim Iconoclaſtarum, 103

Piſana, 113

Sardicenſis quare celebrata, 90. Cur Afris ignota, 91

Tridentina, tres illius partes ſunt, 119. Prima ſub Paulo III, 120 Secunda ſub Pio III, *ibid.* Tertia ſub Pio IV, 121

Viennenſis, 111. Quorum fuit venire ad Synodos, 123. Qui miſſi abſentium nomine, 124

Syracuſæ Siciliæ Epiſcopatus, 462. Cui Metropolitano paret, 463

Syracuſæ non fuit Siciliæ metropolis eccleſiaſtica ante nonum ſæculum, quamvis fuerit civilis, 442. Epiſtola Conſtantini ad Chreſtum non probat, 443 Nec in ſubſcribendo prærogativa, 443. Nec Gregorii Magni ad Maximianum epiſtola, 444. Nec epiſtola Nicolai I, nec Galathonis in VII Synodo ſubſcriptio, 445

Syria de Saracenis recepta, 108

T

TARENTI antiquus ſplendor, 424. Epiſcopi, *ibid.* Fit metropolis, 425. Archiepiſcopi, *ibid.* Epiſcopi Suffraganei, *ibid.*

Tarracone de Mauris recepta, & facta vectigalis, 262

Tauromenium Siciliæ Epiſcopatus, 461 Cui Metropolitano paret, 463

Teatinæ urbis Hiſtoria, 398 Quando ſedes inſtituta, *ibid.* Epiſcopi, 399.

Facta metropolis, *ibid.* Archiepiſcopi, *ibid.* Suffraganei Epiſcopi, *ibid.*
Templariis objecta crimina, 111
Templarii damnati, 112
Theodoricus Gothorum Rex, de ſchiſmate Laurentii pronunciat, 301. Joannem Pontificem in vinculis detinet, *ibid.* Pontificem creat: illius conſenſus expetitus, illique data pecunia, 302
Thermæ, Siciliæ Epiſcopatus, 462. Cui Metropolitano paret, 463
Tranium quibus gentibus paruit, 418. Primi Epiſcopi, 419. Fit metropolis, *ibid.* Epiſcopi Suffraganei, *ibid.*
Tribuni plebis reſtituti, 221. Ab Othone depoſiti, 222
Triocala Siciliæ Epiſcopatus, 462. Cui Metropolitano paret, 463
Turris Libiſſonis unde ſic appellata, & quare deſerta, 486. Turritanus Præſul metus olim fuit Epiſcopus, *ibid.* Multi Epiſcopi inter Turritanos temere adſciti, 487. Epiſcopi Turritani, 488. Quando Turris facta metropolis, *ibid.* Archiepiſcopi Turritani in Sardiniam Legati, ſedes Saſſarim tranſlata, 489. Cæteri Archiepiſcopi, *ibid.* Epiſcopi Suffraganei, *ibid.*
Turritani jura nulla ſunt in Sardiniam, 478
Tuſcia triplex, 242. Quæ Tuſcia data Romanæ Sedi à Francis Regibus, *ibid.* A Mathilde, 243
Tuſcia ab Innocentio II data Lothario Imperatori, tandem Romanæ Sedi reſtituta, 244
Tuſculum, 352
Tyndaris Siciliæ Epiſcopatus, 462. Cui Metropolitano paret, 463

V

VALENTINI Comites, 259. Valentiam & Comitatum Dienſem vendunt Galliæ Regibus, 260
Venaſcini Comitatus Principes, 256. Venaſcinus Comitatus redditus Romanæ Sedi, 258
Veſtis purpurea, 338
Vicarii Romani Pontificis quare inſtituti, 56. Illorum jura & poteſtas, *ibid.* Qui, & quot Vicarii, 57. Quando inſtitutus in Illyrico Vicarius, *ibid.* Duo poſtea in Illyrico Vicarii, *ibid.* Totidem in Hiſpania, 58 Et in Gallia, *ibid.* Quando deſierunt in Gallia, 59 In Anglia Vicarius, *ibid.*
Vicedomini Romæ & in Gallia, 30
Victoris ſchiſma contra Alexandrum III, 316.
Vincentius Capuanus ſanctitate inſignis, 388
Urbani II diploma de Monarchia Sicula, 465
Urbani VI & Clementis VII ſchiſma, 112. Quibus tertius Pontifex additur à Synodo Piſana, 113
Urbani & Clementis ſchiſma, 319. Extinctum à Synodo Conſtantienſi, 320
Uritanos inter & Brunduſinos contentio. 422
Urſicini ſchiſma contra Damaſum, 299

1470004

Digitized by Google